



I S E M P R E V E R D E

GIOVANNI BOCCACCIO



Genealogie deorum
gentilium libri

ATHENA
EDIZIONI

Athena Edizioni ti regala questo libro in formato cartaceo, stampato e spedito gratuitamente a casa tua. Infatti per ogni libro acquistato dal sito potrai scegliere un libro della collana Sempreverde in omaggio. Visita edizioniathena.it per maggiori informazioni.

**GENEALOGIE DEORUM GENTILIUM SECUNDUM
JOHANNEM BOCCACCIIUM DE CERTALDO
LIBER NONUS INCIPIT FELICITER.**

In precedenti arbore, cuius in radice Juno est, describitur tam in ramis quam in frondibus omnis eiusdem Junonis tantum posteritas.

Prohemium.

Mitiori iam celo partem posteritatis Saturni, quam cepissem, in Laurentum litus peregeram, et ecce, seu maris estu factum sit, seu occiduo impellente flatu, repente in Egeum usque mare delatus sum, et in conspectu Samos, iamdudum splendide insule, quasi iniectis ancoris, serenissime rex, firmatum me comperi. Ibi dum partim in celum usque delata vetustissimi templi semesa fastigia cernerem, et partim disiectas in frusta columnas mirabiles, evulsas e sedibus bases, dirutas testudines, equatas fere solo parietum longissimas alas, humo infixos tholos, et omnem ingentis, imo monstruosi edificii solutam compaginem atque ruinarum demersam cumulis, vepribus atque silvestribus arboribus, sua

sponte nascentibus, muscoque occupatis turpi, mirabundus intuerer, mecumque perquirerem, cuius ob obsequium tam grandis potuerit evo suo moles extolli, sumptusque veterum magnificos laudarem, venit in mentem Samiam fuisse Junonem, et a Samiis pre ceteris deitatibus honoratam, et evestigio comprehendi templum illud, olim inter cetera orbis mirabile et vetustissima fama celebre, eidem Junoni ab incolis fuisse constructum. O quam grandes diuturnique labores exhausti, quot architectorum emuncta ingenia, quot pontificum instituta sacra, quot ingenium virorum matronarumque ornatus appositi, ut dyabulo prestaretur obsequium, periire? Et hinc in cogitationem longiusculam perseverans, emisso e profundissimo pectoris arcano suspirio, mecum inquit: Erubescant miseri Christiani, quibus hac tempestate facillimum est, ut rem domesticam augeant, montium te-rebrare viscera, maris et fluminum alveos uncis piscatoriis radere, Arthoas transire nives, Ethyopum experiri soles, Yperbo-reas fallere gryphes, Hyrcanas cursu superare tygres, Lybicos sopire serpentes, Marmaricos leones excludere, Oceanum sulcare ratibus, elephantos Yndos prostrare, et, si daretur iter, in celum usque transcendere! Heu, miser, quid defleo? Aliqua forte cum honestate possunt hi labores assummi; sed quid dicam, cernens pyrratica infestare maria, itinera obsidere, ianuas infringere, falsas signare tabellas, venena porrigere, bella iniusta movere, iustum sanguinem fundere, fidem frangere, insidias tendere, et in cunctos, dum modo suppetant vires, tyrannidem et violentiam

exercere, ut ampliusculam possimus facere substantiam perituram. Ingemiscendum equidem est, et compatiendum cecitati nostre! Quid, queso, si detur cumulasse, quod cupimus, refert palatia erigere, thalamos ornare, equos ministrosque parare, convivia festosque dies ducere, auro, gemmis et purpura illustres apparere, alea ludere, possessiones amplissimas facere, viridaria lacusque componere, in lasciviam ire et inepte Veneri maximos sumptus impendere, si noster honor, nostrum decus, nostra gloria ab indignioribus occupatur? Potuere gentiles in suam famam Junoni tam ineffabile templum construere, Christiani Deo vero et Redemptori suo debitum persolvere negligunt. Si classem in mare trahere, arma summere, naves conscendere, bellum hostibus catholice fidei movere, imo inferre, vitam vulneribus mortique supponere, et salvatoris nostri Christi Jhesu parvulum terre spatium, in qua passus mortuusque brevi iacuit tempore, effeminati recuperare, colere, venerari ingrati inertisque nolumus, saltem templum, quod excederet cetera, ad quandam singularem honorificentiam impendendam, si Christo pusillanimes nolumus, extolleremus Virgini genitrici. Heu christiani nominis inexpressibile dedecus! Potuerunt insule unius et parve incole e montibus columnas excidere, ingentia evellere saxa, et in amplissimum opus deducere, architectos undique evocare precipuos, thesauros erogare suos, sudores impendere, ut in suam perniciem sempiternam Junoni, scelestissimi hominis coniugi, pluri-

mis inmixte lasciviis mulieri, iracunde impatientique femine, inhonestorum hominum matri, templum insigne construerent, Christiani autem et miseri et tristi, avaritia perdit, sacre virginis, Jhesu matri, cui nulla fuit libido, nulla peccati labes, viciū nullum, cui semper integra et illibata virginitas, humilitas vera, incomparabilis sanctitas, et honestas laudanda pre ceteris, cui soli contigit divina dispositione auribus celeste verbum, angelo nuntiante, concipere, immaculato utero illud idem, carnem factum, in partum usque servare, mammis intactis et suis in ulnis, quem absque dolore peperat, virgo educare, ignavia et avaritia obsistente, nequeunt utiles fructuososque labores impendere, quibus gentilium superemus opera. Non inficiat grande satis atque splendidum templum esse cor contritum et humiliatum; quod si sufficeret, frustra tot parvas fecissemus ecclesias. Nec equidem hoc suadeo tanquam gloriose Virgini oportunum ipsa enim a dextris filii, agminibus angelicis circumdata, celi regina perenne solium habet in celis, sed ut nostra solum monstraretur affectio erga tam bene meritam matrem, erga mortalium spem certam et unicam, erga humani generis patronam, erga gratiarum pietatisque inexhaustum fontem, cuius profecto precibus adiuvamur, a periculis eripimur et in bona dispositione servamur; et postremo confidentes in eam in eternam usque gloriam evocamur et ducimur, si meremur. Sed quid verbis forte superfluis auras verbero? Segnes puniet Deus, et avaros divites dimittet inanes! Nos autem

in propositum revertamur. Dum igitur ruinas inspicio, nequeuntes auferre adhuc loci veterem maiestatem, quin imo sua ineximabile magnitudine servantes, satis adverti a delatrice fortuna moneri, quoniam Jovis atque Neptunni, quos ex prole Saturni ex proposito in finem servaveram, sermonem paululum differendum, ut Iunonis fabulosam progeniem in medium traherem, in qua et belligeri Martis omnis profusa continetur prosapia. Cuius inter strepitus atque furores queso, me mitis deus, qui Davit docuit manus adbellum, sua pietate deducat in pacem.

CAP. I.

De Junone VIII^a Saturni filia, que absque viro concepit et peperit Hebem et Martem.

Iuno, errore gentilium regina deorum, Saturni et Opis fuit filia, ante Jovem nata, eodem tamen partu. Fuit preterea et Jovis coniunx, ut dicit Ovidius: Si genus aspicitur Saturnum prima parentem Feci Saturni sors ego prima fui etc. Inde dicit Virgilius: Junonem interea compellat Juppiter ultro: O germana michi atque eadem gratissima coniunx etc. Et alibi: Ast ego, que divum incedo regina, Jovisque Et soror et coniunx etc. Educatam autem illam a Thetide dicit Servius. Eamque Neptunnum educasse asserit Albericus. Sic Martianus illam dicit nutrisse Mercurium, Maie filium. Eam preterea regnorum atque divitiarum faciunt

deam. Sic et coniugii, ut scribit Virgilius: Junoni ante omnes, cui vincla iugalia cure. Et alibi: Devenient; adero et, tua si michi certa voluntas, Coniugio iungam stabili propriamque dicabo etc. Preterea et parturientibus preesse volunt, ut per Plautum patet in *Aulularia* dicentem: Perii mea nutrix obsecro te uterum dolet Juno Lucina tuam fidem etc. Sic et in *Adelphis Terrentius* parturientem ait dicere: Miseram me differor doloribus, Juno Lucina fer opem, serva me obsecro etc. Illi insuper insignem currum et arma attribuunt, ut in *Yliade* demonstrat Omerus. Et ne deorum regina sola procedat, pedissequas illi XIII nynphas ascribunt, ut in persona eius ait Virgilius: Sunt michi bis septem prestanti corpore nynphe etc. Inter quas illi Yris precipue famulatur. Avem etiam pavonem in tutelam eius dixere, caude cuius, eam, Argi pastoris sui, occisi a Mercurio, oculos apposuisse dicit Ovidius. Vocant etiam illam preter Junonem et reginam nominibus multis, ut puta Lucinam, Matronam, Curitim, Deum matrem, Fluoniam, Februam, Interducam, Domiducam, Unxiam, Cinthiam, Sotice-nam, Populonium, et Proserpinam. Eamque dicunt comestis lactucis silvestribus Hebem filiam concepisse. Sic et percusso flore Martem. Ex Jove vero viro suo peperisse Vulcanum. Et alia de ea referunt plurima. Circa predicta, sicuti multa sunt, sic et multa dixere diversi. Dicit autem Barlam Junonem Saturni et Opis filiam arbitratos, qui Saturnum rerum opificem esse, et Opim materiam, et Junonem terram credidere, vel aquam. Sic et Macrobius, ubi De somnio Scipionis, illam Jovis dicit esse sororem,

quia ex eisdem seminibus, quibus Juppiter, producta sit, cum Jovem celum asserat, et aerem dicat esse Junonem. Quam ideo ante Jovem natam dicunt, quia cum Juppiter ignis sit, et hec aer, non videtur apud nos quod absque spiritu, qui aer est, ignis deduci possit in flammam, nec sublato aere usquam vivere, et ideo opportunum aerem esse si ignem velis, vel quod ignis motu aeris accendatur, ut in silvis locisque palustribus sepe vidimus contingisse; et sic aer natus ante quam ignis. Eam autem educatam a Thetide ideo fictum est, quia humiditate aque restauratur quicquid aeris extenuati in ignem vertitur. Eam autem educasse Neptunum et Mercurium, ubi de eis fiet mentio exprimetur.

Jovis autem coniunx ideo dicta est, quia sic aer celo seu igni supponitur. Servius autem dicit Jovem aliquando pro igne et aere, et non nunquam pro igne tamen summi. Sic et Junonem pro terra et aqua, et aliquando pro aere solo, et ideo quando pro igne et aere accipitur Juppiter, et Juno pro terra et aqua, merito coniuges dicuntur, cum ignis et aer habeant agere, et terra et aqua pati; et sic superioribus in inferioribus agentibus suffragantibus supercelestibus corporibus apud nos cuncta gignuntur. Quando vero, ut idem Servius ait, Juppiter pro igne tantum et Juno pro aere ponitur, tam ratione contiguitatis, quam etiam tenuitatis et levitatis, similitudine fratres esse dicuntur. Theopompus vero in Cipriaco carmine, et Ellanicus in Dyospoltichia, dicunt Junonem a Jove vinctam cathenis aureis, et depravatam incudibus ferreis. Quos nil aliud sentire voluisse arbitror, nisi aerem a frigiditate et

duricie terre depravatum, cathenis aureis, id est, per continuatas lucis successiones igni iunctum esse. Tullius vero dicit circa hanc materiam sic: Aer autem, Stoyci disputant, interiectus inter mare et celum Junonis nomine consecratus, que est soror et coniunx Jovis, quod et similitudo est etheris, et cum eo summa coniunctio. Effeminarunt autem eum Junonique tribuerunt, quidem nichil est mollius etc. Reginam et deam regnorum atque divitiarum insuper dixere Junonem, quam Fulgentius velato et capite et sceptrum manu tenentem designat, nil aliud, ut ipse, credo, volentes ostendere quam, qua in parte regna consistant et divitie. Diximus enim Junonem terram esse, in qua regna mundi consistere satis patet. Ergo si ipsa in se regna tenet, regnorum regina est; quod quidem per sceptrum demonstratur. Et hac eadem ratione divitiarum est dea; nam autem in visceribus metalla omnia et preciosas lapides tenet, quod per velatum caput ostenditur, aut in superficie segetes fructusque omnes et pecora, in quibus profecto consistunt divitie terrenorum, ostendit et prebet. Coniugiorum autem deam volunt, eo quod ut plurimum dote media eatur in coniugium, que dos iuris Junonis est. Preterea Junonem in aliquibus lunam esse credidere, eamque circa humanos actus multa posse, et potissime circa motus de loco ad locum, et hinc arbitrati sunt Junonem puellas nubentes et de domibus parentum ad sponsores euntes per iter ducere, et inde Interduca vocitata est. Seu alia ratione, quia veteri more nocte virgines ad sponsores

mittere consuevere, eis erubescens ire palam virginitatem deponere; et quoniam luna dum luceret, ducatum prestare videretur itineris, Interduca dicta est. Et quoniam hoc ducatu illas primo in domos virorum videtur deducere, etiam Domiduca dicta est. Et quoniam virgines sub ducatu Junonis venientes ad limina sponsorum, ritu veteri variis unctionibus postes ungebant, Juno ab unctionibus illis Unxia appellata est, et sponse deinde vocitate unxores; et deinde, ut dicit Albericus, eo ventum est, ut dicantur uxores. Parturientium autem deam ideo illam dixere dicit Fulgentius, quia divitie, quibus ipsa preest, semper de se alias pariant, quod quidem non est simpliciter verum de omnibus et semper; quin imo parturientibus dea dicta est, quia luna, quam idem cum Junone voluere a parturientibus sub Lucine et Junonis nomine invocari consuevit, et eius muneris esse dicebant, ut ait Macrobius, distendere et laxare rimas corporum, et meatibus viam dare, quod est ad accelerandos partus salutare, et tunc vocitatur Artemia Grece, quasi aerem secans Latine. Currus illi ideo attributus est, ut per eum designetur circumitio aeris continua circa terram. Arma vero ideo illi data sunt, quod bellantibus et maxime divitiarum et regnorum causa ea suadere aut prestare et preparare videatur. Nynphas illi obsequiosas dicunt esse XIII, ut noscamus totidem in aere accidentia variis ex causis generari, ut puta Serenitas, Ventorum impetus, Nubes, Pluvia, Grando, Nix, Pruina, Ros, Coruscatio, Tonitruum, Yris, Cometes, Vapores incensi, et Nebula. Non nulli tamen alias describunt

esse, dementes ex dictis aliquas et alias superaddentes, que terre videntur contingentia, ut terremotus, exalantia ex terris incendia, et huiusmodi. Porro ex his que Junoni famulantur familiarior describitur a poetis Yris, quam Taumantis fuisse filiam voluere, id est admirationis, eo quod sit coloribus et apparitione mirabilis. Hanc enim Junoni divitiarum dea ideo attribuunt, ut per eius picturatam variis coloribus curvaturam opum ornamenta designent, que quidem fulgore suo admiranda sunt, sic descendunt et ascendunt, et uti hec tam pulchra repente dissolvitur, sic et divitum splendores in momento resolvuntur in nichilum. Voluntque eam Yrim dici, quasi erim, quod certamen est, eo quod propter divitias multa oriantur certamina. Et hinc aiunt quidam Yrim semper missam ad discordiam excitandam. Pavonem vero illi in tutelam tribuunt, ut qualitates ostendantur divitum. Est enim clamosa avis pavo, in quo clamores, elatas voces, iactantiam, boatusque intelligunt divitum. Incolit et pavo tecta et edificiorum semper celsiora conscendit, ut appareat divites preminentias omnes appetere, atque si non dentur arripere. Picta insuper penna nitet undique, et laudibus delectatur, et ad ostentationem sui adeo trahitur, ut erecta in girum oculata cauda, nuda atque turpia posteriora relinquat. Per que purpura divitum, et vestis aurea, et inanis gloria, et futilis pompa, aures adulationibus patule designantur, in quas quotiens minus advertentes incurrunt, evenit ut, quod forsán sordidum latere poterat, detegatur,

et appareat splendore sub illo cor miserum, curis anxiis lacessitum, ignavia, stultia, morum ineptia, viciorum spurcities, et non nunquam cadavera turpi marcentia tabo. Superest de nominibus et potissime de his, de quibus nil dictum est, ponere rationem. Vult igitur Tullius eam vocari Junonem, quasi iuvans omnibus, quod proprium Jovis est. Rabanus autem dicit Junonem, quasi ianionem, id est ianuam pro purgationibus feminarum, eo quod quasi portas matris natis pandat et nubentium maritis. Leontius autem dicit quod Juno Grece dicitur ΗϞη, quod quidem venit ab era, quod est terra et fit mutatio E in H, et fit ΗϞα, cui mutata alpha in H fit ΗϞη. Unde proprie Juno terra est. Sotigena vero appellatur, eo quod mares societ iungatque connubio feminis. Sic et Populonia ob id quod ex coniunctionibus hominum atque mulierum a se factis populi procreentur. Et inde Cinthia, quod lune nomen est, Cynthia dicebatur, quod ipsa a virginibus cingulum castitatis, dum viris iungerentur, exolveret, quod, quicquid dicant isti, Veneris hoc officium puto, quam, Alberico teste, dicebant Junonem Domiducam in nuptiis sequi, eo quod Junonis esset officium primo ad matrimonium spectantia agere. Veneris vero virum et virginem in coitum iungere, et cingulum virginitatis solvere, quod ipsi Veneri tribuunt, et ceston vocant. Matrona vero dicitur, quia his tantum presit mulieribus, que viris mature sint, aptisque conceptui, que et ipse etiam si non nubant matrone sunt, aut dici possunt, eo quod secundum etatem matres esse

possint. Curitim vero dicit Albericus eam vocari, quasi regalem, vel fortem, vel potentem, vel, iuxta Servium, a curru, eo quod bellantes curribus uterentur, quibus illam ratione cause bellorum preesse volunt. Deum etiam matrem vocant, eo quod illam terram intelligant omnium matrem. Fluoniam autem dictam dicit Albericus a fluoribus seminum, seu quod feminas in partu liberet. Ego autem a menstruali mulierum fluxu, qui a luna causaria nonnullis creditur, dictam puto Fluoniam. Sic et a purgationibus Februam, quod feminas post partum secundis exeuntibus purget, et idem in menstruis; nam februo idem est quod purgo. Dicta sunt ea que sub aliquo figmento poetico quantum ad naturalem sensum abscondi posse visum est. Restat dicere quid sub parte fictionum secundum hystoriam tectum sit. Inhystoria quidem sacra legitur Junonem ex Saturno rege et hominum genitam, et ab Ope Saturni coniuge uno et eodem partu cum Jove, prius tamen, editam, eamque, ut scribit Varro, apud insulam Samum prius Partheniam appellatam atque educatam. Et cum ibi adolevisset, Jovi nuptam, et ob id Sami nobilissimum et antiquissimum fuisse templum, et in eo simulacrum Junonis in habitu nubentis puelle figuratum, eiusque sacra anniversaria nuptiarum ritu celebrari consuea.

CAP. II.

De Hebe Junonis filia, et iuventutis dea, et Herculis

coniuge.

Hebes, ut ait Theodontius, filia fuit Junonis, cuius rei talem idem Theodontius recitat fabulam. Apollinem scilicet Junoni noverce in domo Jovis patris sui parasse convivium, eique inter alia apposuisse lactucas agrestes, quas cum comedisset cum desiderio Juno, illo usque tunc sterilis evestigio pregnans effecta est, et ex eo conceptu peperit Hebem. Que, quia formosa esset, a Jove ad officium pincernatus assumpta est, et dea iuventutis effecta. Tandem cum ipse una cum ceteris diis apud Ethyopes commensaturus ivisset, contigit quod, ministrante eis, Hebes, pocula, perque lubricum minus caute incedente, caderet, et casu, vestimentis amotis omnibus, in casu obscena Superis monstraret, quam ob causam factum est, ut illam ab officio pincernatus Juppiter removeret, et loco eius Ganimedem Laomedontis regis Troie fratrem substitueret. Postremo Herculi Oeteo iam in numerum deorum assumpto illam iungere coniugem. Omerus autem in Odissea eam ex Jove conceptam dicit. Sane quoniam a Latinis poetis eam tantum Junonis absque patre filiam habitam invenio, Jovi non ascripsi. Quid autem ex fictione hac summendum sit, hoc arbitror. Dicebat venerabilis Andalo Jovi, quem patrem Apollinis aiunt, inter signa Zodiaci duo attributa, que eius astrologi dixere domicilia, Sagittarium scilicet atque Pisces. Verum Sole, id est Apolline, in Sagittario existente, Jovis domo, instante iam hyeme, Junoni, id est terre, lactuce apponuntur silvestres, id est frigus

intensum; nam lactuce silvestres, ut aiunt physici, frigidissime sunt; frigus autem circa terre superficiem agit, ut condensatis terre poris calor terre immixtus agat circa intrinseca terre, et terre humiditate calefacta, radices graminum atque plantarum aperire faciat, et humore repleat, ex quo turgescunt et pregnantes efficiuntur. Et sic Sole intrante Sagittarium ob frigus intensum terra efficitur pregnans, que in autumnio sterilis videbatur. Tandem adveniente tempore partus, id est vere novo, Hebem parit, id est iuventutem et rerum omnium renovationem, frondes, flores, et germina omnia ea emittuntur tempestate. Sic primo adveniente vere, quod calidum est et humidum, diis, id est supercelestibus corporibus, que, ut alias dictum est, secundum quorundam opinionem ex humiditate vaporum a terra surgentium pascuntur, pocula, id est humectationes, porrigere dicitur. Tandem adveniente autumnio, in quo Sol incipit versus solstitium hyemale tendere, id est ad Ethyopes, qui versus antarcticum sunt, virentia omnia cessare, et frondes arborum cadere incipiunt, et sic Hebes, dum deteguntur que occultaverant frondes nudari dicitur, et obscena monstrare, et a pincernatu etiam removetur, et Ganimedes substituitur, qui Aquarii signum dicitur, eo quod eo tempore pluviosa sit hyemps et habundanter humidos propinet vapores syderibus. Quod autem Herculi iungatur coniugio ideo fictum credo, quia iuventus, id est viriditas perpetua, semper iuncta sit clarorum virorum operibus, nec illa nedum in mortem, sed nec in senium cadere permittat.

CAP. III.

De Marte Junonis filio, cuius XV fuere filii, quorum nomina sunt hec: Primus Cupido, II Enomaus, III Thereus, IIII Ascalaphus, V Ialmenus, VI Parthaon, VII Zesius, VIII Flegias, VIIIF Brictona, X^a Euannes, XI^a Hermiona, XII Hiperius, XIII Etholus, XIII Remus, XV Romulus.

Martem sunt qui velint Jovis et Junonis filium, sed Ovidius, ubi De Fastis, eum Junonis absque patre filium tantum esse demonstrat. Dicens, quod Juno turbata, eo quod Juppiter ex se ipso tanto, nullo mulieris adhibito obsequio, Minervam procreasset, Oceanum querebat, sumptura consilium, qualiter et ipsa absque viri commixtione posset filium concipere atque parere, et cum fessa secus fores Flore dee coniugis Zephyri quievisset, a Flora quorsum pergeret interrogata, narravit. Cui Flora, si Jovi esset occultum, promisit auxilium salutare, eamque, cum iurasset per undas Stygias se nemini dicturam, docuit in campis Oleneis florem esse, quo tacto, confestim absque viro conciperet. Quod experta Juno, illico absque viro concepit et peperit filium, quem Martem appellavit. Alii vero dicunt quod Juno, percussa vulva, Martem concepit. Hunc omnes ferocissimum deum et armigerum dicunt, et ob id bellis armisque preesse asserunt. Describit illi Statius in Thebaide regionem, domum atque ministros, sic dicens: At Tracum Cylenius arva subibat; Atque illum hyberne

labentem cardine porte Tempestas eterna plage pretentaque celo
Agmina nymborum primique aquilonis hyatus In diversa ferunt:
crepat aurea grandinem ulta Palla, nec Arcadii bene protegit um-
bra galeri. Hic steriles delubra notat Mavortia silvas. Horre-
scitque tuens etc. Et designata non absque misterio regione,
domum describit atque familiam, dicens: Ubi mille furoribus illi
Cingitur adverso domus immansueta sub Hemo. Ferrea com-
pago laterum, ferro arta teruntur Limina, ferratis incumbunt
tecta columnis. Leditur adversum Phebi iubar, ipsaque sedem
Lux timet, et durus contristat sydera fulgor. Digna loco statio:
primis salit Impetus amens E foribus cecumque Nephas Ireque
rubentes, Exanguesque Metus, occultisque ensibus instant Insi-
die, geminumque tenens Discordia ferrum. Innumeris strepit
aula Minis, tristissima Virtus Stat medio, letusque Furor, vultu-
que cruento Mors armata sedet, Bellorum solus in aris Sanguis,
et incensis qui captus ab urbibus ignis. Terrarum exuvie circum
et fastigia templi Capte insignibant gentes, celataque ferro Frag-
mina portarum bellatricesque carine, Et vacui currus protritaque
curribus ora, Pone etiam gemitus: adeo vis omnis et omne Vul-
nus; ubique ipsum, sed non usquam ore remisso Cernere erat,
talem divina Mulciber arte Ediderat; nondum radiis monstratus
adulter Feda catenato luerat conubia lecto etc. Preterea eius di-
cunt Bellonam fuisse sororem, quam currui eius attribuunt auri-
gam, ut idem Statius testatur, dicens: Ipse subit curru, diraque
aspergine latos Mutat agros, spolia a tergo, flentesque caterve:

Dant silve nixque alta locum, regit atra iugales Sanguinea Bellona manu longaue fatigat Cuspide etc. Et ut incessus eius ferocitas ostendatur omnis, dicit et alibi Statius idem: Comunt Furor Iraque cristas, Frena ministrat equis Pavor armiger; at vigil omni Fama sono, varios rerum succincta tumultus Ante volat currum, flatuque impulsa gementum Alipedum trepidas denso cum murmure plumas Excutit: urget enim stimulis auriga cruentis Facta, infecta loqui, curruque infestus ab alto Terga comasque dee Scithica pater increpat hasta etc. Hunc insuper tam dirum tamque cruentum deum amantem fuisse volunt, et inter alias ab eo dilectam Venerem Vulcani precipue dicunt, et eius usum concubitu. Ex quo talem fabulam Omerus VIII recitat Odissee. Dicit enim Martem supreme Venerem dilexisse, et cum ei aliquando misceretur, a Sole visus, Vulcano Veneris coniugi accusatus est, qui clam catenas invisibiles circa lectum suum apposuit, finxitque se Lemnum ire, quod arbitratus Mars accessit ad Venerem, et cum nudi lectum intrassent, et se fallaciis Vulcani iam captos adverterent, rediit Vulcanus ex composito. Qui cum ob illatam iniuriam clamaret, advenere dii, et inter alios Neptunus, Mercurius et Apollo, dee vero ob verecundiam non venerunt, et cum omnes riderent, captos nudosque videntes, solus Neptunus pro captivis interpellavit, ac tam diu oravit, donec Vulcanum in suas preces flecteret, et captos liberari faceret. Huic insuper tam acri deo lupum attribuunt in tutelam, et ex avibus

picum. Sic etiam ex herbis gramen. Multa etiam de hoc recitantur, que suis servata locis nunc omittere censui, ut quid contendant que dicta sunt deducamus in medium. Veteres Jovem Martis patrem ideo voluere, ne adeo filius degener videretur a patre, mitem quippe atque benignum Jovem sepe diximus, ubi Mars crudelis atque immitis est. Junonem autem Oceanum petere, et Flore consilium summere, ad colorandam originis rationem quam ob aliud positam reor, et ideo florem Olenium seu in campis Oleneis natum menstruum existimo, quod solum femine patiantur, eiusque feditatem ipse vocabuli pulchritudine conantur tegere, florem vocantes suum, quem ex Oleneis arvis ideo dicit Ovidius, seu quia olidus sit, seu quod ex olido manet loco. De quo sic scribit Ysidorus: Mulier solum animal menstruale est, cuius cruoris tactu fruges non germinant, acescunt musta, moriuntur herbe, amittunt arbores fetus, ferrum corrumpit rubigine, nigrescunt era, si qui canes ederint, in rabiem efferantur, glutinum aspalti, quod nec ferro, nec aqua dissolvitur, cruore ipso pollutum dissolvitur etc. Cuius igitur si sane considerentur effectus, ex alia nulla materia tam seivum animal tam immane creari poterat, ut cum genitore genitum conveniret. Marte, id est bello furente, nedum non germinant fruges, sed nec seruntur; ubi bellicus personet furor, vineta negliguntur, et sic in acetum versa videntur, moriuntur herbe presse discursibus, fructus arborum pereunt omnes, agentibus violentiis atque rapinis, ferrum

iniquo attritum usu consumitur, era decolorantur et arva sanguine occisorum, castra sequentes in nimiam occupandi rabiem efferantur, dissolvuntur, aut seua pugna aut longis obsidionibus menia civitatum, oppida et arces excelsae, et quicquid hominum seu etiam nature arte munitum est; bene ergo convenit cum semine fructus. Seu alia ratione Junonis dicetur filius, quam sepe terram diximus et regnorum atque divitiarum dominam, cum ambitione hominum insatiabili circa talia litigia, iurgia, dissensiones oriantur et bella. Si autem ad percussionem genitalium Junonis intueri voluerimus, dicemus tunc illa percuti, quando appetitus ad superflua excitatur, ex quo questio sepius oritur, per quam et in bellum non nunquam itur, et sic Mars nascitur. Is igitur sic genitus quod apud Bystonas Tracesque habitet, ut describit Statius, evidenti ratione cognoscitur. Sub Arthoo quidem cardine, eo quod frigidissima sit regio, qui ibidem nascuntur sunt homines sanguine pleni, nec hoc a natura discretissima frustra factum; exangues enim frigori non possent obsistere; sunt hi sanguine abundantes obtruncatores ciborum, vini ingurgitatores immoderati, consilio segnes, fraudibus copiosi, in precipitia faciles, clamosi, furiosi, nil nisi per certamen optantes, sanguinis prodigi, et ridentes vulnera, quae omnia Marti competunt; quam ob rem apte apud tales eius regia descripta est; tempestatum agminumque nymborum, et stridentium aquilonum et grandinum circumdata, ut sentiamus impetus, furores, rabiem, atque rumo-

res et tumultus vacantium bellis. Preterea ferrea describitur domus, ut locorum munitiones, circa que bellum geritur, sentiamus, que ferree sunt, id est armatorum hominum plene, et gladiatorum atque telorum; que quidem, eo quod in malum ut plurimum agantur, solis contristant iubar, quia in bonum lux creata sit. Insuper radorum solis ab armis reflexorum aliquantulum livescit splendor, ex qua livedine aurea solis lux tristari et offuscarı paululum videtur. Demum ex ministris Martis primus ex regia prosiliens Impetus est, quo impatientes miseri postquam verbis semina belli videntur iniecta, ad arma discurremus, et hunc cecum sequitur Nephas, eo quod dum furioso agimur impetu, auferitur omnis rationis animadversio, qua sublata inconsiderate itur in homicidium, in incendium, in dispersionem bonorum et ruinas urbium; et sicuti rotatus ignis in ampliorem deducitur flammam, sic et inchoatum facinus, iras acuit et accendit male agentium animos; quos ideo rubentes describit, quia facies irati hominis ignea videatur, seu quia ex incenso sanguine oriantur. Sunt preterea hac in domo Martis, que ubicunque bellum geritur intelligenda est, exanguis Metus, quos ideo exangues dixit, quia consueverunt pallere metuentes, eo quod sanguis totus revocatus ad cor metuentis, liquerit partes exteriores exangues. Qui quidem metus, cum dubius sit eventus belli, non solum segnes occupat, sed aliquando strenuos pugiles atque duces variis agentibus causis. Sunt et ibidem Insidie, ideo tectos gerentes gladios, ut intelligatur insidiatis fraus; circa has plurimum artis oportet

habere duces, cum nil palam nisi maximo suo commodo insidiantes faciant. Dicit et inter Martis ministros esse Discordiam duplici gladio accinctam, ut sentiamus cum in hoc veniunt homines, ut non eque sentiant, sed in diversas tendant sententias, ab hac animorum diversitate unicuique parti arma suaderi et bellum in reliquam. Sunt et ibi innumerabiles Mine, que inflatorum hominum tela sunt, adeo ut non nunquam his tantum conficiantur bella, cum sepe minus faciunt homines qui magna minantur. Sic et ibidem tristissima Virtus est, quod ideo dicit, quia esto homo bellorum sit oculatus plurimum, sit robustus, et valens, sit audax et adversus incumbentia fortis, et constans, quoniam he virtutes in effusionem sanguinis, in dirutiones urbium, in predam tendunt, tristes esse videntur, eo quod in aliorum tristitiam operantur. Est cum aliis et letus Furor, et hoc ideo, quia sepius bellis interveniat, quem letum dicit, eo quod inter plenos cibo et potu et hinc letos, oriri consueverit. Raro enim ieiuno stomacho furentes cernimus. Mors etiam inter hos armata est, et cruento vultu, volens per hoc intendere crebras occisiones que in bellis fiunt, et sanguinis amplam effusionem, dum illam armatam et cruento vultu describit. Superest et ornatus templi, qui omnis tendit ad ostendendam victorum miseriam et triumphantium gloriam, qui quoniam satis patet omittendus est. Sic et Bellona de qua satis supra dictum est, ubi de Minerva armigera. Superest de incessu Martis pauca dicere, cuius initium a furore et ira, qui eius comunt cristas, esse videtur, quod his urgentibus

absque impetu esse non potest, et hoc supra descriptum est, sed hos ideo Martis comere, id est ornatas reddere cristas, id est arma, dicit, ut intelligamus quod cum arma ad inferendam et peragendam pugnam facta sint, tunc splendida videntur cum impetuose operantur. Nam in segni et miti milite flere dicuntur. Pavorem autem dicit equos Marti parare, et eius esse armigerum, eo quod seu advenientium hostium, seu circa strepentium timore equos summamus et arma. Fama autem equos Martis, id est advenientis belli, precedit, fere semper facta et infecta referens, que omnia a timidis expectantibus creduntur facile et augentur. Hunc tam immanem trucemque virum amore Veneris fuisse implicitum volunt, seu velint armigerorum morem, seu naturalem huius passionis vim, seu hystoriam sub fictionis huius fabule tegere, de quibus omnibus tangentes expediemur paucis. Bellicosos homines hac urgeri peste multos legimus. Centauri volentes Perithoi coniugem rapere, bellum cum Lapithis habuere. Nessus ob dilectam nimium Deyaniram ab Hercule occisus est. Et Hercules ipse monstrorum domitor amoris Yolis succubuit. Sino Jovis ineptias potius quam amores. Initium discordie Agamenonis et Achillis subtracta ab Agamenone Achilli Briseida causa fuit. Pyrrus ob nimium dilectam Hermionem Horestis gladio periit. Sanson victus amore Dalile orbatus est et in servitutem redactus. Davit ob amorem Bersabee Dei oblitus adulterium commisit et homicidium. Salomon ob Egyptiam, cultu veri Dei omisso, ydolis immolavit. Cleopatra Antonium funditus depravavit. Quid

multa ex antiquis referam? Vidi ego duces bellorum plures, dummodo suaderet etas adeo mulierum quarundam amore deperditos, ut fere videretur monstrum, tam grandem muliebris amoris mollitiem inter tam continuas et asperas bellorum curas in eodem pectore simul posse consistere, quod volentes veteres sub fictione velare hunc fabulam bellorum patris et lasciviarum matris condidere. Si autem acutius velimus sensum huius fictionis excutere, arbitror intelligi posse pro Venere concupiscibilis appetitus, Vulcano ignis deo, id est, calori naturali, matrimonio, id est indissolubili vinculo alligatus; hic more ignis dum in maius incendium nititur, Martem tanquam ferventissimum amare dicitur, et ab eo tanquam sibi simile amatur, et in idem desiderium iunguntur lascivientes, quod a Sole, id est a sapiente viro dum cernitur redarguitur, et excedens iusto calori accusatur. Verum dum in contrarium, fervor inordinate concupiscentie fertur, fit ut occultis vinculis, id est cogitationibus atque delectationibus lascivis artius alligetur insipiens, a quibus effeminatus solvi non possit, et iam palam factis obscenis commixtionibus a sapientibus rideatur. Neptunus autem qui solus pro captivis interponitur, lascivio fervori contrarius effectus est. Quo uti ab aqua ignis, sic ignominiosus amor extinguatur, et dum velit qui patitur catenata ratio relaxatur. Leontius dicebat Omerum non solum hos intellectos habuisse, quin imo cum illis hystoriam etiam recitasse. Vulcanum scilicet Jovis et Junonis filium et Lemni dominum Ve-

nerem Dyonis filiam speciosissimam mulierem habuisse coniugem; qui cum esset forma turpis homo et speciosissimum iuvenem haberet armigerum, quem dicit opinione quorundam Neptunni fuisse filium, contigit ut a Venere coniuge diligeretur, et in eius iret concubitus. Quod cum clam ad aures pervenisset Vulcani, voluit ante videre quam credere, et dum se longe iturum finxisset, incautos invicem cepit amantes. Sed armiger claudi manus fugiens evasit facile. Ipse autem cum perdit amaret coniugem, in eam sevi aliquid agere ausus non est, a querelis tamen nequivit desistere. Quas Neptunus patruus intuitu filii longa persuasione sopivit. Huic his explicitis ideo attribuitur currus, quia more veteri pugnantes curribus uterentur. Lupus vero ob id illi dicatus est, quia rapax et ingluviosum sit animal, ad insatiabilem voracitatem sequentium castra monstrandam. Cui ideo picus attribuitur avis, quia ut plurimum bellorum homines auguriis et auspiciis intenti sint, et quia ex quibuscunque contingentis confestim omina summant. Seu quia, uti rostro picus assidua percussione etiam robora penetret, sic et armigeri continua demolitione aut certaminum continuatione, menia penetrent civitatum. Gramen autem illi ideo sacrum dicit Albericus, quia hec herba, secundum Plinium, ex humano sanguine procreatur, et inde ut idem dicit, Romani rem bellicam agentes, Marti sacrum facturi aram construebant gramineam; quod ego ridiculum reor, ut gramen ex sanguine tantum humano oriatur, sed aliunde illud Marti dicatum habuisse originem puto; nam cum consueverint belligeri

homines in expeditis locis libentius castra locare, et ob id ut plurimum in locis gramineis, que ex consulto ab agricultoribus non coluntur, eo quod in se gramen omnem terre humorem attrahat, et satis nullum vel modicum linquat, a Romanis et forsan a priscis inventum est, ad ostentationem virtutis benemeriti pugnatoris, eos herba graminea coronare, qui armorum vi castra primi intrassent hostium. Martem preterea et aliis vocavere nominibus, ut Mavortem, et Gradivum ob id, ut ait Rabanus in libro De origine rerum, quia per viros bellatur, ut sit mas martis; et paulo post dicit: item Martem quia effectorem mortium; nam a Marte mors nuncupatur. Gradivum ideo quod gradatim bello inferantur qui pugnant aut quod impigre gradiuntur etc. Mavortem autem sunt qui dicant eum dictum, quasi magna vertentem, quia ob bellum maxima conterantur. Sane ut appareat poetas suis in fictionibus phylosophos imitari, libet apponere quid de Marte senserint olim astrologi, et is potissime qui maximi apud eos nominis fuit Albumasar. Est autem Mars iuxta huius sententiam natura igneus, calidus et siccus repentinus, laudis et glorie cupidus, iracundus, iniqui iudicii, depredator, callidus, scelestus, impius, incostans, improvidus, preceps, incompositus in loquendo atque obscenus, in respondendo festinus, ferox, incontinenens, protervus, ornamentorum dilector, religionum spretor, infidus, mendax, periurus, malorum operator assiduus, dissipator bonorum, instabilis, et obstinate pertinacie, inverecundus, laboriosus,

impiger, derisor, fornicator, et fedi coitus appetitor. Significat iuventutem, fortitudinem, ignem, combustiones, militiam et societates regum, instrumenta bellica, latrocinia, ruinas, abscisiones viarum, torturas, captivitates, timores, iurgia, iniurias, curatores vulnorum, magisteria ferri, effosores sepulcrorum, nudatores cadaverum, et similia. Ex quibus facile comprehenditur, quantum poesis cum philosophia conveniat. Que quidem, rex inclite, nolo propter te putes apposita; iam diu auditu cognovi, quoniam astris familiarissimus esses et eorum optime nosceris proprietates, sed ut his obsequer, qui, te preter, hec forsani lecturi sunt.

CAP. IV.

De Cupidine I Martis filio, qui genuit Voluptatem.

Cupido, ut ait Tullius in libro De naturis deorum, Martis et Veneris fuit filius. Quem insipide veteres modernique ingentis potentie deum volunt. Quod satis patet carmine Senecæ tragedi, qui de eo in tragedia Ypoliti sic dicit: Et iubet celo Superos relicto Vultibus falsis habitare terras: Thessali Phebus pecoris magister Egit armentum, positoque plectro Impari tauros calamo vocavit. Induit formas quotiens minores Ipse qui celum nebulaeque ducit: Candidas ales modo movit alas etc. In quibus satis, quam grandis sit Cupidinis potentia, designatur. Nec minus ostenditur ea in fabula, quam de eo refert Ovidius; dum illum

dicit ob Danis pulchritudinem Apollinem Phytonis victorem aurea vulnerasse sagitta et Danem plumbea, ut amaret ille hanc, illa autem hunc haberet odio. Eius autem formam sic describit Servius: Etate puerum, nudum, et alatum, et accinctum pharetra, arcum sagittasque gestantem. Rabanus addit et facem. Franciscus autem de Barbarino non postponendus homo, in quibusdam suis poematibus vulgaribus, huic oculos fascea velat, et gryphis pedes attribuit, atque cingulo cordium pleno circumdat. Apuleius autem, ubi De asino aureo, eum describit formosissimum dormientem sic: Cum videlicet capitis aurei genialem cesariem, ambrosiam temulentiam, cervices lacteas, genasque purpureas, pererrantes crinium globos decoriter impeditos, alios antependulos, alios retropendulos, quorum splendore nimio fulgurante et ipsum lumen lucerne vacillabat per humeros volatilis dei, penne roscide micanti flore candicant, et quamvis alis quiescentibus eximie plumule tenelle ac delicate tremule resultantes in quiete lasciviunt, ceterum corpus glabellum atque luculentum, et quale peperisse Venerem non peniteret etc. Refert preterea Auxonius ex hoc fabulam satis longo carmine scriptam, quam pictam ait Treviris in triclinio Zoyli; Cupidinem scilicet inter myrteta Herebi casu evolasse, quem cum cognovissent Heroides mulieres, eius ob causam dira supplicia, et inhonesta desideria atque mortes passe, facto agmine confestim in eum surrexere, et frustra conantem exercere vires, eum cepere, atque in excelsam

ibidem myrtum cruci affixere, suas inde pendenti ignominias iniciantes, quas inter dicit et advenisse Venerem increpantem eum eique Vulcani catenas improperantem, et supplicia seva minantem; quibus commotis aliis, remissis suis iniuriis, a Venere veniam illi impetravere, eumque sustulere de cruce, et ipse evolavit ad Superos. Referuntur et insuper plura, quibus omissis, dictorum perscrutandus est sensus. Fuisse enim Cupidinem Martis et Veneris filium et insignem pulchritudine lascivique moris satis possibile reor. Verum de hoc minime sensere fingentes, et id circo quis talis ex his oriri potuerit inter opiniones maiorum investigandum est. Est igitur hic, quem Cupidinem dicimus, mentis quedam passio ab exterioribus illata, et per sensus corporeos introducta et intrinsicarum virtutum approbata, prestantibus ad hoc supercelestibus corporibus aptitudinem. Volunt namque astrologi, ut meus asserebat venerabilis Andalo, quod, quando contingat Martem in nativitate alicuius in domo Veneris, in Tauro scilicet vel in Libra reperiri, et significatorem nativitatis esse, pretendere hunc, qui tunc nascitur, futurum luxuriosum, fornicatorem, et venereorum omnium abusivum, et scelestum circa talia hominem. Et ob id a phylosopho quodam, cui nomen fuit Aly, in Commento quadripartiti, dictum est, quod quandoque in nativitate alicuius Venus una cum Marte participat, habet nascenti concedere dispositionem phylocaptionibus, fornicationibus atque luxuriis aptam. Que quidem aptitudo agit, ut

quam cito talis videt mulierem aliquam, que a sensibus exterioribus commendatur, confestim ad virtutes sensitivas interiores deferitur, quod placuit; et id primo devenit ad fantasiam, ab hac autem ad cogitativam transmittitur, et inde ad memorativam; ab istis autem sensitivis ad eam virtutis speciem transportatur, que inter virtutes apprehensivas nobilior est, id est ad intellectum possibilem. Hic autem receptaculum est specierum, ut in libro De anima testatur Aristotiles. Ibi autem cognita et intellecta, si per voluntatem patientis fit, in qua libertas eiciendi et retinendi est, ut tanquam approbata retineatur, tunc firmata in memoria hec rei approbate passio, que iam amor seu cupido dicitur, in appetitu sensitivo ponit sedem, et ibidem variis agentibus causis, aliquando adeo grandis et potens efficitur, ut Jovem Olympum relinquere, et tauri formam summere cogat; aliquando autem minus probata seu firmata labitur et adnichilatur; et sic ex Marte et Venere non generatur passio, sed, secundum quod supra dictum est, homines apti ad passionem suscipiendam secundum corpoream dispositionem producuntur; quibus non existentibus, passio non generaretur, et sic large summendo a Marte et Venere tanquam a remotiori paululum causa Cupido generatur. Sane in excusationem sue imbecillitatis hanc pestem mortales miseri pressi passione hac potentissimum finxere deum, quos in Ypolito Seneca poeta tragicus detestatur, dicens: Deum esse amorem turpi servitio favens Finxit libido, quoque liberior foret Titulum furori numinis falsi addidit, Natum per omnes et celerem terras

vagum Ericina mittit; ille volans per celum Proterva tenera tela molitur manu Regnumque tantum minimus in superis habet. Vana ista demens animus ascivit sibi Venerisque numen finxit atque arcus dei. Quisquis secundis rebus exultat nimis Fluitque luxu etc. Hunc insuper puerum fingunt, ut etatem suscipientium passionem hanc et mores designent; iuvenes enim ut plurimum sunt, et more puerorum lasciviunt, nec satis sui compotes, quo passionis impellit impetus, potius quam quo ratio iusserit, efferruntur. Alatus preterea dicitur, ut passionati instabilitas demonstretur; facile enim credentes cupientesque de passione in passionem evolant. Arcum atque sagittas ideo ferre fingitur, ut insipientium repentina captivitas ostendatur; nam in ictu fere oculi capiuntur. Has aureas esse dicunt et plumbeas, et aureis amorem, plumbeis autem odium inferri, ut amantium ostendatur opinio. Volunt enim nonnulli ob passionem hanc iuvenes alias torpentes et exotici, in virtutem moresque claros conari, facetiis et urbanitatibus vacare, lautos comptosque incedere, cantu et choreis delectari, liberales effici, et huiusmodi que ad splendorem vite videntur spectare, et ideo auream hanc, quia splendidum aurum sit, et vice versa plumbum, eo quod grave et quodam modo iners metallum videatur et obscurum, habet odium procreare, ex quo tristitia et animorum afflictio nascitur, et iuvenum torpor, eo quod intra limen teneantur, metu seu cogitationibus graventur noxiis, et huiusmodi. De gestis autem reliquis in Phebum et Da-

nem, ubi de Dane supra dictum est. Facem autem id illi superad-
dunt, ut ostendatur quia hec passio non nunquam tanto fervore
incendat patientium animos, ut illos non solum ad suspiria cogat,
sed etiam in anxietatem exustioni similem impellat. Oculos vero
illi fascia tegunt, ut advertamus amantes ignorare quo tendant,
nulla eorum esse iudicia, nulle rerum distinctiones, sed sola pas-
sione duci. Pedes autem gryphis illi ideo apponuntur ut declare-
tur quoniam tenacissima sit passio, nec facile inerti impressa ocio
solvitur. Eum cruci affixum, si sapimus documentum est, quod
quidem sequimur, quotiens animo in vires revocato, laudabili
exercitio molliciem superamus nostram et, apertis oculis, pro-
spectamus quo trahebamur ignavia. Quod si ceperimus nec per-
ficiemus, erit error novissimus peior priore.

CAP. V.

De Voluptate filia Cupidinis.

Voluptas, ut ait Apuleius, Cupidinis atque Psycis filia fuit,
cuius generationis fabula supra, ubi de Psyce, latissime dicta est.
Cuius figmenti ratio aperietur facile. Cum enim contingit nos ali-
quid optare, et optato potimur, procul dubio obtinuisse delecta-
mur; hanc delectationem prisci voluptatem vocavere.

CAP. VI.

De Enomao II^o Martis filio, qui genuit Hyppodamiam.

Enomaus rex fuit Elydis atque Pise, et, ut Servio placet atque Lactantio, Martis fuit filius. Sane ego bellicosum fuisse hominem arbitror, et ob id fictum Martis filium. Constat enim eum adversus Pelopem bellum habuisse, et a Pelope superatum, et cum secum venisset in pacem, eidem Hyppodamiam filiam suam concessit in coniugem.

CAP. VII.

De Hyppodamia Enomai filia et Pelopis coniuge.

Hyppodamiam dicit Servius filiam fuisse Enomai regis, et cum formosissima peteretur a multis, essentque Enomao velocissimi equi, ut qui ex ventorum flatu creati fuerant, ab Enomao petentibus talis apposita condicio est, ut scilicet curule deberent inire certamen, et superati necarentur, victor autem potiretur optato. Et cum iam multos in mortem dedisset, advenit Pelops Tantalus regis filius, clara floridus iuventute, petitque coniugium virginis, dispositus subire certamen. Hyppodamia autem cum vidisset Pelopem, formositate eius capta, Myrtilum aurigam patris pactione primi coitus corrumpit. Alii vero dicunt clam a Pelope fuisse hac eadem pactione corruptum. Myrtilus autem axem currus fecit ex cera, et sic, dum essent in stadio, fracto axe currus

Enomai Pelops victor evasit; et sic coniugio Hyppodamie potitus est. Dicit Barlaam in annalibus Grecorum legisse Pelopem ob negatam sibi Hyppodamiam, adversum Enomaum inisse bellum, et Enomaum fraude Myrtili prefecti sui superatum. Qui Myrtilus cum precium fraudis postularet a Pelope, ab eodem in mare deiectus periit. Hec Pelopi viro suo peperit Atridem, Thyestem, Phystenem et alios.

CAP. VIII.

De Thereo III^o Martis filio, qui genuit Ythim.

Thereus rex Tracum fuit, et, ut ait Theodontius, filius fuit Martis ex nynpha Bystonide per vim ab eo oppressa, quod in parte scribit Ovidius dicens: Quem sibi Pandion opibusque viri-
sque potentem Et genus a magno ducentem forte Gradivo Con-
nubio Progne iunxit etc. Ex hoc talis hystoria cum fabuloso fine narratur. Cum fatigasset Thereus bello Pandionem Athenarum regem, et in pacem tandem venisset, ut firmior esset, Prognem eius filiam, natu maiorem, sumpsit in coniugem. Que cum iam illi Ythim filium peperisset, venissetque in desiderium videndi Phylomenam sororem suam, oravit ut mitteretur Athenas, aut ab Athenis accersiretur Phylomena. Thereus autem Athenas vadens a Pandione impetravit, ut Phylomenam ad Prognem duceret. Quam speciosissimam virginem cum adamasset Thereus, eam in

pastorali domo violenter oppressit; et minitanti se eum accusaturam Progni linguam abscidit, et in domo illa clausa servavit, et veniens sordidatus ad Prognem Phylomenam maris nausea mortuam dixit. Phylomena vero, carceris affecta tedio, in tela que sibi contigissent omnia acu scripsit et per ancillulam sorori misit. Que cum ficta letitia dolorem occultasset suum, instantibus orgiis Bachi, noctu, nam eo tempore a Bystoniis mulieribus celebrabantur, tyrsis et pellibus ornata intravit silvas, et Phylomenam eque ornatam eduxit in regiam, et accensa furore, cum multa excogitasset in virum, in Ythim parvulum filium illi applaudentem evomit iras, eumque secto iugulo interemit, et coctum viro mane de more epulanti apposuit. Qui cum sepius rei inscius illum vocasset, eique respondisset continue Prognēs: adest; nec intelligeret ille, antequam a mensa consurgeret, Phylomena ex conclavi exiens illi in hoc servatum filii caput apposuit. Qui repente hinc inde commotus, dum illas insequeretur gladio, factum est miseratione deorum, ut Prognēs in irundinem verteretur, et pullo in habitu propria tecta servaret. Altera vero, in avem sui nominis mutata, silvas petiit quas nocte reliquerat. Thereus autem upupa factus est; et sic omnis regia transformata. Sensus autem fictionum, secundum Barlaam sententiam, talis est. Fuit Thereus homo impius et ferox, nil nisi per bellum cupiens aut summens, et ob id Martem meruit in patrem, cum filius fuit Astogiri Bystonidum principis. Qui quidem cum ob suum facinus nil auderet in coniugem, et ipsa ob ruborem perpetrate sevitie nunquam

in regiam descendisset, sed nigra tecta veste in sublimiori domus parte suum defleret scelus, et sororis infortunium. Huius mutationis causam dedit, sicuti et Phylomena tam nomine quam re-ditu in silvas. Thereum autem ideo in upupam versum dixere, quia et cristata sit avis, et ululare cantus eius sit, et stercora cibus, ut per cristam insigne regii capitis **designetur**, et per ululatum filii perditī lamentationes, et per fetidum cibum aspernanda atque fastidiosa memoria comesti nati.

CAP. IX.

De Ythi Therei filio.

Ythis Therei et Prognēs fuit filius, cuius etas et infortunium satis supra scriptum est. Aiunt enim eum in aviculam quam carduelem vocant mutatum, et hoc potius ab habitu infantie sue sumptum credo, quam aliunde; picta quidem avis est carduelis, uti et picturatas acu vestes ferre videmus infantes nobilium.

CAP. X.

De Ascalapho IIII^o et Jalmeno V^o filiis Martis.

Ascalaphus et Jalmenus fratres, filii fuerunt Martis ex Astochia, ut in Yliade placet Omero dicenti sic: Τῶν ἡρώων

Ἀσκαλαφος καὶ Ἰάλμενος υἱες Ἄρης, Οὓς τέκεν
 Ἀστυόση δόμο Ἄκτορος Ἀζειδαο, Παρθέ αἰδοίη
 ὑπερώων εἰσαναβάσα Ἄρηϊ κρατερῶ ὁ δέ
 παρελεξατο λάθρη, etc. [Que latine sonant]: Illis dominaba-
 tur Ascalaphus et Jalmenus, filii Martis, quos genuit Astiochi in
 domo Actoris Azidao virgo venerabilis: Palatium cum ascendit
 Mars fortis, hic autem cum ipsa iacuit clam. Hos autem dicit
 Omerus, ubi supra, dominos fuisse Asplidonis et Orcomeni, ac
 Mimionis civitatibus, et cum Grecis Troiam venisse cum XXX
 navibus. Ego autem, ut de reliquis dictum est, pugnaces fuisse
 iuvenes arbitror, et ideo Martis filios habitos ab antiquis.

CAP. XI.

De Parthaone VI^o Martis filio, qui genuit Agrium et Melam e Thestium et Oeneum.

Parthaon, ut ait Theodontius, filius fuit Martis ex Meroe, pa-
 tremque eius alio nomine Meleagrum appellatum, et Calidonie
 regem. Paulus autem dicit hunc Martis fuisse filium ex Sterope
 filia Athlantis. Lactantius autem dicit hunc non Martis fuisse fi-
 lium, sed Meleagri Martis filii. Tandem Theodontius dicit verum
 esse Parthaonem filium fuisse Meleagri ex Merope Ethola vir-

gine, sed quoniam Meleager primus armis sibi occupaverit Calidonium atque tenuerit, cum Jovis Archadis filius fuerit, Mars a rudibus incolis et creditus et appellatus est, et inde Parthaon Martis filius dictus. Huius quidem genologiam Omerus in Yliade, introducens Dyomedem loquentem, designat, ostenditque Parthaonem tres filios habuisse, Agrium, Melam, et Oeneum, sed Theodontius his superaddit quartum, Testium scilicet, ab Omero minime nominatum.

CAP. XII.

De Agrio et Mela filiis Parthaonis.

Agrius et Melas, ut supra dictum est, Omero teste, fuerunt filii Parthaonis. De quibus nil preter nudum nomen ad nos usque pervenit.

CAP. XIII.

De Testio Parthaonis filio, qui genuit Thoseum et Plexippum et Alteam.

Testius, ut dicit Theodontius, filius fuit Parthaonis ex Calidone nynpha. Paulus vero dicit ex Altea, et Alteam filiam sic dictam, quia dum nasceretur ipsa, labore partus mortua mater sit,

nec de eo preter hoc habetur ulterius, nisi quod Alteam genuerit et Thoseum et Plexippum.

CAP. XIV.

De Thoseo et Plexippo Thestii filiis.

Thoseus et Plexippus Testii fuerunt filii, ut predictum est. Qui quidem cum iuvenes essent robusti, etate valentes et animo, una cum reliquis nobilibus iuvenibus Grecie in venationem apri Calidonii cuncta, ut refert Ovidius, vastantis venire; ibique, cum post longum laborem beluam interemissent, cernentes quod Meleager Oenei regis filius eorum nepos et venationis princeps caput apri Athlanti virgini, quia prima vulnerasset illum, dedisset, ut tanquam prima feriens ritu venantium precipuo venationis decoraretur honore, illud illi indignantes, quod tanti laboris inter tot nobiles iuvenes femina primo insigniretur honore, eripuerunt. Quam ob causam turbatus Meleager in illos irruens, subtracto capite, eos interemit renitentes, et virgini sublatum honorem restituit.

CAP. XV.

De Althea filia Testii et matre Meleagri.

Altea Testii fuit filia, et de matris nomine pereuntis, dum eam pareret, nuncupata est, ut satis predictum est. Hec Oeneo regi Calidonie nupsit, cui cum inter alios filios Meleagrum peperisset, eo nato vidit audivitque Fata circa ignem dicentia: tam diu natum victurum quam diu stipēs unus, qui tunc ardebat in igne, permaneret inconsuptus ab igne; quo dicto discedentibus Fatis, Altea, e lecto surgens, confestim subtraxit ab igne atque servavit. Porro cum sacrificans ob onorem Meleagro ex venatione consecutum, et interim audisset ab eodem fratres occisos, furore percita, in vindictam se dedit precipitem, et arrepto fatali stipite, quem caute illo usque servaverat, igni comburendum exhibuit, quo consumpto, filius Meleager occubuit. Quod cum audisset infelix, facti penitens, in gladium irruit, et vitam miserrime terminavit. Stipitem hunc ego radicalem humidum arbitror, nature lege factum, ut eo durante vita nascentium perseveret, qui a matre, id est a rerum natura, igni, id est siccitati impositus, ut pereat natus necesse est.

CAP. XVI.

De Oeneo Parthaonis filio, qui genuit Deyaniram,

Gorgem et Meleagrum et Tydeum ac Menalippum.

Oeneus Calidonie rex, ut supra dictum est, Parthaonis filius fuit, longe magis apud nos filiorum opere quam suo cognitus. Huic coniunx fuit Altea, et plures illi fuere nati, sed utrum ex Altea omnes non satis michi notum est, cum de alio quam de Meleagro legisse non recolam.

CAP. XVII.

De Deyanira Oenei filia, et Herculis coniuge.

Deyanira Oenei regis fuit filia, ut in morte Meleagri testatur Ovidius, dicens: Quas postquam Oenie tandem Latoida clade Exatiata domus preter Gorgemque nurumque Nobilis Alcmene etc. Hec virgo prestantissime forme fuit, adeo ut multi illam in coniugem exoptarent atque peterent; tandem cum Acheloo flumini promissa fuisset, et postremo Herculi poscenti desponsata, ortum ob ipsius nuptias certamen est, et superato Acheloo, Herculi cessit. Hec preterea a Nesso centauro summe adamata, et in transitu fluminis rapta, ut clarius ubi de Nesso. Qui cum sagitta ab insequente Hercule letaliter vulneratum se sciret, in amoris premium vestem Deyanire venenato sanguine respersam dilecte dedit, asserens vestimento vim esse revocandi Herculem a quibuscunque amoribus. Que cum credula clam servasset, capto

amore Yolis Herculi transmisit induendum, ut illum ad se revocaret; attamen cum illud Hercules induisset et sudore siccum cruorem resolvisset, porisque hausisset apertis, vi urgente veneni, in rabiem versus, sese dimisit in ignem, et mortuus est. Et sic Deyanire uxoris munere interiit. Theodontius dicit bellum habitum cum Acheloo huiusmodi fuisse, quod cum desideraret Hercules Deyaniram, et Achelous fluvius Calidoniam duobus alveis fere omnem aliquando irrigaret, et sata omnia secum traheret, ab Oeneo Herculi petenti hac sub condicione concessam, si Acheloum in unum cogeret alveum, et illum sepiet aggeribus; quod cum non absque maximo labore fecisset Hercules, Acheloo superato, Deyaniram obtinuit.

CAP. XVIII.

De Gorge Oenei filia.

Gorgem Oenei fuisse filiam testimonio Ovidii premonstratum est. Theodontius vero dicit Gorgem non feminam, sed hominem fuisse, et in bello Thebano occubuisse.

CAP. XIX.

De Meleagro Oenei filio, qui genuit Parthenopeum.

Meleager filius fuit Oenei regis Calidonie et Altee, in nativitate cuius refert Ovidius Parcas tres ab Altea iam labore partus soluta visas, circa ignem stamina nentes, et cum flammis ligni stipitem posuissent, dixere: O nunc nate, erit equa tibi cum hoc stipite vita. Quod cum audisset Altea, eis discedentibus, surgens stipitem igni subtraxit, illumque ne combureretur cum diligentia servavit. Fuit hic Meleager iuvenis insignis, et evo suo fama clarissimus; et eodem Ovidio referente contigit, quod Oeneus pater ex susceptis frugibus cunctis Superis sacro instituto honores impenderet, Diana tantum, seu indignatione seu oblivione omissa. Que adversus eum turbata, aprum immanem agris Calidoniis immisit cuncta vastantem. Ad quem conficiendum, cum vocatu Meleagri convenissent omnes adiacentium civitatum insignes iuvenes contigit ut et Athlas virgo Cenei filia, seu secundum alios Jasii regis, forma et etate conspicua, et venationum experta etiam advocata veniret. Quam cum extemplo Meleager adamasset, factum est, ut inita venatione, cum omnes in aprum irruerent, hec ante alios omnes illum iaculo vulneraret. Qui postquam captus et occisus est, Meleager venationis princeps seu amore ductus, seu quia sic expetebat usus, Athlanti, que illum prima vulneraverat, apri caput transmisit; Lactantius addit et pellem, qui precipuus apud venatores habebatur honor. Quod egre ferentes Plexippus et Thoseus, seu ut dicit Lactantius, Agenor, fratres Altee,

eidem Athlanti caput oblatum abstulerunt, seu auferre conati sunt. Quam ob rem iratus Meleager in eos irruit et illos occidit. Ceterum cum Calidones ob mortem apri festum ingens celebrarent, et dona portarent templis, et inter eos Altea tam ob mortem hostis quam ob gloriam filii letabunda incederet, audita fratrum cede, repente turbata est, et in vindictam potius quam in lacrimas irruens, fatali sumpto stipite, eum in flammam iniecit. Quo consumpto et Meleager consumptus occubuit. Omerus in Yliade, ea in oratione, in qua Phenix conatur persuadere Achilli, ut arma capiat adversus Troianos, longum de Meleagro Oenei filio sermonem facit, et dicit, quod, cum ob homicidium avunculorum suorum plurimum ab Altea matre obsecraretur, indignatus, cum venirent hostes usque in vallum Calidonie civitatis nollet arma summere, sed cum Cleopatra Marsippe Ydei Eiunei filia, quam etiam Alcionem vocant, eo quod Alcionem aviam suam persepe ploraret, delectabatur inclusus thalamo, que post mortem fieri non poterant. Attamen ex his, qui eum ob cedem avunculorum mortuum putant, sunt qui credant eum non stipite consumpto, sed matris conspiratione occisum. Barlaam ab ea fuste dum dormiret occisum dicit. Paulus vero casu eum post gloriam interempti apri mortuum putat, et inde fabule locum adinventum fatati stipitis, quem dicit radicalem humidum arbitrari, quo deficiente, deficit et vita. Quacunque tamen morte, vel quandocunque absumptus sit ab omnibus, arbitrari videtur eum Athlantis amicitia usum, et ex ea Parthenopeum filium suscepisse. Fuit

enim Meleager et venatio hec famosa, ut testatur Eusebius in libro Temporum, Atreo et Thieste regnantibus Micenis anno mundi IIII^o.

CAP. XX.

De Parthenopeo Meleagri filio.

Parthenopeus filius fuit Meleagri et Athlantis. Quam dicit Theodontius filiam fuisse Jasii regis Archadie, et cum esset acris propositi virgo, coniugiumque renueret, Dianam in venationibus secuta est, tandem probitate victa Meleagri eius usa contubernio, illi Parthenopeum peperit, quem eo quod diu celaverit sic appellatus a matris putata virginitate; nam Grece parthenias virgo seu virginitas sonat. De pulchritudine huius et matris eventu, re cognita, sic scribit Statius: Pulchrior haud illi triste [ad] discrimen ituro Vultus et egregie tanta indulgentia forme; Nec desunt animi, veniat nunc fortior etas, Quas non ille duces nemorum fluviisque dicata Numina, quas magno non impulit igne Napeas? Ipsam, Menalia puerum cum vidit in umbra, Dianam, tenero signantem gramina passu, Ignovisse ferunt comiti, Dicteaque tela Ipsam et Amicleas humeris aptasse pharetras etc. Huic autem cum plus esset animi quam virium, adolescentulus nondum pubes, plurimo belli succensus amore, audiens Argivos duces in Thebas ituros, ignara matre, convocatis populis cum Adrasto

rege reliquisque in obsidionem Thebarum venit, et ibidem in pugna vulneratus occubuit. Ceterum de isto longe aliter sentit Servius. Dicit enim eum Melanippe et Martis, sive Melamonis fuisse filium et Arcadie regem, et puerum admodum Thebana bella secutum, ut dictum est.

CAP. XXI.

De Tydeo Oenei filio qui genuit Dyomedem.

Tydeum Oenei regis fuisse filium Statius clare confirmat, dicens: Sanguis hebet luctu, magni de stirpe creatum Oeneos et Marti non degenerare paterno Accipies etc. Hoc etiam ceteri videntur asserere, sed de matre quidam dissentiunt. Nam Lactantius eum filium fuisse dicit Altee. Servius autem Euriboe. De hoc insuper clara recitatur hystoria. Dicit ante alia Lactantius eum e Calidonia discessisse, quia Menalippum fratrem suum in venatione minus advertenter occiderat; et hinc sequitur Statius, quod multa iam nocte ymbribus atque procellis fatigatus in Argos civitatem venerit, ubi cum neminem nosceret, et refugium perquireret, quo pernoctare posset, ad regiam porticum venit, in quam paulo ante Polynices Thebanus, pactione cum Ethyocle fratre facta de annuo imperio successive, etiam madens devenerat, et equum suum locaverat, et cum non satis capax duorum

videretur locus ob mansionem, non cedente Pollynice, in iurgium devenire, et inde in certamen. Quod cum audisset Adrastus, descendens eos pacificatos deduxit in regiam; et cum advertisset Pollynicem leonis pelle tectum, et Tydeum apri, confestim ambiguum oraculi responsum quod consuluerat de nuptiis filiarum intellexit. Acceperat autem se illas daturum alteram leoni, alteram vero apro, et ideo cum iam eos cognovisset, quasi sibi missos generos, Thydeo Deyphilem iunxit, Pollynici autem Argyam. Ipsi quidem, paulo ante hostes, non solum affinitate sed amicitia integra evestigio iuncti sunt, adeo ut, veniente tempore, quo secundum pactiones Pollynices regnum a fratre debebat assummere, neminem ire legatum preter se ad repetendum pro Pollynice regnum Tydeus passus est; cui cum denegatum fuisset preter ius et fas redeunti, ut ait Omerus, et post eum fere ad literam Staius, insidie Ethyoclis apposite sunt. Et cum nocte in incautum quinquaginta milites irruissent, nulla ex parte territus, expedito gladio in eos conversus est, et post longam atque cruentam pugnam multis saucius vulneribus, uno excepto, omnes occidit. Tandem cum Adrasto et Pollynice iam uno ex Deyphile suscepto filio Dyomede ad obsidionem venit Thebarum convocatis amicis. Ibi autem, tanquam rem suam ageret, acriter sepe pugnans, die una a quodam Menalippo sagitta in mortem vulneratus est. Quod cum impatienter ferret seque acerbitate vulneris in mortem trahi nosceret, fere in rabiem versus sociis eius, qui eum vulneraverat, postulavit caput. Qui

postquam illud multo sanguine fuso obtinuerunt, eique detulerunt, ipse non aliter quam canis iam deficiens cervici dentes infixit, et illam dum bestiali ritu devoraret, occubuit. Hunc preterea, ut Lactantius refert, fuerunt qui ex Marte genitum dicerent, sumpta facie Oenei, nil aliud sentientes, quam Martem in natiuitate Tydei adeo potentissimum significatorem fuisse, ut ei in gestibus suis simillimus appareret.

CAP. XXII.

De Dyomede Tydei filio.

Dyomedes, ut satis vulgatum est, filius fuit Tydei ex Deyphile. Hic Etolorum dux cum ceteris Grecis ad obsidionem Troianam accessit. Apud quam adeo se strenue gessit, ut post Achillem et Ayacem Grecorum omnium fortior haberetur et audacior. Nam preter occisos reges a se, et singulares pugnas adversus Hectorem et Eneam, aliosque insignes Troianorum principes, et captos Rhesi equos, atque Palladium Troianis subtractum, eo in bello Martem vulneravit, ut testatur Omerus in Yliade, sic et Venerem Eneam protegentem, ut Omerus primo, deinde dicit Virgilius. Tandem cum, obtenta victoria, in patriam remearet, dicit Leontius, quod ab Egyale coniuge, que suasionem Nauplii patris Palamedis alteri adhererat homini, minime receptus est. Servius quidem dicit, quod cum ipse cognovisset Egyalem cum Cyllabaro

Steleni filio concubuisse, verecundia ductus domum noluisse reverti. Dicit insuper Leontius hoc illi imprecatum a Dyone fuisse, cum filiam vulneravit. Is tamen, indicto sibi exilio, ad partes Apulie sese contulit, et occupato Gargano monte, ut volunt aliqui, eius in radicibus Sypontum condidit civitatem; alii Arpum dicunt, et ibi cum multa passus fuisset, ut dicit Virgilius, socios in aves mutatos perdidit, et eo quod ossa Anchisis oraculo secum tulerit, dicit Servius eum ista perpeßum, et ob hanc causam illa restituit. Aristotiles autem, ubi scribit De mirabilium auditu, dicit, Dyomedem ab Enea per dolum occisum, et loca quibus imperaverat occupata. Eo tamen mortuo, ut asserit Augustinus, ab incolis deificatus est, eique templum constructum in insula cui Dyomedia ab eo nomen est, et post eius mortem socios ob dolorem necis eius in volucres versos, eosque templum incolere atque circumvolare; quod etiam affirmat Servius, dicens hos aves a Latinis vocari Dyomedias, a Grecis vero Erodios, dicens insuper eas Grecis ad Ytaliam venientibus applaudere atque letas occurrere, cum Latinos fugiant vehementer, eo quod sue originis memores sint, et quod a Latinis dux eorum sit occisus. Theodontius vero dicit, eas Grecis applaudere et ceteris nationibus esse infestas, et singulis annis aquam rostris portantes templum Dyomedis perfundere. Sed quid sub fictionibus lateat videndum est. Dyomedem Martem vulnerasse ideo dictum puto, quia forsitan cum Hectore pugnans, qui ob insignem militarem eius virtutem merito Mars dici poterat, illum vulneravit. Sic et Venerem,

quia Eneam Veneris filium vulnerasset. Socios autem in aves mutatos dicit Theodontius ideo fictum, quia pyrrate effecti sint adeo veloci cursu remorum suffragio discurrentes maria, ut volare videantur, eosque Grecis servatis reliquis nationibus fuisse infectos.

CAP. XXIII.

De Menalippo Oenei filio.

Menalippus, ut Lactantio placet, Oenei regis fuit filius. Hic in silvis, dum una cum Tydeo fratre venaretur, ab eodem inadvertenter occisus est.

CAP. XXIV.

De Zesio VII^o Martis filio.

Zesius, ut dicit Theodontius, Martis fuit filius ex Hebe iuven-tus dea susceptus, michi tamen omnino incognitus.

CAP. XXV.

De Flegia VIII^o Martis filio, qui genuit Coronim et

Ysionem.

Flegias, ut dicit Lactantius, filius fuit Martis, homo nequam elatus et in Superos fastidiosus. Hic autem, ut ait Servius, filios habuit Ysionem et Coronidem nynpham. Quam cum sensisset ab Apolline viciatam, confestim ira percitus templum eius Delphys incendit. Quam ob rem iratus Apollo eum sagittis interemit, eiusque animam apud Inferos religavit, hac sub pena, ut sub ingenti sedeat saxo ruinam minante, et semper illud casurum suspicetur et timeat. De quo sic ait Virgilius: Flegiasque miserrimus omnes Admonet et magna testatur voce per umbras: Discite iustitiam moniti et non temnere divos etc. Flegiam combussisse templum Apollinis, ut dicit Eusebius in libro Temporum, contigit Danai regis Argivorum anno XXIII^o, anno vero mundi III dcllii. Nunc quid veteres de impensa Flegie pena senserint videamus. Flegias autem dictus est a flegon, quod est flamma, et ideo Martis recte dicitur filius, quia calidus sit et siccus, et cui ardores et incendia competant. Quod autem apud Inferos <damnatus> sit, ea que dicta est pena, putat Lucretius, quod arbitrati sint veteres antequam ad corpora veniant apud Superos esse animas, et venientes in corpora, quoniam inferi sumus respective ad supercelestia corpora, eas descendere ad Inferos et ibidem varias habere penas secundum varias affectiones vel exercitia; et sic Flegias in hac vita inter mortales vivens ad hanc penam damnatus est. Quam talem intelligit Macrobius, ubi De

somnio Scipionis, sic dicens: Atram silicem lapsuram, et cadenti similem, illorum capitibus iminere, qui arduas potestates et infaustam ambiunt tyrannidem nunquam sine timore victuri et cogentes subiectum vulgus odisse, dum metuant, semper sibi videntur exitium excipere quod merentur.

CAP. XXVI.

De Coronide nympa filia Elegie et matre Esculapii.

Coronis nympa, ut ait Servius, filia fuit Flegie, que cum forma preclara esset placuit Apollini et ab eo viciata est, atque ex eius concubitu filium concepit, qui post modum Esculapius appellatus est. Hunc videtur arbitrari Tullius, ubi De naturis deorum, Valentis fuisse filium et secundi Mercurii fratrem. Quem ego existimo, quoniam in medicina clarus evasit, ideo Apollinis dictum filium, eo quod medicine deus Apollo dictus sit.

CAP. XXVII.

De Ysione filio Flege, qui genuit Centauros, quorum hec sunt nomina: Euritus, Nessus, Astilus, Ophionides, Grineus, Rethus, Orneus, Licidas, Medon, Pysenor, Taumas, Mermeros, Pholus, Menelas, Abas, Eurinomus, Yreos, Ymbrus, Ceneus, Aphydas, Elops, Patreus, Lycus, Cromis, Dictis, Phareus, Byanor, Nedianus, Lycetus,

*Ypason, Thereus, Rypheus, Demoleon, Plageon, Ylon,
Ephynous, Damus, Dorilas, Cyllarus, Yllonome femina,
Pheo, Tomus, Theleboas, Pyretus, Ethodus, Ephydapus,
Nesseus, Odites, Styphelus, Bromus, Antimacus, Elymus,
Pyramus, Latreus et Monicus, et alios. Et hos preter
genuit Perithoum.*

Ysion Flegie filius perhibetur a cunctis. Hunc aliqui volunt Jovis miseratione in celum assumptum et eius secretarium atque Junonis effectum; ubi elatus officio ausus est Junonem de stupro interpellare. Que Jovi conquesta, eius iussu nubem in sui similitudinem exornavit, Ysionique loco sui apposuit. Qui cum ea iacens, ex illa Centauros genuit. Et cum a Jove de celo fuisset deiectus in terras, ausus est apud mortales gloriari se Junonis potitum concubitu; quam ob rem ictus fulmine apud Inferos rote volubili et plene serpentum alligatus, continue revolutioni damnatus est; unde dicit Ovidius: Volvitur Ysion et se sequiturque fugitque etc. Huius autem figmenti ratio potest esse talis. Ysion Thessalus fuit et Lapitarum dominus, regni preter modum avidus, adeo ut per tyrannidem occupare conatus sit. Iunonem nunc aerem nunc terram diximus, et reginam regnorum atque divitiarum. Que in quantum terra et regnum in terris et aliquid stabilitatis videtur protendere; et in quantum aer, qui lucidus est, splendoris aliquid videtur addere regnis, qui tamen fugitivus est,

et in tenebras vertitur facile. Nubes autem solis opere ex vaporibus aqueis seu humentis terre surgentibus et in aere condensatis conficitur, natura sua caliginosa, visui sensibilis, manu autem incomprehensibilis, et nullis firmata radicibus, a ventis huc illuc leviter impellitur; et demum aut in aerem a calore resolvitur, aut in pluviam a frigore vertitur. Quid ergo ex dictis? Pro nube non regnum intellegimus, sed quoniam in Junonis effigiem apponitur id dicemus, quod in terris violentia possidetur, cui regni similitudo non nulla est, in quantum uti rex suis subditis dominatur, sic et is, qui violenter possidet, dum vires suppetunt, suis imperare videtur. Sed uti inter limpidum aerem et condensatam nubem grandis est differentia, sic inter regem atque tyrannum. Aer fulgidus est, sic et regium nomen, nubes obscura est, sic et caliginosa tyrannides. Regis amabile nomen, tyranni tetrum et odibile. Rex thronum conscendit suum regis insignitus notis, tyrannus occupat dominium, armis horridis circumseptus. Rex per quietem et letitiam subditorum, tyrannus per sanguinem et miseriam subiacentium. Rex pacem augmentumque fidelium totis exquirat viribus, tyrannus rem suam curat per exterminium aliorum. Rex in sinu amicorum quiescit, tyrannus, amicis fratribusque semotis, in satellitum scelestorumque hominum animam suam ponit. Quam ob rem cum in se, ut patet, diversissima ista sint, rex splendidus aer merito fingi potest, et ei est aliquid stabilitatis annexum, si quid dici potest stabile in caducis; ubi tyrannus respective turbulenta nubes est, nulle stabilitati annexa, et

que facile resolvatur, seu a furore subiacentium, seu ob desidiam amicorum. His premissis arbitror quid sibi velit fictio absque difficultate videbimus. Assummitur ergo tunc in celum Ysion, cum celsa animo contemplamur, ut puta regum purpuras, splendores egregios, eximiam gloriam, potentiam inexhaustam et que stultorum iudicio regum infinita sunt commoda. Nec immerito Jovis atque Junonis videmur secretarii facti, dum quod ad eos attinet, quasi ex specula deitatis, presumptuoso speculamur animo, et tunc in Junonis desiderium trahimur, dum hos regios fastus, aliud quam sint, stolido iudicio arbitramur. Tunc autem Junonem de stupro interpellat Ysion, quando nulla previa ratione, nullo iusto suadente titulo in id privatus homo conatus exponit, ut regno violenter presit. Sed quid sit, si forsitan aliquid perinde queritur? Illi nubes Junonis effigiem habens apponitur, ex quorum concubitu, occupantis scilicet, et occupati imperii illico nascuntur Centauri. Fuere quidem Centauri homines armigeri, elati animi, et immoderati, ac in omne nephas proni, uti satellites cernimus, et stipendiarios, et ministros scelerum, ad quorum vires fidemque confestim recurrit tyrannus. Qui ideo ex nube nasci dicuntur, quia ex substantiis umbratilis regni, id est subditorum eorum emunguntur stipendia, ex quibus in eorum exterminium impii nutriuntur. Demum Ysion a Jove in terras e celo pellitur, id est a natura rerum; postquam enim cupidus intravit dominium, omissis cogitationibus splendorum, quibus spe blanda et

fallaci existimatione oblectabatur, in anxias certasque trahitur curas, dum scilicet noscere incipit quibus laboribus, quantumcunque continuis et amaris plenum sit imperium. Hic insuper quoniam se cum Iunone concubuisse iactasset, id est se regem dicere ausus est, fulminatur a Jove, eo scilicet fulmine quo exuruntur insipidi, qui, dum se somniantes alis in celum evehi arbitrantur, somno excussi repente se comperiunt precipitados in terris. Nam dum turgido spiritu elati quantumcunque violentia populorum imperium teneant, in se redeunt stolidi ambitionis somnum ab oculis pellunt, advertunt quos angores intraverint, quas ambages, quos timores, quasque incognitas ante perplexiones, qua animadvertentia non aliter quam ab ignito fulmine cruciantur. Qui cruciatus, si pacto aliquo eo tenente tyrannidem finirentur, non apud Inferos supplicio rote volubilis damnaretur, sed quoniam in pectore talis absque quiete aliqua circulari motu assidue circumvolvuntur, et veteres innovantur, et nove superadduntur, dum hinc huius insidias, inde vires illius, illinc dei iudicium timidus expavescit, rote infixus volubili dicitur, que ideo plena serpentum fingitur, quia curis non solum assiduus, sed etiam mordacibus agitur. Seu aliter et brevius. Nubem regni dicemus fore spem sumptam, quam nonnulli sibi male suis viribus mensuratis certissimam faciunt. Que ideo similis Iunoni fingitur, quia speranti iam speratum possidere videtur, nec aliter secum quam si possideret de re sperata disponit, et hinc fit ut ex hac tam certa spe, ut effectum consequatur, sperans sibi vires preparat, et sic

agente spe, id est nube, Centauri oriuntur, id est preparantur, et cum ad consequendum opere, quod iam spe tenet insipidus, intrat labores adeo ut omittat cogitationes splendoras et in turbulentas deveniat necesse sit; et sic a Jove, id est a luce et splendore cogitationum, cadit seu deicitur in terras, et fulminatus vexetur in rota, ut dictum est. De hac autem rota aliter sensisse videtur Macrobius: Illos scilicet radiis rotarum pendere dstrictos, qui nichil consilio previdentes, nichil ratione moderantes, nichil virtutibus explicantes, seque et omnes actus suos fortune committentes, casibus fortuitis semper rotantur. Alii vero, ubi Ysion Jovis et Iunonis secretarius dicebatur, senserunt Ysionem augurem fuisse, eo quod in aere caperentur auguria, per que secreta, id est ea que futura sunt, solum a talibus cognosci credebantur. Quod autem ex nube genuerit Centauros, volunt nil aliud intelligi, quam quod precio satellitum fidem aucupent, que sic facile dissolvitur alio superveniente munere, ut nubes fit. Dicit preterea Fulgentius Dromocridem in Teogonia scribere, Ysionem in Grecia primum regni gloriam affectasse, et sibi centum equites primum omnium conquisisse, ex quo Centauri, id est centum armati. Sed ego miror Ysionem primum apud Grecos regnum optasse, cum constet ante tempora Ysionis multos fuisse Sycioniis et Argivis reges, qui et Greci sunt. Fuit enim Ysion, Danao imperante Argivis. Posset tamen hic responderi alios reges, qui eum precesserant sponte populorum quibus imperaverant, extitisse;

Ysion autem primus fuit, qui per vim et tyrannidem regnum occupare conatus est.

CAP. XXVIII.

De Centauris Ysionis filiis in generali.

Centauri Ysionis et Nubis filii fuere, ut premonstratum est. Hos volunt quidam apud Thesaliam equos ante alios domuisse, et insignes evasisse equites; et quoniam centum convenere invicem, Centauri dicti, quasi centum armati, vel centum Martes, nam Grece arios Mars est, seu potius centum aure; nam sicut ventus velociter evolat, sic et hi centum velociter currere videbantur. Verumtamen hec Latina ethymologia est, quam Grece dictiones minime patiuntur. Ex eis talem refert Servius fabulam: Quod cum quidam Thessalus rex, bobus oestro exagitatis, satellites suos ad eos revocandos ire iussisset, et illi cum cursu pedestri non sufficerent, ascenderunt equos, et eorum velocitate boves consecuti, eos stimulis ad tecta revocarunt. Sic hi visi, aut cum irent velociter, aut cum eorum equi circa flumen Peneon potarent capitibus inclinatis, locum fabule stulta credulitas adinvenit, qua arbitratum est unum esse animal ex equo et homine compositum, et sic semper postea pictum est. Hi tandem elati homines in nuptiis Perythoi cibo pleni vinoque madentes spon-

sam Perythoo auferre vi conati sunt, sed resistente Theseo superati. Virgilius autem eos dicit fuisse Lapytas. Eos autem superari atque deleri Mars passus est, eo quod illi sacrum non exhibuissent, cum diis ceteris adollescent. Quasi ex hoc velint, quia ommissa Martis severitate, epulis et potationibus vacantes effeminati sint, et sic superati. Si quid preter hoc ex eis hic fictionis haberetur, satis supra ubi de Ysione declaratum est.

CAP. XXIX.

De Eurito Ysionis filio.

Euritus ex Centauris unus, ut refert Lactantius, in domum Oenei regis Calidonie veniens, Deyaniram, quam paulo ante Hercules petierat et fidem prestaverat se illam in uxorem ducturum, postulavit in coniugem. Oeneus vim timens spopondit, et constituto die, dum nuptias Euritius celebraret, supervenit Hercules, et inito cum Centauris ibidem existentibus certamine, eos occidit, et Deyaniram sibi matrimonio copulavit. Ovidius vero non sic, quin imo dicit quod cum Perithous duxisset Yppodamiam coniugem, et posuisset in antro mensas Centauris, et ipsi epulantes vino plurimo caluissent, in lasciviam venere et audaciam nimiam, et capiente Euritio Yppodamiam atque trahente eam, insurrexit Perythous atque Theseus, et turbati casu adversus eum et socios inivere pugnam, et cum abstulisset Theseus

Yppodamiam Euritio, eum conantem manibus cratere sumpto interfecit.

CAP. XXX.

De Asthylo Centauro vate, Ysionis et Nubis filio.

Astilus ex Centauris fuit unus; et quoniam augurio valebat futura prenoscens, fratres monuerat ne bellum adversus Lapitas assumerent. Tandem cum se una cum eis in nuptiis reperiret, videretque Dryantem acriter insistentem cedentemque misere quos contingere poterat, et ex suis plures etiam fugientes, timens illius virtutem et ipse fugam cepit, Nessoque Centauro fugienti dixit, ut dicit Ovidius: Astylus: ille etiam metuenti vulnera Nesso: Ne fuge, ad Herculeos, inquit, servaberis arcus etc.

CAP. XXXI.

De Nesso Ysionis et Nubis filio.

Nessus ex Centauris famosissimus fuit. Hic cum versutus homo plurimum esset, et fuga manus evasisset Lapytarum, in Calidoniam abiit, et secus Ebum eiusdem regionis fluvium moram trahens, Deyaniram filiam Oenei regis amavit. Tractu vero temporis contigit, quod eunte Hercule a Calidonia versus

patriam una cum Deyanira coniuge, ab Ebena fluvio pluviis turgidus detentus est. Cui Nessus, quasi obsequio prestaturus, obtulit se, si natans vellet, transvadere fluvium Deyaniram in ripam alteram delaturum. Quod Hercules annuit; verum cum transvassset velociter Nessus, Hercule adhuc natante, ratus suo ardori concessum tempus, aura ocior cum Deyanira fugam arripuit. Hercules autem sumpto arcu, sagitta eum consecutus est. Qui dum se saucium cerneret et periturum agnosceret, ne inultus occumberet, novam commentus fraudem, confestim vestimentum sanguine suum perlitum exuit, et quasi munus amoris Deyanire dono dedit, hanc illi asserens esse virtutem, ut, si illotum servaretur, posset ab omni amore forensi in suum revocare Herculem, dummodo id ageret, ut illo indueretur Hercules. Quod credula Deyanira servavit, et post tempus, dum Herculem amore Yolis captum in suum revocare vellet, illum, ut latius in sequentibus exprimeretur, occidit. Nessus autem vestimento dato expiravit, ut vaticinium impleretur Astyli. Staius hunc Ebum fluvium ob mortem Nessi Centaurum cognominat. Et Lucanus de eo dicit: Et Meleagream maculatus sanguine Nessi Ebum Calidona secat etc.

CAP. XXXII.

De reliquis Centauris Ysionis filiis.

Phyonides, Grineus, Rethus, Orneus, Lycidas, Medon, Pyse-
nor, Taumas, Mermeros, Pholus, Menelas, Abas, Eurinomus,
Yreos, Ymbrus, Ceneus, Aphydas, Elops, Patreus, Lycus, Cro-
mis, Dictis, Phareus, Byanor, Nedyanus, Lyceus, Ypason, The-
reus, Rypheus, Demolcon, Plageon, Ylon, Ephynous, Damus,
Dorylas, Cyllarus, Yllonome femina, Pheo, Thomus, Theleboas,
Pyrethus, Ethodus, Ephydopus, Nesseus, Odites, Styphelus,
Bromus, Anthimacus, Elymus, Pyramus, Latreus, et Monicus,
omnes fuere Centauri Ysionis et Nubis filii, et in nuptiis Perythoi
aut cesi aut fugati a Lapithis, ut late in suo maiori volumine te-
stat Ovidius.

CAP. XXXIII.

De Perythoo Ysionis filio qui genuit Polipitem.

Perithous non ex Nube apposita, sed ex coniuge fuit Ysionis
filius, ut dicit Ovidius: Duxerat Hyppodamen audaci Ysione na-
tus etc. Hic, ut fertur, amicitia integra Theseo Atheniensi iunctus
fuit, et cum Yppocatiam secundum Lactantium, secundum au-
tem Ovidium Yppodamiam duxisset uxorem, ut ait Servius cir-
cumvicinos populos convocavit ad festum; ex quo secutum est,

cum in nuptialibus sacris ceteri onorarentur dii, solus Mars omis-
sus est; quam ob causam indignatus Centauris indignantibus fu-
rorem inmisit, qui insurgentes adversus Lapithas in pugnam, ut
supra dictum est, plures ex Centauris cesi occubuere. Lactantius
vero dicit hoc in certamine Lapithas fuisse deletos, quod intelli-
gendum est de his Lapithis qui Centauri erant. Perythoum insu-
per volunt seu Yppodamia morta, seu ea vivente et forte repu-
diata, cum Theseo amico suo convenisse, qui tunc forte celebs
erat, se nisi ex Jovis genitis uxores sumpturos, et cum iam
Theseus Helenam rapuisset, que Jovis et Lede filia habebatur,
nec altera nosceretur in terris ea tempestate a Jove genita preter
Proserpinam Plutonis coniugem, cum in celum nequirent ascen-
dere, ad Inferos eam rapturi declinaverunt; verum Cerberus ad-
versus Perithoum insurgens, illum primo interfecit impetu, quem
dum iuvare conaretur Theseus, in magno vite fuit discrimine et
ultimo a Plutone detentus est. Tandem redeunte Hercule ab
Hispania Gerione superato, et preda ingenti divite, audito Pe-
rithoi infortunio, et captivitate Thesei, a Trenaro specu descendit
ad Inferos, ut tragedus testatur Seneca in tragedia Herculis Fu-
rentis; cui obvius Cerberus factus, ut in eadem tragedia plenius
dicitur, ab Hercule victus, atque triplici ligatus catena, Theseo
concessus est. Aliqui volunt Cerbero ab Hercule barbam de-
cerptam; quem, liberato Theseo, per Trenaron ad superos triplici
traxit catena etiam renitentem. Pomponius autem in Cosmo-

graphia scribit circa Euxisini sinus introitum haud longe ab Heraclea urbe Acherusiam specum esse, ad Manes usque, ut fama fert, pervium et ex eo ad superos aiunt incole Cerberum tractum. Sunt preterea nonnulli, qui ad augendam fabule fidem, cum venenosis herbis locus habundet, dicant eas primo ex spuma tracti Cerberi natas, nec in processu a quoquam evelli potuisse; quod hac in historia fictum est, eque ad historiam pertinet. Nam cum clam latronum more non tanquam strenui iuvenes rapturi Proserpinam ivissent Perithous et Theseus nocte, a Cerbero cane Perithous, ut legitur, occisus est, et ab incursantibus detentus Theseus, pro cuius liberatione Hercules ad Inferos descendens, id est in regnum Molossorum, primo clava occurrentem et omnia audentem canem domuit atque ligavit, et Theseum sub interminatione belli Plutoni repetiit, qui illi concessus est, et sic cum cane in Atticam seu Beotiam rediere. Per barbam Cerbero evulsam audaciam atque robur debemus intelligere, quibus canis privatus est; nam expertus Herculis clavam, et visa viri constantia, timidus atque mutus effectus se victum confessus est. Est enim hominibus barba a natura concessa in testimonium virilitatis, ut in Moralibus placet Gregorio; hanc enim quotiens tangimus aut videmus, nos esse viros meminisse debemus, et nobis ab his, que minime virum deceant, cavere monemur. De reliquis alibi dictum est.

CAP. XXXIV.

De Polypite Perythoi filio.

Polypites Perythoi fuit filius et Yppodamie, ut Omerus in Yliade, dum dicit: Τῶν αὖθ' ἡγεμό νωι ἐνε μενεπτόλεμος Πολῦποιτης Ὕιος Πειριθοόιο τὸν ἀθανατος τέκετο Ζεὺς Τὸν ῥ' ὑπὸ Πειριθῶω τέκετο κλητὴ Ἴπποδάμεια etc. [Que latine sonant]: Illos autem ducebat fortis bello Polypithes filius Perithoi, quem immortalis genuit Iuppiter. Hunc Polypithem Perithoo genuit gloriosa Yppodamia. Hic, ut per eundem Omerum patet in catalogo Grecorum, cum eis in Troianam expeditionem ivit.

CAP. XXXV.

De Brictona Martis VIII^a filia.

Brictona seu Bricton nynpha fuit Cretensis, ut Lactantius asserit, Martis filia. Que cum virgo adhesisset Diane et, perpetue facto virginittatis voto, venationibus vacaret, eo quod formosa esset, Minoi regi Cretensium placuit. Qui cum ei renuenti violentiam vellet inferre, nec aliunde virgini appareret effugium, se in mare dedit precipitem, et sic ab undis absorta est. Contigit postea, ut piscatorum retibus traheretur eius cadaver in litus. Porro seu Diane, seu Martis turbatione factum sit, pestis ingens

insulis immissa est, quam, videbatur, cessare non possent incole, nisi Diane instituissent templum, et eam Dictimam appellarent, eo quod piscatorum retia, quibus in terram deductum est Brittone cadaver, dictia nominentur.

CAP. XXXVI.

De Evanne X^a Martis filia, et Capanei coniuge.

Evannes, ut Theodontio placet, Martis fuit filia ex Thebe Asopi fluminis coniuge suscepta. Que quidem Evannes coniunx fuit Capanei insolentissimi hominis, et ex eo filium peperit, quem Stelenium vocavere. Credo ego hanc ferocissimam fuisse feminam, et ideo Martis dictam filiam. Quam ferunt adeo Capaneum virum suum dilexisse, ut dum fulminatus apud Thebas eius funeralia exercerentur, ponereturque Capanei cadaver semiustum in rogum, ferre non potens tam ingentem animi dolorem, sese iniecisse flammis illud urentibus, et sic una cum viro exustam, et immixtis cineribus in urnam depositam.

CAP. XXXVII.

De Hermiona XI^a Martis filia et Cadmi coniuge.

Hermionam poete dicunt Martis et Veneris fuisse filiam, eamque, relictâ Spyngæ, a Cadmo Thebarum rege in coniugem

ductam. Huic Vulcanum aiunt monile fecisse pulchritudinis insigne, sed infausti ominis portanti, et hoc ob odium in eam susceptum, quod ex adulterio coniugis nata sit. Ex hac insuper Cadmus IIII suscepit filias; et postremo, ut aiunt, in serpentes versi in mortem usque mansere. Cuius fictionis absconditum hoc esse potest. Primo Veneris filia fuit Hermiona quantum ad Cadmum, quia pulchritudine seu facetia sua potens fuit in Cadmum venereas immittere flammās, id est libidinosam flagrantiam, quod Veneris est; et hoc in quantum ob ipsius desiderium Spyn-gem pristinam coniugem abdicavit. Martis vero ideo filia dici potest, quia eidem Cadmo causa fuit belli; nam, ut dicit Eusebius, Palefatum inducens in testem, Spyn-gos propter zelum Hermione a Cadmo, cuius erat uxor, discessit, et confestim in eum bella commovit. Et sic Martis filiam, id est belli causam, Cadmus assumpsit uxorem. Monile autem infaustum a Vulcano conditum accipi potest propter infaustum huiusce matrimonii exitum, eo quod ab Amphyone et Zetho regno privati et in exilium pulsati sunt. Quod autem in serpentem versa sit, potest intelligi, seu quia exul circa infima uti serpentes incedunt, se cum viro exercuit, ubi, dum regnaret, vacabat excelsis; seu quia per diversa post exilium nunc huc, nunc illuc erravere [ut] serpentes; seu quia affectu senio pectus in terram versum, uti serpentes faciunt, qui pectore gradiuntur, incessere.

CAP. XXXVIII.
De Hipervio XII^o Martis filio.

Hipervium Martis fuisse filium asserit in libro Naturalis historie Plinius fuisse. De quo nil aliud reperisse memini, nisi quod idem Plinius dicit, eum scilicet primum fuisse, qui occidit animal, et ob id puto, cum opus seivum visum sit, Martis filium dictum.

CAP. XXXIX.
De Etholo XIII^o Martis filio.

Etholus Martis fuit filius, ut Plinius in libro Naturalis historie testatur, eiusque fuisse compertum iaculum dicit. Credo ego hunc Etholum regem fuisse Etholie, et ab eo forsitan denominatam fore regionem illam, in qua cum bellicosi plurimum populi sint, et ipse Etholus, ut inventum eius ostendit, cum bellicosus esset homo, ab ipsis Etholis Martis filius dictus est.

CAP. XL.
De Remo XIII^o et Romulo XV^o Martis filiis.

Remus et Romulus, seu Romus, ut veteres asseruere Romani, Martis fuere filii ex Ylia vestali virgine suscepti. Ex quibus, ubi De fastis, refert Ovidius. Quod cum Ylia urna sumpta iret aquam

latura pro sacris, sub salice fessa consedit, et canentibus avibus in somnum soluta, a Marte visa et oppressa est; ei vero dormienti visum est se in conspectu ignium vestalium stare, et in focos victas laneas, quibus obumbratum caput habebat, cecidisse, et ex eis duas consurgere palmas, quarum altera maior ramis totum occupaverat orbem. Quas cum moliretur patruus excidere, a pyco Martia ave et lupo tutate sunt. Que cum ex eo compressu, quem dormiens passa fuerat, geminos peperisset, iussu Amulii regis Albanorum patruui sui, ut proicerentur in Tyberim delati; cum intumisset pridiani ymbris causa flumen, nequeuntes delatores devenire ad alveum, illos in ripam deposuere, ibi aliquandiu a pyco nutriti, advenit lupa, que catulos perdiderat, et admotis labellis eorum uberibus eos educavit. Figmenti huius ratio satis summitur ex Romanorum annalibus. Habetur enim pro comperto Yliam ex incognito patre uno partu Remum et Romulum peperisse, et sic vitte virginittis testimonium ferentes in ignem decidere. Duo nati, duo fuerunt palme, quia victoriosi fuere iuvenes, sed alter magis, scilicet Romulus, qui Romanum fundavit imperium, per quod omnis orbis suis et suorum scilicet victoriis subactus est. In has seuire voluit patruus dum abici iussit. A pyco autem educatos ideo dixere, quia pycus formicis alatur, per quas agricole intelliguntur; sic et ipsi a Faustulo pastore regio, qui et agriculator erat, collecti et servati sunt, et a lupo nutriti etiam sunt, quoniam ab Acca Laurentia Faustuli coniuge lactati et maternali solertia gubernati fuere; quam lupam vocavere, eo quod nobile

scortum fuit, et talis nuncupantur lupe ob avaritiam, causa cuius pudicitiam prostravere, et inde in odiernum usque cellule talium lupanaria appellantur. Quod autem ex Marte geniti sint ad contegendam conditorum tam inclite gentis infamem originem adinventum est, convenientibus etiam moribus iuvenum figmento; nam rapaces et predones et elati animi atque bellicosi fuere. De quibus dicit Titus Livius, quod cum Amulius Numitorem fratrem regno expoliasset, Lausum eius occidit filium, et Yliam, ad auferendam spem prolis, vestalem dicavit virginem, ex qua cum nati gemini, et iussu Amulii essent expositi, a Faustulo rerum conscio educati, et ad etatem usque puberem deducti, cum rapinis et latrociniis vacarent, stirpis eorum facti consci et fraudis Amulii, ex composito cum captivus a sociis duceretur alter et alter, quasi accusator, cum consciis ad Amulium venissent. Quo consurgentibus, hinc accusatore, inde accusato in regem, eum occiderunt, et genus professi suum, avo eorum Numitori seni regnum restituere. Ipsi vero, ubi nunc Roma est, sibi condidere urbem. Et dum de se uterque nove urbi nomen vellet imponere, in hanc concordiam ex composito devenere, ut siquis faustius sumpsisset augurium ex diversis montibus, is nomen imponeret civitati. Ex quo secutum est, ut sex vultures videret Remus, XII Romulus; quam ob rem, quoniam plures vidisset, Romam a se nuncupavit urbem. Remus autem postea, quia sulcum loco muri signatum contra edictum Romuli superasset, seu aliam ob causam a Romulo iussum sit, a Fabio Romuli duce Remus

cultro pastorali occisus est. Et sunt qui arbitrentur eum ibidem sepultum, ubi futuri muri vestigium transgressus est. Ostenduntque hodierni pyramidem in muro, saxis in altum egestam, cadaveri eius superedificatam.

CAP. XLI.

De Romulo tantum <XV> Martis filio.

Romulus Ylie et Martis fuit filius, ut supra proximo monstratum est. Esto dicat Servius hunc Romum appellatum fuisse, verum pro Romo Romulus blandimenti causa dictum, nam gaudent diminutione blanditiæ. Hic quidem primus fuit Romanorum rex, bellicosissimus homo adeo, ut merito Martis filius crederetur, nulla enim illi quies unquam fuit. Hic multos ex adjacentibus urbi populos armorum vi sui dicioni subegit. Et quoniam vir bellorum fuit, pauca sacra apud novum populum, quem ex fugitivis et latronibus asylo facto congregaverat, et Sabinas mulieres fraude captas congregatis concesserat, instituerat; sed inter alia Laurentalia intulit, hanc ob causam, ut dicit Macrobius, quia, ut Macer in Hystoriarum libro refert, Faustuli coniugem Accam Laurentiam Romuli et Remi nutricem, regnante Romulo Carutio cuidam Tusco diviti nuptam auctamque premortui Carutii hereditate, Romulum, quem nutriverat, heredem liquisset, et sic ob id pietatis causa festum Laurentalium institutum. Non nulli aliter

opinantur, dicentes non a Romulo, sed ab ipsa Acca Laurentia hoc introductum sacrum, et a Romulo continuatum. Que opinio roborari videtur autoritate Fulgentii, qui in libro Antiquorum sermonum dicit sic: Acca Laurentia Romuli nutrix consuevit pro agris semel in anno sacrificare cum XII filiis suis sacrificium precedentibus; unde dum unus mortuus esset, propter nutricis gratiam Romulus invicem defuncti succedere pollicetur; unde et ritus processit cum XII, et hi XII qui sacrificarent deinceps Arvales dicti sunt fratres, sicut Rutilius Geminus in libris pontificalibus memorat. Hic insuper annum primus Romanis ex decem mensibus ordinavit, quorum primum a Marte patre Martium appellavit. Preterea centum fore patres instituit, quos senatores nuncupavit, et qui ex his nascebantur, patricii vocabantur. Inde sedato Sabinorum ob raptum mulierum bello, populum divisit in curias, et equitum tres centurias descripsit, et alia multa fecit bellica potius quam pacis tempora prospectantia. Inde multarum insignis victoriarum, dum apud Capreas paludes ad recensendum exercitum concionem haberet, cohorta subito tempestate maximo cum fragore celi et tonitruorum strepitu, ingenti atque denso nymbo contextus est, adeo ut eius conspectus auferretur a plebe, nec ulterius postea in terris visus sit; creditumque est a patribus, eo quod plebi videretur favere nimis, trucidatum, et in paludem cadaver eius deiectum. Sed postquam plebs orbitatis metu aliquandiu tacuit, a nonnullis initio facto, deum deo natum

regem parentemque urbis Romane salutare cepere, et vota exhibere. Quam stolidam opinionem unius nobilis viri consilio roboratam aiunt. Nam Julius Proculus, qui ex stirpe Enee creditus cum Remo Romuloque, Alba relicta, Romam devenerat, et in civitate sollicita desiderio perdit regis in concionem prodiit: Romulus, Quirites, parens urbis huius, prima hodierna luce celo repente delapsus, se michi obvium dedit, cum perfusus horrore venerabundus astitissem, petens contra, ut intueri fas esset: Abi, nuntia, inquit, Romanis celestis ita velle, ut mea Roma caput orbis terrarum sit; proinde rem militarem colant sciantque, et ita posteris tradant nullas opes humanas armis Romanis resistere posse; hoc, inquit, locutus sublimis abiit. Ex quo factum ut, sub nomine Quirini, sic enim quia hastatus incederet, et hasta quiris Sabina lingua diceretur, appellatus et deus habitus sit. Plinius tamen, ubi De viris illustribus, dicit Romulum a Curibus, Sabinorum oppido, Romanos appellasse Quirites. Decessit quidem postquam annis VII et XXX regnasset, et regnare cepit anno mundi IIIIccccxlv, natus annorum XV, ut scribit in libro Temporum Eusebius. Et quoniam ultimus ex compertis ex prole Martis est, libello nono secum libet finem imponere. Genealogie deorum gentilium liber VIII^{us} explicat.

**GENEALOGIE DEORUM GENTILIIUM SECUNDUM
JOHANNEM BOCCACCIIUM DE CERTALDO
LIBER DECIMUS INCIPIT FELICITER.**

In precedenti arbore, cuius in radice consistit Neptumnus, describitur in ramis et frondibus omnis eiusdem Neptumni successio.

Prohemium.

Mediterraneum mare, Affrico et Asyatico atque Europo litore terminatum, mille conspicuum insulis, opere Herculis, regum inclite, inter Abilam et Calpem, occidentalia promontoria, que Pomponius columnas Herculis vocat, ad terras demissum nostras ex Oceano vetustissimi credidere homines. Ex quo, sic deo sua liberalitate nostris oportunitatibus providente, ingens mortalibus commodum consecutum est. Quid enim spectare, divino prestante lumine, rates, humano escogitatas ingenio, et artificio fabrefactas, nunc remigio sulcantes undas, nunc velo tenso ventorum impulsas spiritu, quibus omne grande defertur onus? Quid eorum excogitare audaciam, qui se primo undis incognitis et inexpertis flatibus credidere? horror equidem est. Horum tamen, et si non semper, ut plurimum tanta fuit fides aut auden-

tium fortuna, ut transfretantes peregrinatione longinqua non dicam cursu solum, sed volatu celeri delati, aurum metallaque cetera Eois, vestes purpureas et aromata, lapides preciosos et ebora occiduus, peregrinas aves et balsama, ligna nostris silvis incognita, gummas et sudores arborum reliquos, radicesque non omni solo familiares, ex quibus tam sanis, quam egris corporibus medicamina atque obliationes sequuntur innumere; et, quod non minimum humani generis reipublice bonum est, his agentibus navigationibus maris huius, factum est, ut Cymber et Celta altero orbis ex angulo non nunquam sentiant, qui sint Arabes, quid mare Rubrum, quid et Sabea nemora sudent. Hyrcanus et Tanays incola Athlanticos noscant Hesperidas, et eorum etiam gustent aurea mala. Ferventes Ethyopas et Nylum ac Lybicas pestes gelidus Yperboreus lustret et Sarmata. Sic et Hispanus Maurusque visitatus visitet Persas et Yndos et Caucasum. Et Tyles ultima calcet Taprobanis litora, et dum sua invicem permutant bona, mores non solum legesque et habitus mirentur, fit, quin imo qui se, dum alterum intuetur, ex altero quam sit mundo, nec uno eodemque se cum illo ambiri oceano arbitratur, ritus miscet, fidem mercimoniis comunicet, amicitias iungat, et, dum sua doceant ydiomata, discunt etiam aliena, et sic fit, ut, quos fecerat distantia locorum extraneos, navigatio iungat faciatque concordet. Sunt preterea et alia multa, que, si tanta non sint admiratione conspicua, sunt forsitan utilitate continua cariora. Prebet hoc

mare lembis infinita piscationum commoda, quibus fit, ut opipares divitum mense magnis atque sapidis piscibus onerentur et pauperes minoribus nutriantur. Hoc insuper prestante tranquillo, ex insulis fertilibus pecora, iumenta atque frumenta et oportuna quecunque victui in continentem et alterutrum deferantur; dat validis infirmisque lavacra, et sale suo valere facit insipida, humectat ad iacentes undique terras, eiusque meatu subterraneo fistulas implet, ex quibus fontes habemus et flumina, quorum nisi susceptor adesset, in convallibus maxima hominum peste marcerent. Quid multa referam? Hoc tam singulare bonum cunctis, ut prisci finxere poete, in divisione regni trium filiorum Saturni Neptunno contigit, et eius dictus est deus. Cuius quoniam prolem explicaturus sum, libuit me ipsum per eius beneficia circumagere paululum ut, si, dum aliorum navigans posteritates exquirens se absque periculo cimbule mee sulcare permisit, nunc exquirenti suam tranquillum se prebeat. Quod oro, ut ille faciat, qui illud in cataclismo infra litora revocavit.

CAP. I.

De Neptumno VIII^o Saturni filio, cui XXXV fuisse filios legimus. Quorum hec sunt nomina: primus Dorus, II Amicis, III Phorcus, IIII Albion, V Borgion, VI Tara, VII Polyphemus, VIII Tylemus, VIIII Brontes, X Steropes, XI Pyragmon, XII Nasithous, XIII Melion, XIII Actorion,

XV Aon, XVI Mesappus, XVII Busyris, XVIII Pegasus, XVIII Nicteus, XX Yrceus, XXI Pelias, XXII Neleus, XXIII Cignus, XXIII Grisaor, XXV Othus, XXVI Ephyaltes, XXVII Egeus, XXVIII Onchestus, XXVIII Pelasgus, XXX Nauplius, XXXI Celleno, XXXII Aello, XXXIII Occipite, XXXIII Sycanus, XXXV Syculus.

Neptumnus Saturni et Opis fuit filius, et dum natus est a matre fuit absconditus, ne a Saturno occideretur, ut in sacra hystoria legitur. Hunc veteres maris dixere deum, quod ex carmine Maronis patet, dum dicit: Maturate fugam regique hec dicite vestro: Non illi imperium pelagi sevumque tridentem, Sed michi forte datum etc. Neptumno scilicet. Quod forsitan ab Omero sumptum est, dum in persona Neptumni sic in Yliade dicit: Τρεῖς γάρ τ' ἐκ Κρόνου εἰμὲν ἑιδελφεοὶ οὓς τέκετο Ῥέα Ζεὺς καὶ ἐγώ, τρίτατος δ' Ἀΐδης ἐνέροισι ἀνασσων· Τριχθὰ δε παντα δέδασται, ἕκαστος δ' ἔμμορε τιμῆς Ἥ τοι ἐγὼν ἔλαχον πολὴν ἄλα ναιέμεν αἰεὶ etc. [Que latine sonant]:

Tres enim a Saturno sumus fratres, quos genuit Rhea, Iuppiter et ego; tertius autem Dites mortuis dominans. Tripliciter autem omnia divisa sunt, cuilibet autem contigit honor, certe michi contigit antiquum fretum habitare semper etc. Huic preterea di-

cit Albericus uxorem fuisse nomine Anphitritem, et amplissimam, sed ex pluribus mulieribus, prolem. Et cum illi currum comitesque dederint, qualiter per regnum incedat suum, pulchre describit Virgilius, dicens: Iungit equos curru genitor spumantiaque addit Frena feris manibusque omnes effundit habenas. Ceruleo per summa levis volat equora curru; Subsidunt unde tumidumque sub axe sonanti Sternitur equor aquis, fugiunt vasto ethere nymbi. Tum varie comitum facies, immania cethe, Et senior Glauci chorus Ynousque Palemon Tritonesque citi, Phorci que exercitus omnis. Leva tenet Thetis et Melite Panopeaque virgo, Niseeque Eploque Talya Cymodoceque etc. Sed Statius aliter eius describit excursus, dum dicit: Qualis ubi Eolio demissos carcere ventos Dux pre se Neptunus agit magnoque volantes Inicit Egeo, tristis comitatus eunti Circum loca fremunt Nymbi que Hyemesque profunde Nubilaque evulso terrarum sordida fundo Tempestas etc. Huic insuper de impositione nominis Athenis cum Minerva litigium fuit, quod, quoniam ubi supra de eadem dictum est, satis plene describitur, reiterasse supervacaneum duxi. Sic et de muris Troie ab eo et Apolline constructis, ubi de Laomedonte legitur, invenitur. Volunt eum insuper Iunonis fuisse alumnum, et loco sceptri gestare tridentem, et rerum illi fundamenta sacrata. Ex quibus quid senserit decepta vetustas, videndum est. Neptunus maris deus a fingentibus dictus est, eo quod sic in sacra legatur hystoria: Iuppiter Neptuno imperium

dat maris, ut insulis omnibus et que secus mare loca essent omnibus regnaret etc. Hinc poete postmodum ubi regem dixisset hystoriographus, deum fingendo dixere; que fictio adeo adolevit, ut etiam qui se prudentes arbitrabantur, infanda credulitate caperentur. Amphytritum autem illius ideo dixere coniugem, quia semper mari iunctus sit sonus, qui ubique in litus sit in circuita orbis proicientibus sese undis in terram; dicitur enim Amphytrites ab amphi, quod est circum, et tryton maris sonus, et sic circumsonans. Currus autem habet designare motum eius in superficie, qui cum revolutione et rumore fit ut currus faciunt rote. De eius incessu et comitiva, per quod a Virgilio scribitur redeuntis in tranquillitatem maris mos, seu natura ponitur. A Statio vero contrarium designatur, qualiter scilicet ex tranquillitate mare efficitur procellosum. Mare autem Iunonis fuisse alumnum ideo dictum est, quia aer ex aquis suscipit incrementum, ut ubi de Iunone dictum est. Tridens autem sceptrum illi concessum triplicem aque proprietatem ostendit; est enim labilis, nabilis et potabilis. Fundamenta vero illi ideo consecrata sunt, quia eius opere terra moveatur, et ob id ab Omero vocatur sepissime Ennosigeos, quod idem est quod terram movens; et propter hoc voluerunt insipidi, id quod sibi sacrum esset, ab eo deberi servari. O quam male legerant isti Daviticum illud: Nisi dominus edificaverit domum, in vanum laborant qui edificant eam; et hi potissime qui Neptunno fundamenta commodant, cum nil stabile sit, nisi

fundetur in petra; petra autem Christus est. Vocant eum Neptunum, ut ait Rabanus et Ysidorus, quod nubat, id est mare terram tegat, vel, ut dicit Albericus, eum a nando dictum, quasi ob id moveatur quod in eo res innatent. Ridiculum est ab inopinato regis nomine velle regni qualitates expromere.

CAP. II.

De Doro primo Neptumni filio.

Dorus, ut dicit Servius, Neptuni fuit filius. Quem alii in parte Grece regnasse volunt, ibique tante fuisse autoritatis, ut omnes, apud quos gessit imperium, ab eius nomine Dori nuncupati sint. Ysidorus vero ubi De ethymologiis, et Rabanus in libro De origine rerum dicunt: Dorus Neptuni et Elepis filius fuit, unde Dori nomen et originem ducunt. Sunt autem Grece pars, ex quibus etiam cognominata tertia lingua Grecorum, que Dorica appellatur. Cur autem hic Neptuni dicatur filius, talis videtur ratio. Primo enim possibile est eum Neptuni regis fuisse filium, et tam virtute sua, quam autoritate patris in magnum devenisse nomen, ut fit, et de hoc satis dictum sit. Consuevere preterea veteres, et potissime qui generosi erant animi, a propriis sedibus ad alias transmeare, non nunquam motu proprio ob cupidinem glorie, et aliquando seditionibus pulsati, vel alia necessitate coacti. Qui eo

quod nondum ubique pervii essent montes, et tenebrosa vetustate nemora complerent omnia, quia litora colerentur tantum, Mediterraneis fere neglectis locis, navigio ferebantur, et ubi applicabant, seu vi litore occupato, seu sponte incolarum suscepti essent, si videntium opinione erant vel efficiebantur insignes, dum nationes eorum alia non haberetur ab incolis rudibus notitia, quod per mare venissent, et ut etiam eius originis gloriam ampliarent, confestim Neptuno attribuebant, eumque Neptuni filium nuncupabant. Si forsán huiusmodi homo terrestri advenisset itinere, Terre illum filium esse dicebant. Quod multis contigisse indocta testatur antiquitas. Et ne sepius reiterandus sit sermo, sic de reliquis Neptuni filiis, ni alia ratio demonstretur, intelligendum sit.

CAP. III.

De Amici vel Amico II° Neptumni filio, qui genuit Buthem.

Amicis vel Amicus filius fuit Neptumni et Melites nynphe, secundum Servium, qui eum dicit a Polluce certamine superatum. Quod Lactantius apertius explicans dicit, quod, cum Pollux cum Argonautis ad Bebritium nemus appulisset, et eum Amicus Bebritiorum rex ad cestuum provocasset certamen, haberetque

semper hanc consuetudinem, ut insidiaretur intrantibus Bebritium nemus, et sub titulo evocationis in certamen, in illud advenas deduceret et occideret, contigit quod cum in eundem perduxisset Pollucem, et superatus ille vellet vim inferre, convocatis a Polluce sociis, ibidem occisus est ubi alios occidere consueverat. Theodontius vero hunc dicit ex Melanthonē Prothei senis filia Neptuni fuisse filium. Verum ego magis Servio credam, cum dicat Leontius, eum ex Melita insula haud longe a Sicilia ibidem devenisset, et Bebritie regnum viribus occupasse. Est enim Bebritia regio, quae postea Bithinia nuncupata est, proxima Troadi.

CAP. IV.

De Buthe Amici filio, qui genuit Erycem.

Buthes, ut asserit Theodontius, filius fuit Amici regis Bebritiorum. Quem dicit Leontius ob patris sevitiam, eo ab Argonautis ceso, regno pulsum, et cum Melitam avitum regnum repeteret, post aliquales errores, parvo navigio Drepanum in Syrcilia devenisset, ibidem a Lycaste, nobili atque pulcherrima ea tempestate meretrice, hospitio susceptus est. Qui cum forma valeret et moribus et etate, a Lycaste facile adamatus est; cuius cum esset usus contubernio, ex ea filium suscepit, quem Ericem nuncupavit. Et quia Lycastes ob eximiam pulchritudinem et meretricium

ab incolis Venus vocaretur, fabule datus est locus, Buthem, scilicet Ericem, ex Venere suscepisse.

CAP. V.

De Eryce Buthis filio.

Eryx, ut Theodontius dicit, filius fuit Buthis et Veneris. Seruius autem dicit Neptuni et Veneris filium, et ex numero Argonautarum fuisse, et ait quod, cum Venus spatiaretur in litore Syculo, a Neptuno oppressa, Erycem concepit. Quod predictis male consonum est. Esto dici possit Buthem hominem exterum et a mari vectum Neptunum dici. Hic Erix regnans in Sycilia, et viribus fidens, hospitibus legem posuerat, ut secum cestibus decertarent. Qui tandem ab Hercule ex Hyspania redeunte victus occubuit. Sane Theodontius, hystoriam continuans generationis eiusdem dicit, quod cum tam iure parentum, quam maximarum divitiarum meretricio quesitarum Lycastes amplissimum in eo Sycilie angulo dominium possideret, et viribus Buthis etiam ampliatum, ea moriente, Eryx tam thesauro quam egregio matris titulo, licet falso, elatus, se loci regem dixit, et in culmine propinqui Drepano montis templum ingens construi fecit, quod matri dicavit, et vocari iussit templum Veneris Erycine. Tandem insolens nimium ab Hercule occisus est, et in monte sepultus, ubi matri condiderat templum.

CAP. VI.

De Phorco III^o Neptumni filio, qui genuit Bathillum, Thoosam, Scillam, Medusam, Stennionem et Eurialem.

Phorcus, ut dicit Servius, Neptuni et Thoose nynphe filius fuit. Hunc dicit Varro regem fuisse Corsice et Sardinee, et ab Athlante rege navali certamine superatum, et cum magna exercitus sui parte obrutum. Quam ob rem socii, qui fuere superstitēs, in suam consolationem eum in marinum deum fuisse conversum dixere; et sic maris dictus est deus faventibus poeticis fictionibus desiderio attestantium. Et sic videtur ea demersione Phorcum sibi deum patrem et deitatem quesisse.

CAP. VII.

De Bathillo Phorci filio.

Bathillus, ut dicit Theodontius, filius fuit Phorci et marini monstri. De quo, et si quedam alia referat, licteris fere a lituris deletis legisse non potui, nec aliud usquam alibi vidisse memini.

CAP. VIII.

De Thoosa Phorci filia et matre Polyphemi.

Thoosam dicit Servius Phorci fuisse matrem. Verum Omerus in Odissea eiusdem Phorci dicit fuisse filiam sic: Ἀντίθεον Πολύφημον, οὐκ κράτος ἐστὶ μέγιστον Πᾶσιν ἐν Κυλώπεων· Θόωσα δὲ μιν τεκε νύμφη, Φόρκυνος θυγατὴρ ἄλός ἀτρυγέτοιο μεδοντος, etc. [Que latine sonant]: Anthiteum Polyphemum, cuius potentia est magna omnibus in Ciclopibus. Thoosa autem ipsum genuit nympha Phorcinos filia mari sine fece predominantis. Et sic apparet hanc Phorci filiam fuisse, et ex Neptumno peperisse Polyphemum Ciclopem. Nec adversatur quod dicit Servius eam Phorci matrem, cum due potuerint esse eodem nuncupate nomine, quarum altera fuit mater, altera vero filia.

CAP. IX.

De Scylla filia Phorci.

Scylla, ut ait Servius, Phorci et Creteidos nynphe filia fuit. Quam, ut ait Ovidius, Glaucus ex Antidone civitate marinus deus amavit, et quoniam illam Cyrci filie Solis, que illum diligebat, preponeret, irata Cyrces fontem, in quo consueverat Scylla lavari, venenis infecit, adeo ut, dum descendisset Scylla in eum more solito, pube tenus repente in varias est mutata formas;

attamen cum suam deformitatem horreret, sese in propinquum precipitavit mare, et Glauci amantis sui opere dea marina facta est. Alii marinum monstrum effectam dicunt. Cuius formam sic describit Maro: At Scyllam cecis cohibet spelunca latebris Ora exertantem et naves in saxa trahentem. Prima hominis facies et pulchro pectore virgo Pube tenus postrema immani corpore pystris Delphinum caudas utero commissa luporum. Prestat Trinacrii metas lustrare Pachini etc. Omerus autem longa carminum serie aliter in Odissea describit fere in hac sententia. Dicit enim eam latrantem et catuli vocem habere nuper geniti, aspectu horribilem, et pedes habere XII, cum sex capitibus, et in omne caput os ingens cum trinis ordinibus dentium, plenis nigra morte, eamque in spelunce medio morantem capita extra mittere in profundissimum mare, piscarique ut delphynes capiat vel balenas. Leontius autem aliam a superiori de Scylla recitat fabulam. Dicit enim quod, cum Scylla misceretur Neptumno, Amphytrites eius coniunx commota zelo, sparsis in aquis farmacis, in quibus lavari consueverat, eam vertit in caninam feram, quam Hercules cum preda Gerione Hispano superato rediens, eo quod sibi boves abstulisset, occidit; verum illam pater eius revocavit in vitam. His premissis, quid contegant enucleandum est. Sunt ergo qui extiment olim in litore Calabro freto tenui a Syculo separato, advenam fuisse mulierem, summa pulchritudine et astu plurimo valentem, et cum ferventi ureretur pruritu, modestia morum et ho-

nestate oris, quibus virginem seu pudicissimam fingebat matronam, illectos hospites in concupiscentiam suam nudabat substantiis, et hinc datum fabule locum. Fulgentius autem de ea aliter sentit in moralem sensum eque fictionem trahens, et dicens sic; Scylla enim Grece quasi exquina dicta est, quod nos Latine confusionem dicimus; et quid confusio nisi libido est? Quam libidinem Glaucus amat; Glaucus enim Grece luscitius dicitur, unde et glaphcomata dicimus cecitatem. Ergo omnis qui luxuriam amat cecus est. Nam et Antedonis filius dictus est; Antedon enim Grece quasi antiidon, quod nos Latine contrarium videns dicimus; ergo lippitudo ex contraria visione nascitur, id est ex re contraria visui. Scylla vero in modum ponitur meretricis, quia omnis libidinosa canibus lupisque, id est immundis atque spurcidis et hiulcis hominibus inguina sua necesse est misceat. Iuste ergo lupis et canibus mixta. Quam Cyrces odisse dicitur. Cyrces manus diudicatio vel operatio nuncupatur, quasi Cyronere. Laborem enim manuum et operationem libidinosa mulier non diligit. Hec ille. Glaucus autem, supra ubi de Cyrce, pro maris spuma sumptus est, qua habundat Cyrces mons in radicibus suis ratione scopulorum, circa quos mare impulsus frangitur, et sic Scylle scopulus; tamen de hoc satis ubi de Cyrce. Salustius autem dicit: saxum esse simile celebrate forme procul videntibus; canes vero et lupi ob hoc ex ea nati finguntur, quia ipsa loca plena sunt monstris marinis, et saxorum asperitas illuc imitatur latratus ca-

num. Sed nos paululum figmentis explicatius adaptemus. Certissimum est ex parte Ytalie in conspectu litoris Tauromentani saxa esse ingentia, atque cavernosa et acuta, et cultrorum ritu secantia, et se in fretum Syculum protendentia; in quo eo motu, quo oceanus assidue agitur, fluxu scilicet et refluxu, adeo cursu velox et impetuosum fertur mare, ut nil celerius videatur aut potentius. Preterea flantibus ab Arthoo in Austrum ventis, et ab Austro in Arthoum tanto impetu eo in freto in se undas impellunt, ut percussionibus suis in celum usque videantur efferri; ex quo tam impetuoso motu fit, ut intransibis undis cavernas Scylle rumor causetur ingens, qui hinc inde fractus, latratus canum ululatumque luporum imitatur; et quoniam in vacuum semper declinant aque, fit ut, eis descendentibus in cavernas Scylle, secum potentius impetus, si sint navigia, trahat; et sic ex veritate contingentium constat Virgillii fictio. Quod illi multa sint capita, ut dicit Omerus, nichil aliud est quam pluralitas scopulorum ibidem dum se retrahunt unde, caput in altum extollentium, quibus iuxta numerum ut pedes sint, id est fundamentum eorum oportunum est. Ora autem plura et dentium ordines, nil aliud quam crebros euripos inter secantia saxa discurrentes ostendunt, qui quidem nigra morte, id est mortis periculo, illos intransibis pleni sunt. Quod delphinis piscetur, aut balenis, ideo dictum est, quia locus ille semper magnorum ac monstruosorum piscium habundans sit. Quod autem dicebat Leontius Scyllam misceri Neptumno

evidens est; nam, ut patet, in mare protenditur saxum, et quoniam ibi sit tempestas et sonoritas assidua, ideo fictum ab Amphitrite est pharmaca fuisse iniecta. Quod autem illam occideret Hercules, dicit Theodontius ob id fictum, quia unius Cyclopi filius inter saxa Scylle perierit, quam ob rem in ultionem suam Cyclops maximis molibus loco iniectis ora Scylle clausit, et inivium fretum fecit, et ob id mortua Scylla dicta est; tractu tamen temporis omnia iniecta in se retrahens mare locum redegit in formam pristinam, et sic a Phorco suscitata est filia. Scyllam autem Phorci fuisse filiam dicit Theodontius a Phylodoro testari, eamque cum ex Sardinia Steleno Corinthio nobilissimo iuveni mitteretur in coniugem, ibidem perisse, et loco reliquisse nomen.

CAP. X.

De Medusa, Stennione et Euriale Gorgonibus et filiabus Phorci.

Medusa, Stennio, et Euriale Phorci filie et ex monstro marino suscepte fuere, ut Theodontius dicit. He quidem Gorgones appellate fuere, et, vetere testante fama, inter omnes tres unum tantum oculum habuere, quo utebantur vicissim; et, ut scribit Pomponius Mela in Cosmographia, insulas Dorcadas tenere, quas esse constat in oceano Ethiopico ex opposito Ethiopum Hesperidum. Quod etiam a Lucano testari videtur ubi dicit: Finibus

extremis Lybies, ubi fervida tellus Accipit oceanum demisso sole calentem, Squalebant late Phorcinidos arva Meduse etc. His insuper hanc fuisse proprietatem aiunt, ut quosunque eas intuentes in saxa converterent. Has duas tantum fuisse dicit Ovidius: Cuius in introitu geminas habitasse sorores Phorcidas, unius sortitas luminis usum etc. Et hec quantum ad omnes tres dicta sint. Nunc autem fictionum sensum libet inserere. Et ante alia has ego Phorci regis Sardinie, de quo supra, filias fuisse non puto, sed alicuius alterius Phorci apud insulas Dorcadas ea tempestate regnantis. Monstri autem marini ideo filias dictas puto a similitudine. Monstrum enim marinum balena est, cuius inter proprietates dicunt hi, qui animalium exquisivere naturas, hanc esse, ut dum os aperit, tanto odore cuncta circum compleri, ut omnes ad eam propinqui conveniant pisces, ipsa autem quos vult capit, donec eius expleatur fames; et quia equo modo Phorcinides mirabili pulchritudine sua ad se videndas omnes attrahebant homines, monstri filie dicte sunt. Eis unum tantum fuisse oculum ob id fictum videntur credere Serenus et Theognidus antiquitatum hystoriographus, eo quod unius et eque pulchritudinis essent. Ego autem reor eo quod ex eis intuentium omnium unum et idem esset iudicium. Quod autem prospectantes in saxa converterent, ob id fictum existimo, quia tam grandis esset earum pulchritudo, quod eis visis obstupescerent intuentes, et muti atque immobiles non aliter quam essent saxei devenirent.

Gorgones vero dicte sunt, quia, ut dicit Theodontius, cum moriente patre ditissime remansissent, adeo rem curavere suam, ut auctis divitiis plurimum a suis hoc vocarentur cognomine, quod sonat terre cultrices; nam Grece georgi agricultores dicuntur. Fulgentius quidem longe aliter sentit. Dicit enim tria esse terroris genera, que per nomina harum demonstrantur. Stennio namque debilitas interpretatur, id est timoris initium, quod tantum mentem debilitat. Euriale vero idem est quod lata profunditas, id est stupor vel amentia, que profundo quodam terrore mentem debilitatam spargit. Medusa autem oblivionem significat, que non tantum mentis turbat intuitum, verum etiam caliginem ingerit visus. Hec terror in omnibus operatur. Sed, salva semper Fulgentii reverentia, ista non videntur de mente fingentium, cum hec non terrorem, sed admirationem inferrent.

CAP. XI.

De Medusa Phorci filia in singulari.

Medusa filia Phorci, ut dictum est, cum spetiosissima mulierum esset, habuit inter alia sui decoris spectabilia, ut Theodontius asserit, crines non solum flavos, sed aureos, quorum splendore captus Neptumnus cum ea concubuit in templo Minerve, ex quo concubitu Pegasus equus natus est; quam ob rem turbata Minerva, ne ignominia templo iniecta remaneret inulta, crines

Meduse mutavit in angues, et sic ex pulchra monstruosa facta est. Cuius monstri cum fama volitaret undique, factum est, ut ad illud superandum veniret Perseus scuto Palladis armatus, qui ei caput abscidit, et cum volans remearet in patriam, caputque secum deferret Gorgonis, contigit quod cadentibus guttis sanguinis per solitudines Lybicas ex eis crearentur serpentes, quorum plenissima est Lybia. Medusam crines habuisse aureos ideo fictum reor, ut intelligamus eam fuisse ditissimam, cum per crines summantur substantie temporales, propter has autem substantias Neptunus, id est exterus homo, ut fuit Perseus, in concupiscentiam eius trahitur, et eam in templo Minerve opprimit, id est intra terminos prudentis consilii illam superat; quod etiam per scutum Palladis demonstratur, qui cristallinus erat, ut per eum summatur prudentis circumspectio; habet enim hoc cristallum, ut reddat oculis intuentis quicquid extra se geritur; sic et dux discretus consilio, quid possint hostes agere, intuetur, et sic se tutum facit, dum illorum a se previsa frustratur consilia. Ex compressu autem prudentis et exteri ducis oritur Pegasus equus, id est fama, ut in sequentibus, ubi de eo, patebit latius. Crines autem in serpentes vertuntur, quotiens quis ratione substantiarum suarum opprimitur; nam que consueverant splendoris esse causam, possidenti in mordentes sollicitudines curasque vertuntur. Caput enim tunc Meduse absciditur, cum substantiis spoliatur, per quas vivere et multa posse videbatur. Quod serpentes in Lybia ex sanguine capitis Meduse nati sint, ad roborandam figmenti

speciem potius, quam ad aliquid significati tegendum dictum est. Testatur autem Eusebius in libro Temporum, hanc Medusam a Perseo preda divitiarum tracto superatam, atque regno divitiisque privatam, Cecrope Athenis regnante, dicitque a Dydimoscriptum in hystoria peregrina.

CAP. XII.

De Albione IIII^o et Borgione V^o filiis Neptunni.

Albion et Borgion, ut Pomponius Mela in libro Cosmographye testatur, filii fuere Neptuni. Ex quibus ipse idem talem recitat fabulam. Transeunte Hercule inter hostia Rodani et loca, que postea Mariana fossa dicta sunt, ei Albion et Borgion obvii facti sunt, eius impediennes transitum. Quam ob rem cum Hercules adversus eos inisset certamen, deficerentque ei tela, ab invocato patre eius Jove illi subsidium datum est, ymber scilicet lapidum, quorum adeo locus ille habundans est, ut facile pluisse existimes. Arbitror ego hos probos fuisse viros et advenas, cumque sibi ibidem sedes sumpsissent, timentes ne forte pellerentur, obviasse Herculi vel alteri venienti, a quo superati sunt, et iacentes passim lapides locum fabulose pluvie invenisse.

CAP. XIII.

De Thara VI^o Neptumni filio.

Tharam filium fuisse Neptuni Servius asserit, dicitque eum circa Sallentinorum confinia Tarentum olim inclitam civitatem condidisse, et a suo nomine nuncupasse. Esto Iustinus velle videatur a spuriis Spartanorum conditam. Verum idem Servius ab eiusdem duce Phalanto non conditam, sed restauratam confirmat.

CAP. XIV.

De Polyphemo Cyclope VII^o Neptumni filio.

Polyphemus Cyclops, uti et reliqui Cyclopes omnes, filius fuit Neptuni ex Thoosa Phorci filia conceptus, ut in Odissea dicit Omerus: Ἀντίθεον Πολύφημον, οὐκ κράτος ἐστὶ μέγιστον Πάσιν ἐν Κυκλώπewς Θῶωσα δέ μιν τεκε νυμφῇ, Φορκυνος θυγάτηρ, ἄλος ἀτρυγέτοιο μέδοντος, etc. Que latine sonant: Antitheum Polyphemum, cuius potentia est magna omnibus in Ciclopibus; Thoosa autem ipsum genuit nympha Phorcinidos filia mari sine fece predominantis. Constat enim hunc inter Cyclopes notissimum et potentissimum fuisse, quem Ovidius Galatheam Syculam nynpham amasse describit, atque Acim eius amasium occidisse. Preterea eum unicum habuisse oculum volunt et ingentis stature fuisse

hominem, atque amplissimos in silvis Syculis servasse <greges>, et postremo ab Ulixē privatum oculo. De quo Omerus in Odissea talem refert fabulam. Dicit enim, quod cum Ulixes vagus post Ylionis excidium, Lothophagis relictis, venisset in Syciam, vidit ibi hominem villosum et hispidum greges mungentem, et ab antro suo solum amoventem lapidem, quem movere nequissent iuga boum XX; tandem cum antrum intrasset eius cum XII ex navalibus sociis, Polyphemoque percontanti narrasset, qui essent et unde venirent, orassetque eius in suis oportunitatibus favorem, a Cyclope superbe responsum est, cum diceret se Jovem non timere, eoque se meliorem; et cum rogasset quonam navim liquissent, Ulixes perfidiam Cyclopi sentiens, respondit se cum sociis naufragium fecisse. Post que Cyclops, videntibus ceteris, captis duobus ex eis, illos ritu belve discerpit atque devoravit. Qua re commotus Ulixes cogitaverat eum occidere, sed advertens, quia tam ingentem molem ab hostio antri amovere nequisset, destitit. Cyclops autem, mane facto, duos alios comedit, et Ulixē cum reliquis in specu relicto, cum gregibus abiit. Ulixes autem clausus, ingentem baculum acuit, textitque fimo, et cum sero Cyclops rediens duos insuper ex sociis occidisset Ulixis, obtulit ei Ulixes optimi vini cadum, misericordiam orans. Cyclops potato vino promisit misereri, si vinum iterum propinaret; quod postquam factum est, cum tercio potasset, nomen petiit Ulixis. Qui illi se Utim vocari respondit, quod Latine sonat nullus. Cui Cyclops, loco muneris exhibiti poculi, te ultimum comedam.

Tandem cum ob bibitum vinum Cyclops insuetus facile se solvisset in somnum, Ulixes sumpto stipite quem sepeliverat in firmum, eoque igne perusto, animatis in facinus sociis, incensum in oculum Cyclopis acri nisu impigere. Cyclops autem expectatus, ingenti clamori socios antro propinquos invocavit adiutores. Qui circum antrum querentes, quisnam illum infestaret, cum Cyclopem Utim respondentem audissent, arbitrati quia naturali egritudine gravaretur, abeuntes dixere, ut Neptunum patrem pro sospitate precaretur. Cyclops autem tristis cum amovisset ab hostio antri molem, pretendissetque brachia nequis hostium exiret antrum cum gregibus, prescrutatis singulis pecudibus, emittebat. Ulixes autem cum sociis cum se occisorum arietum pellibus contegissent, exivere antrum quadrupedes et a Cyclope incogniti, qui deductis ex pecoribus Cyclopis, festini ad naves abiire. Quos cum sensisset Cyclops, eiecta mole ingenti fere navim attigit. Ulixes autem ex tuto illi nomen aperuit suum. Quod cum audisset Cyclops: Heu, dixit, in vaticinium Tylemi Eurimedis Cyclopis tandem deveni. Ulixes autem abiit. Virgilius vero eius tam formam quam domum, narrante Achymenide uno ex sociis Ulixis, longe breviori carmine designat, dicens: Immemores socii vasti Cyclopis in antro Deseruere; domus sanie dapiibusque cruentis Intus opaca ingens, ipse arduus altaque pulsat Sydera, dii talem terris abvertite pestem, Nec visu facilis, nec dictu affabilis ulli. Visceribus miserorum et sanguine vescitur atro etc. His ex Polyphemo premissis, ad intellectum intrinsecum

veniendum est, et primo videndum, quid Neptuni et Thoose filius dictus sit. Circa quod ego arbitror prestante causam matre, regis Sardinie filia, eum incognitum Sycliam advenisse; cuius cum occupasset partem seu forte totam incognitus, Neptuni dictus sit filius, et tyrannus insule factus, aliam ob causam patrem meruisse Neptunum; nam uti inexorabilis est Neptunus tempestate commotus, sic et inexorabiles sunt tyranni, ira aut cupiditate commoti. Et quod hic ingentis forme, id est magne potentie, dux gregum, id est populorum tyrannus fuerit, quod oculus unus illi tantum fuerit ostendit; solam enim suam rem tyranni curant, nil in deum, nil in proximum, nil in subactam plebem respiciunt; homines vivos eviscerant atque corrodunt, dum substantiis evacuant subditos, dum exiliis damnant, dum innocuos cruciant. Hi tamen vino, id est blanditiis astutorum hominum sopiuntur, et oculo obcecantur, dum nudantur substantiis et dominio. De Aci autem et Galathea satis supra habitum est. Albericus autem de Polyphemo isto aliter sentire videtur, dicens hunc Polyphemum vocari quasi multe lucis hominem, ut cum Servio conveniat, qui dicit: multos dixisse Polyphemum unum habuisse oculum, alios duos, alios tres, sed totum fabulosum esse; quasi ipse velit unum tantum habuisse. Et ideo asserit hunc prudentissimum fuisse virum, et hunc in fronte oculum habuisse, id est iuxta cerebrum, sed ab Ulixep prudentia superatum; quod in Ulixis particularem laudem concedi potest, ut, superato donis sensu tyrannico, per

polysenum eloquium et dolosas demonstrationes, oculati hominis atque violentiam parantis manus effugerit.

CAP. XV.

De Thylemo VIII^o Neptumni filio.

Thylemus Eurimedes ex Cyclopibus unus, ut in Odissea ostendit Omerus, et ut ceteri dicuntur, sic et hic Neptuni filius, ex qua tamen matre nisi ea fuerit ex qua Eurimedes denominatur, non habetur. Hunc dicit Homerus senem fuisse et inter Cyclopes vaticinio valuisse, atque predixisse Polyphemo, quia ab Ulixé oculo privaretur.

CAP. XVI.

***De Bronte VIII^o, Sterope X^o et Pyragmone XI^o
Cyclopibus et filiis Neptumni.***

Brontes, Steropes et Pyragmon Cyclopes insignes fuere, et, ut dicit Theodontius, ex Anphyrite coniuge Neptuni fuere filii. Hos artificiosos fuisse homines constat, et acri labore duratos, quos Vulcano ignis deo attributos, ut sub eo apud Lyparam insulam Jovis conficiant fulmina volunt, ut Virgilius in Eneida plurimo describit carmine. Quorum si rite volumus causam originis eorum et officiis demonstrare, pauca de necessitate premittenda

veniunt; cum igitur Cyclopum due saltem videantur esse species, ne de una, quod de altera expositum est, intelligatur, veniunt distinguende. Prima est de qua supra ubi de Polyphemo, et illa, ut satis apparet, pessima. Secunda vero artificiosorum hominum est, ut apparebit in sequentibus. Et quoniam inter se discordes sunt, ut discordet interpretatio nominis gentilitii, quod commune habent, necesse est. Dicuntur igitur hi Cyclopes, qui artificiosi sunt homines, a ciclos, quod est circulus, et copis, quod est oculus, id est oculus circulatus. Seu ut brevius sententiam sequentes vocabulorum, circumspectus. Quod quidem artificem hominem esse oportet; nam si non sit, nequeunt congrue primis ultima respondere; et ideo consuevere circumspecti artifices antequam manum operi apponerent, mente et principium et medium et ultimum intueri, ut fini debita possent prestari initia, et sic opus inchoare. Papias autem dicit ciclides artes a Grecis nuncupari, eo quod origo illorum sicuti circuli initium latens sit. Ex quo vocabulo dici Cyclopes, tanquam ab arte artifex congrue dicere possumus. His premissis, cur Neptuni dicti sint filii videamus. Existimo quidem, eo quod ex mari seu aquis fere exemplaria rerum omnium artificiatum sumpta videantur. A piscibus quippe sumptum volunt, quo ordine in pugnam acies deducantur. Ab eisdem, quo pacto homines equique ferro tegantur, squamis eorum inspectis. A spina excarnificati piscis in litore ad construendas longas naves doctrina sumpta est. A bivaro construende domus et solaria artificium demonstratum. A testudine

consumptis carnibus cythare compositio ostensa est, et tectorum etiam documentum. A concis et spondilibus hostiorum atque valvarum flexuositates tradite, nec non et qualiter per circumflexos gradus in excelsas possimus turres ascendere. Sic ex quo pacto bucinas edere. In aquis preterea herbarum contextiones et productiones filorum exorte et interserere fila, telasque texere demonstratum. Aque ad varietates telarum colore facien- das piscium sanguine prebuere prime. Motus earum primus musicam et tempora eius atque concentum meditantibus dedisse compertum est. Quid multa dicam? Innumerabilia sunt, que mare producit instruentia artificum ingenia, ex quibus fit, ut merito artificiosos homines Neptuni filios nuncupemus, Cyclope- sque vocemus. Et quantumcunque Hesiodo placeat, Plinio teste in libro Naturalis hystorie, hos, qui Dactili vocati sunt, in Creta fabricam ferrarim invenisse; dicit idem Plinius a Cyclopibus atque Calibis ferrum fuisse compertum. Cur autem ex An- phytrite dicantur suscepti, puto a circumitione sonorum, cum undique perstreant artificum sonus. Vulcani enim ideo tradun- tur obsequio, quia igne molliuntur dura ad usum artificis, et mol- lia solidantur, ut latius ostendetur, ubi de Vulcano tractabitur. Quod autem apud Lyparam fabrilia operentur, dictum est ad ostendendum, quoniam ab artificibus loca artificio convenientia summenda sint. Quid queso faciet faber ferrarius in palude? Quid piscator in monte? Quid agriculator in saxo? Quid in soli-

tudine medicus? Nil equidem, et ideo in Lypara officinam fabrorum descripsit Virgilius, quia igneus locus sit, quo fabri molliunt era. Sed superest de nominibus rationem exquirere. Brontes enim, ut dicit Albericus, dictus est tonitru, quod fit tam sufflantibus follibus, quam etiam incudem verberantibus malleis. Sic et Steropes dicitur a fulgore, qui ex incendio nascitur. Piragmonem autem dicit ab incude calenti nomen sumpsisse, eo quod pyr ignis, agmon autem incus interpretetur. Et hec ideo his attributa sunt nomina, quia circa armorum artificium exerceantur; non enim talia darentur navim vel templum, seu palatium construenti. Volunt postremo, eo quod telum Jovi fecissent, quo Esculapius ictus est, hos ab Apolline interfectos. Quod ego intelligo cum Apollo interpretetur exterminans, et humoris expulsor sit. Quod ignis etiam facit opifices tales, si tale opus continuent, cito deficere, eo quod tam labore assiduo, quam igne continuo ante tempus desiccetur humor, et deficient.

CAP. XVII.

De Nausithoo XII^o Neptumni filio, qui genuit Rixinorem et Alcínoum.

Nausithous Pheycum rex, ut in Odissea placet Omero, Neptuni fuit filius et Perivie nynphe, dequo et eius prole sic ipse idem scribit: Ναυσίθοον μὲν πρῶτα Ποσειδάων ἐνοσίχθων

Γείνατο καὶ Περιβοῖα, γυναικῶν εἶδος ἄριστη,
Ὀπλοτατὴ θυγατρὴ μεγάλητορος Εὐρυμέδοντος etc.
[Que latine sonant]; Nausithoum quidem primo Neptunnus ter-
ram movens genuit, et Perivia feminarum specie optima iunior
filia magnanimi Eurimedontis. De hoc autem nil aliud reperitur,
nisi quod Rixinorem et Alcinoum filios habuerit.

CAP. XVIII.

De Rixinore Nausithoi filio, qui genuit Arithim.

Rixinor filius fuit Nausithoi, ut in Odissea sic ait Omerus:
Ναυσίθοος ἔτεκε 'Πηξήνορα etc. [Que latine sonant]: Nausithous
autem genuit Rixinorem. Hic Rixinor, ut idem dicit Omerus, co-
niugem sumpsit, et suscepta ex ea filia unica, quam Arythim no-
minavit, ab Apolline percussus occubuit, puto febre extermina-
tus fuerit.

CAP. XIX.

De Arythi Rixinoris filia et Alcynoi coniuge.

Arythis, ut in Odissea scribit Omerus, filia unica fuit Rixino-
ris, quam Alcynous Rixinoris frater et Pheycum rex sumpsit in
coniugem, et ex ea Nausytheam filiam et tres filios suscepit. Ad

hanc Ulixes ductu et consilio Palladis, transformate in effigiem Calpis virginis, a Calystone nynpha veniens naufragus accessit, et multa illi interrogatus exposuit, et tandem honorifice ab ea susceptus est.

CAP. XX.

De Alcynoo filio Nausithoi, qui genuit Nausithaam et Laodamantem et Alyoum et Clitonium.

Alcynous rex Pheycum, ut in Odissea dicit Omerus, filius fuit Nausithoi regis et vir Arythis. Ad hunc autem in convivio sedentem venit Ulixes, naufragium passus, et ab eo honorifice susceptus est, eique coniugium Nausithee oblatum, demum data ingentia munera, et navis que illum in patriam reportaret parata, sociique navales prestiti.

CAP. XXI.

De Nausithaa <Alcynoi> regis filia.

Nausithaa filia fuit Alcynoi et Arytis, ut testatur Omerus. Que cum exisset civitatem cum pedissequis suis, ivissitque ad flumen lotura vestes, factum est, ut videret Ulixem naufragum nudum in litore et frondibus arborum circumtectum, et ab eo suppliciter exorata, ut illi cibum daret, et vestes postulata concessit, et inde

illi suasit, ut ad patriam suam et ad regiam domum post se accederet, uti postea factum est; prout plene in Odissea narrat Omerus.

CAP. XXII.

De Laodamante et Alyoo et Clitomo filiis Alcinoi regis.

Laodamas, Alyos et Clitomus filii fuere Alcynoi regis et Arithis, Omero teste in Odissea. De quibus nil preter generales laudes inclite iuventutis eorum reperitur, et quod Ulixem una cum patre Alcynoo et matre eorum honoraverint, eique munera dederint.

CAP. XXIII.

De Melione XIII^o et Actoryone XIII^o Neptunni filiis.

Melion et Actorion Neptuni fuerunt filii, ut in Yliade scribit Omerus. Inducit enim Nestorem senem Patroclo dicentem se adhuc iuvene bellum habuisse adversus Arcades, et multos intermisit, et ni Neptunus Melionem et Actorionem filios suos caligine occultasset, eos eque cum aliis occidisset.

CAP. XXIV.

De Aone XV^o Neptunni filio.

Aon, ut dicit Lactantius, filius fuit Neptuni, et ab eo dictam affirmat Aoniam, que quidem pars est Beotie. Theodontius vero hoc idem asserit, Aonemque dicit ex Apulia factione suorum pulsum navigio venisse Euboeam et inde se in Boetiam detulisse, ibique rudibus adhuc populis in montanis imperasse, et illos Aonas una cum montibus ex suo nomine nuncupasse. A quibus Neptuni filius habitus est, cum Onchesti cuiusdam ditissimi hominis Apuli fuisset filius ex Parichia coniuge.

CAP. XXV.

De Mesappo XVI^o Neptunni filio, a quo Emnius poeta.

Mesappus filius fuit Neptuni, ut dicit Virgilius: At Mesappus, equum domitor, Neptunnia proles, Quem nec fas igni cuiquam nec sternere ferro etc. Hic enim, ut idem testatur Virgilius, Turno adversus Eneam auxilia duxit. Quem secuti sunt Fescennini, Equi, Falisci, et qui Soractis habitabant montem et Cimini silvas et lacus, et insuper Capeni. Hunc tamen dicit Servius per mare ad Ytaliā venisse, et inde Neptuni filium dictum. Eum autem invulnerabilem ferro, eo quod nunquam in bello perierit, ab igne vero immunem, eo quod Neptuni filius, quem deum constat esse aquarum. Ab isto dicunt Emnium poetam dicere se originem

ducere, eumque equorum domitorem dictum, quia animalia sint a Neptuno producta.

CAP. XXVI.

De Busyri XVII° Neptunni filio.

Busiris Neptuni fuit filius ex Lybia Epaphi filia susceptus, ut in libro Temporum ait Eusebius. Hic autem, ut dicit Augustinus in libro De civitate dei, regnante Danao Argivis, vel rex, vel potius tyrannus suis diis hospites immolabat. Quem Servius ab Hercule occisum dicit, eo quod cum apud illum divertisset, ut alios sic et eum voluisset occidere. Et idem Servius asserit huius Busiris laudes ab Ysocrate descriptas.

CAP. XXVII.

De Pegaso equo XVIII° Neptunni filio.

Pegasus equus alatus, ut testantur Servius et Lactantius, filius fuit Neptuni et Meduse, in templo Palladis conceptus, ut supra ubi de Medusa. Ovidius autem eum natum dicit ex sanguine cadente ab exciso Meduse capite, ut ubi De fastis dicit: Creditur hic cese gravido cervice Meduse Sanguine respersis prosiluisse comis. Quam Ovidii opinionem Fulgentius sequitur et Albericus. Hunc preterea non solum velocissimum sed volucrem aiunt

fuisse eodem Ovidio teste: Huic supra nubes et subter sydera lapsa Celum pro terra, pro pede penna fuit etc. Eumque dicunt pede Castalium Musis effondisse fontem, ut idem fert Ovidius: Fama novi fontis nostras pervenit ad auras Dum Medusei quem prepetis ungula rupit. Et paulo infra: Vera tamen fama est, et Pegasus huius origo Fontis, et ad latices deduxit Pallada sacros etc. Hunc insuper dicunt Bellorophontem adversus Chimeram monstrum euntem tulisse. Sic et Perseum dum ad Gorgones ivit. Anselmus vero, ubi De ymagine mundi, huic equo quedam addit, que ab alio nomine dicta comperi. Dicit enim illi cornua esse, eumque igneum habere anelitem et ferreos pedes, ut totus monstro sit similis. Illum postremo inter sydera locavere. Ovidio teste: Iamque indignanti nova frena receperat ore, Cum levis Aonias ungula fecit aquas. Nunc fruitur celo quod pennas ante petebat; Et nitidis stellis quinque decemque micat etc. Nunc his appositis, quid sensisse potuerint veteres, exquirendum est. Ego hunc equum famam rerum gestarum arbitror, cuius velocitas per cursum et volatum equi huius designatur. Qui ideo Neptuni et Gorgonis dicitur filius, quia ex gestis in mari et terra fama oritur. Quod in templo Palladis conceptus sit, ideo fictum puto, quia ex discrete et consulte gestis recte fama oritur; ex fortuitis autem nemini iure fama debetur, ex temerarie factis potius debetur infamia. Quod huic equo pedes sint ferrei dictum puto, ut demonstretur quoniam in circumendo nunquam fame deficiant

vires. Cornua vero apponuntur ei, ut famosorum comprehendatur elatio. Sic et anelitus igneus, ut gerulorum fervens dicendi desiderium cognoscatur. Eum Castalium effondisse fontem satis manifeste declarat, quia cupidine fame atque glorie temporalis a non nullis affectio ponitur omnis, ex qua quotiens optatum consequitur, totiens fons Castalius, id est, habundans dicendi materia oritur, que quoniam poetarum est, Musis ideo dicitur consecratus hic fons. Eum autem Bellorophontem et Perseum gessisse ad assumptas expeditiones, eo dictum dici potest, quia cupidine glorie in id delati sunt, quod egerunt. Seu, ut quidam volunt, ad id delati sunt navibus, quibus alatus equus erat insigne. Albericus peregrinam de hoc equo scribit opinionem ex Fulgentii fonte sumptam. Dicit enim eum dictum Pegasus a pege Grecum, quod Latine fontem sonat, eumque esse fluviorum omnium commune nomen, et hinc vult flumen, id est pege, equum esse Neptuni, id est ex Neptuno genitum, cum ex mari omnia nascentur flumina, et per alas velocitatem fluminum designari, et a pege vult pagos dici, quos veteres iuxta flumina semper ponere consueverant; et inde pagani quasi ex uno pege, id est fonte vel flumine potantes; et sic fontem quem dicimus a Pegaso pede factum, a Neptuno procedere sentiemus. Sed quid circa hunc equum et fontem sentiat Fulgentius, qui latissime scripsit, paucis apponendum est. Dicit ergo Pegasus ex Meduse sanguine nasci, eo quod in figura fame constitutus sit; nam cum virtus terrorem

decidit famam generat, quem ideo volucrem dicit, quia, ut dictum est, et fama volucris sit. Fontem autem Musis ungula aperuisse ideo fingitur, quia Muse ad describendam heroum famam, aut antiquorum gesta, aut priorum dicta sequantur. Preterea dicit idem Fulgentius Pegasus interpretari eternum fontem, quod arbitror, quia fama egregiorum hominum indeficiens sit.

CAP. XXVIII.

De Nictheo Neptuni XVIII^o filio, qui genuit Anthyopam et Nictiminem.

Nictheus, ut ait Lactantius, filius fuit Neptuni, et, ut Theodotius asserit, ex Cyleno filia Athlantis susceptus. Hunc dicit Lactantius Ethyopie fuisse regem, et Anthyopiam et Nictiminem filias habuisse, eumque secundum quosdam a Nictimine illecebri amore dilectum, cum qua cum opere nutricis concubisset ignarus, scelere cognito, eam voluit, ni aufugisset, occidere. Alii vero contrarium dicunt, eum scilicet infauste Nictinimem dilexisse, eamque, cum illi vim vellet inferre, aufugisse. Quod is Neptuni filius fuerit possibile est, cum fere contemporaneus evo Neptuni hominis videatur. Si autem non sit, ea ratione Neptuni filius dici potest, qua dicuntur et ceteri.

CAP. XXIX.

De Anthyopa Nycthei filia et matre Amphyonis et Zethi.

Anthyopam dicit Lactantius Nicthei regis fuisse filiam, cui Theodontius addit ex Amalthea Cretensi nynpha. Hanc, ut dicit Theodontius, Nictheus Lyceo Thebarum Egyptiarum regi dedit uxorem. Lactantius autem dicit eam vi ab Epapho Jovis filio stupratam. Alii dicunt a Jove. Quod cum sensisset Lyceus, ea abdicata, superinduxit Dyrce. Que ab eo impetravit ut illam in carcerem poneret. Verum cum tempus partus advenisset, miseratione deorum fractis vinculis aufugit in Cytheronem, et Anphyonem Zethumque peperit, et exposuit. Quos cum pastores educassent et iam eis pubescentibus cognoscerentur a matre, ab eadem sui generis certiores facti Lycum occidere et Dyrce in domito alligavere tauro, et matrem in suam dignitatem restituere. Hanc historiam abusio nominum implicuit, et quoniam in precedentibus ubi de Anphione latius dictum est, reiterare non curo.

CAP. XXX.

De Nictimine filia Nicthei.

Nyctimen Nicthei regis et Almathee fuit filia. Hanc aiunt seu patrem amaverit, seu ab eo amata sit, dum illius arma fugeret, miseratione Minerve in avem sui nominis versam et in eius tutelam susceptam; cuius figmenti talis potest esse ratio: Nictiminem

prudenti usam consilio, seu sui criminis, seu paterni verecundia, nunquam post scelus in lucem comparuit, et inde noctua dicta est. Quod in tutelam Minerve venerit ubi de Minerva explicata ratio est.

CAP. XXXI.

De Yrceo XX° Neptuni filio.

Yrceus, ut Theodontius dicit et Paulus, filius fuit Neptuni ex Alcione filia Athlantis susceptus, ex quo nil aliud memini me legisse.

CAP. XXXII.

De Pelya XXI° Neptuni filio, qui genuit filias et Acastum.

Pelyas filius fuit Neptuni et Tyro nynphe filie Salmonei regis Salamine, ut in Odissea satis extense describit Omerus. Dicit enim hanc consuevisse circa ripas Enyphei fluminis delectari; quam ob rem Neptunus, Enyphei sumpta forma, virginem cepit, et cum ea concubuit, et ex eo concubitu geminos genuit Pelyam scilicet, et Neleum. Tyro autem postea nupsit Crythio. Pelye autem apud Thesaliam regnanti, ut dicit Lactantius, ab oraculo responsum est: tunc illi propinquam mortem fore, cum eidem

Neptuno patri sacrificanti aliquis pede nudo superveniret in sacris. Cui annua sacra peragenti supervenit Jason nepos altero pede nudus; celeranti enim ad sacrum in limo fluminis calciamentum retentum est. Quod cum vidisset Pelyas, oraculi memor, confestim non tantum sibi, sed filiis timens propter egregiam Jasonis virtutem, eidem Jasoni suasit, ut expeditionem in Colcos ad gloriam sui nominis consequendam assumeret, existimans, ut fama ferebatur, arduum nimis et difficile aureum vellus posse surripere, et sic eum facile periturum. Qui cum assumpsisset, et preter spem Pelye cum aureo vellere et Medea coniuge rediisset, eo itum est, ut opere Medee Pelyas a filiabus occideretur, filio Acasto superstite. Circa id quod fictum est, dicebat Leontius Pelyam Neptuni hominis fuisse filium, eumque secus Enypheum in specie iuvenis incole a Tyro dilecti, eam non resistantem atque similitudine forme deceptam oppressisse, et ex ea filios suscepisse duos.

CAP. XXXIII.

De filiabus Pelye.

Filias Pelye regi fuisse satis constat, Ovidio inter alios recitante, que tamen illis fuerint nomina a nemine dictum comperio. He quidem, ut moris est filiarum, senectuti Pelye patris eorum compatientes ei astabant continue. Quas aiunt Medeam fraude

decepiſſe, adeo ut earum pietas in patrem in ſceſtum verteretur facinus. Nam cum cerneret Medea ſenectutem Pelye, ut dicebat Leontius, Jasonis obſtare imperio, ficto cum Jafone iurgio ſeceſſit ad illas, et diu de iniquitate Jasonis queſta, in detrimentum eius dixit ſe iuventutem Pelye herbis reſtituere velle, ut paulo ante Enſoni reſtituerat, et ſic credulis filiabus Pelye ſuaſit, ut omnem ſanguinem frigidum atque veterem ex tremulo Pelye ſenis corpore cultris exhaurirent, ut novum atque floridum venis poſſet immittere. Quod cum feciſſent puelle, expiraſſetque Pelya, ad Jasonem rediit Medea. Dicit Theodontius inter Pelyam et filias a Medea ſeminatam zizaniā, et ob eam puellas ferro in ſenem patrem inſurrexiſſe, et illum occidiſſe.

CAP. XXXIV.

De Acaſto Pelye filio.

Acaſtus, teſte Seneca poeta in tragedia Medee, Pelye fuit filius; dicit enim ſic: Terrors pavidum, quippe te pene expetit Letoque Acaſtus regna Teſſalica obtinens. Senio trementem debili atque evo gravem Patrem peremptum queritur et ceſi ſenis Diſciſſa membra, cum dolo capte tuo Pie ſorores impium auderent nephas etc. Verba ſunt Creontis ad Medeam.

CAP. XXXV.

*De Neleo XXII^o Neptuni filio, qui genuit Nestorem,
Periclimenonem, Cromium et Pyro puellam.*

Neleus Neptuni filius ex Tyro, ut supra ubi de Pelya monstratum est. Qui, ut scribit Omerus, a Pelya fratre pulsus ex Thesalia Pylon condidit, et ibidem habitavit deorum cultor. Huic fuit coniunx Cloris Anphyonis Orcomeni regis filia, ex qua, ut idem dicit Omerus, suscepit Nestorem, Periclimenonem, Cromium, et Pyro feminam, et alios usque in XII, sed eorum nomina non habemus.

CAP. XXXVI.

*De Nestore Nelei filio, qui genuit Anthilocum,
Pysistratum, Trasymedem, Echephronem, Stratium,
Perseum, Aritum et Polycastim feminam.*

Nestor filius fuit Nelei ex Clori coniuge, ut dictum est. Cui XII fuere fratres, ut testatur Ovidius dicens: Bis sex Neleides fuimus, conspecta iuventus etc. Fuit enim homo hic etate longevus, ut ipsemet tempore Troiani belli fatetur apud Ovidium dicens: Spectatorem operum multorum reddere, vixi Annos bis centum, nunc tertia vivitur etas etc. Bellicosus preterea fuit; nam inter alia, vivente adhuc patre, eo existente iuenculo, bellum adversus Epyos gessit, et multos in pugna peremit, Omero teste in

Yliade. Postea vero cum Theseo in nuptiis Perythoi fuit in certamine adversus Centauros. Et, ut de reliquis taceam, cum Grecis apud Troiam arma senex gessit, et sepe Troianis obvius fuit in pugna. Fuit insuper facundia celebris adeo, ut sepe principum mitigaret iras et in concordiam discordes reduceret. Huic Euridices filia Clymenii, ut dicit Omerus, coniunx fuit, ex qua septem filios et filiam unam suscepisse idem testatur Omerus. Quo tamen fine subtractus sit, legisse non memini.

CAP. XXXVII.

De Anthiloco Nestoris filio.

Anthilocus filius fuit Nestoris et Euridicis, ut apparet per Omerum in Odissea, qui scribit Pysistratum Nestoris filium in domo Menelai apud Lacedemoniam mortem eius flentem. Nam secutus patrem ad Troianum bellum, ibidem in pugna, dum viriliter ageret, a Mennone Aurore filio occisus est.

CAP. XXXVIII.

De Pysistrato Nestoris filio.

Pysistratus filius fuit Nestoris et Euridicis. Hunc autem Nestor dedit in socium Thelemaco Ulixis filio, volenti ire Lacedaemoniam, interrogaturus Menelaum, nunquid aliquid de Ulixē patre sciret.

CAP. XXXIX.

De Trasymede Nestoris filio.

Trasymedes Nestoris fuit filius et Euridicis, quem secum Nestor, ut testatur Omerus, duxit in Troianum bellum.

CAP. XL.

De Echephrone, Stratio, Perseo et Aritho filiis Nestoris.

Echephron, Stratios, Perseus et Arithos filii fuere Nestoris et Euridicis. Quos ideo in unum iunxi, quia nil particulare de aliquo eorum legerim.

CAP. XLI.

De Polycaste Nestoris filia.

Polycastis filia fuit Nestoris et Euridicis, iunior ex filiabus Nestoris, Omero teste, et sic apparet eum alias habuisse, quarum ego nomina non cognovi, nec de ista aliud audivi.

CAP. XLII.

De Periclimenone Nelei filio.

Periclimenon Nelei filius fuit et Cloris, ut Ovidius testatur, affirmans huic a Neptuno avo concessum, ut posset se in quas vellet transformare figuras. Ex quo factum est, quod cum Hercules in ultionem Epyorum adversus Messanos atque Pylios et Elypios acri dimicaret pugna, hic forte occisorum fratrum dolore commotus, in avem versus, Herculem uncis pedibus infestaret plurimum, et ut Hercules illum volitantem sagicta interemeret. Hunc vertibilem in quam vellet formam, nil aliud intelligo quam eius membrorum agilitatem, qua tanquam cervus saltabat, currebatque uti volasset avis et huiusmodi faciebat. Eum autem volitantem occisum credo volucris cursu fugientem.

CAP. XLIII.

De Cromio Nelei filio.

Cromius Nelei fuit filius et Cloris, ut etiam affirmat Omerus. Qui quidem ea in pugna, quam Pylî et Messeni adversum Herculem gesserunt, cum decem fratribus suis occisus est, ut satis etiam demonstrat Ovidius in maiori volumine.

CAP. XLIV.

De Pyro Nelei filia et Biantis coniuge.

Pyro virgo Nelei et Cloris filia fuit, ut in Odissea scribit Omerus. Hec, ut idem asserit, adeo formosa fuit, ut illius fere omnes Grecorum nobiles optarent coniugium, eamque Neleo postularent. Qui nulli illam iungere voluit, ni sponderet ab Yphiclo matris Nelei patruo boves auferre, quos detinebat et dare negabat. Et cum nemo sponsionem hanc facere auderet, Melampus, vates ea tempestate clarus, Bye fratri suo ostendit post tempus fieri posse, ut ab Yphiclo deducerentur boves quos pascebat Neleus, suavitque illi sponsionem, ut tam spectabilis virginis coniugium consequeretur. Byas autem, fratri credens, spopondit Neleo quod petebat; et dum circa recuperationem boum conaretur, Yphicli iussu captus et carceratus est. Post tempus autem dimissus boves reduxit, et Pyro habuit in uxorem. Hec fere in textu Omeri continentur. Ultra quem dicebat Leontius, quod cum

Byas per annum in carcere servaretur, sensit trabes domus vermes fecisse, quos vulgo dicimus tarmos, concepitque ob viciatas trabes secuturam ruinam; quam cum prenuntiasset Yphiclo, meruit libertatem. Tandem cum interrogasset Yphiclus, filios non procreans, quid ad procreandos esset agendum, suasit illi, ut serpentis potaret venenum. Quo facto concepit uxor Yphicli et filium in tempore peperit. Quo beneficio ab Yphiclo illi restituti sunt boves. Quibus deductis, ut dictum est, Pyro deduxit uxorem, que illi peperit Anthyphatim et Manthyonem.

CAP. XLV.

De Cygno XXIII^o Neptuni filio.

Cignus filius fuit Neptuni, ut affirmat Ovidius: Jam leto proles Neptunia Cignus Mille viros dederat etc. Hic, ut idem dicit Ovidius, habuerat a patre ut ferro invulnerabilis esset, qua commoditate audax factus Troianis auxiliator, multis ex Grecis cesis, adversus Achillem inivit certamen. Qui cum illum gloriantem se cerneret, quod ferro vulnerari non posset, sumpto ingenti lapide in eum fessum atque iam crebris ictibus attonitum iecit. Cignus autem gravi impulsus ictu cecidit, quem confestim Achilles occupavit, et genu pectus eius premens, et manibus guttur in mortem ire coegit. Qui evestigio a patre in avem sui nominis mutatus, arma reliquit Achilli. Horum figmentorum talis expositio esse

potest. Neptuni filius dictus est Cignus forsan ob candorem cutis et membrorum agilitatem, cum hi qui humidi sunt complexione, que a Neptuno humiditatis patre procedit, colore sint candidi, et ut pluma molles cute, cui humiditati si proportionem debita immixtus sit calor, hi tales optima membrorum agilitate fruuntur; ex quo fit, ut docti in evitandis ictibus, ut quosdam vidimus, ferro feriri nequeant, et ut lassitudine vincantur necesse est, si sit qui tales superare velit. Quod autem avis factus sit sui nominis, intelligendum, quod eo mortuo nil de eo apud mortales superfuerit preter volatile nomen.

CAP. XLVI.

De Grisaore XXIII^o Neptuni filio.

Grisaor, ut in libro De originibus rerum affirmat Rabanus, Neptuni fuit filius, nec de eo amplius.

CAP. XLVII.

De Otho XXV^o et Ephyalte XXVI^o Neptunni filiis.

Othus et Ephyaltes, ut asserit Servius, filii fuerunt Neptuni ex Yphimedia Aloy Tytanis coniuge, quam idem Neptunus oppressit, ut in Odissea testatur Omerus. Hanc tamen Yphimediā Paulus vocat Electrionem, Theodontius autem Epymeidam. Hi

autem quoniam ex uxore Aloy nati sunt, ut plurimum Aloyde appellantur, sicut et sepe Herculem a victrico Anphytrioniadem appellamus. Hi quidem VIII digitis singulis mensibus crescere videbantur; quam ob rem parvo in tempore mole ingentis corporis mirabiles facti sunt. Dicit enim Omerus his ideo tam grande incrementum fuisse, eo quod a terra nutrentur, eosque non amplius VIII annis vixisse, et, eorum designans magnitudinem, dicit novem brachiorum amplitudinem habuisse, longitudinem vero VIII passuum. His insuper dicit Omerus in Yliade bellum fuisse adversus Martem, eumque ab eis captum atque catenis vincitum et in carceribus XIII mensibus detentum, et ni Juno Mercurio iniunxisset, ut pro liberationem eius ageret, in carceribus defecisset. Qui Mercurius clam eum rapuit, et sic liberatus est. Quod Claudianus tangit ubi De laudibus Stilliconis, dum dicit: Cum gemini fratres genuit quos asper Alous Martem subdiderint vinclis etc. Hi preter ea ab Aloo victrico in gigomantiam, cum ipse gravatus senio ire non posset, missi sunt. Qui ibidem, ut quibusdam placet, cum reliquis a Jove fulminati perire, et Ephyalti Ethna mons superimpositus, Otho autem mons quidam Cretensis. Alii vero dicunt, inter quos Omerus, eos ob magnitudinem corporis ausos montes montibus imponere celumque affectare; sed, ut in Odissea dicit Omerus, imberbes adhuc ab Apolline sagictis occisos. Quos Virgilius dicit apud Inferos detrusos, aiens: Hic et Aloydas geminos immania vidi Cor-

pora, qui manibus magnum rescindere celum Aggressi superisque Jovem detrudere regnis etc. His predictis, fictionum sensus aperiendus est. Dicebat autem Barlaam hos duos fuisse fratres ingentis potentie Aloy filios, sed ideo Neptuni dictos, quia preter mensuram omnem humanorum corporum excreverant, quod ad Neptunum spectare volunt ingentia producere corpora, eosque tantum VIII annis regnasse; et ideo a Terra nutritos dicunt, quia maximos proventus ex his que possidebant assumerent, et adversus Jovem, in Olympo monte habitantem, bellum secundum hystorias habuisse, et in eo bello iuvenes defecisse egritudine pestifera ambo, et hinc sumptum eos ab Apolline sagictis occisos. Alii vero dicunt hos cum Saturno adversus Jovem fuisse, et non nullas arces extullisse, et ultimo viribus Jovis quando in Flegra pugnatum est, cum aliis multis cesos. De captivo Marte nil reperi. Arbitror ego sic explicari posse. Martem insignem aliquem fuisse virum militari disciplina instructum, et bellicosum atque robustum, horum hostem, qui et si potens esset, tamen ut sepe contingit maiores succumbere, et obtinere minores, ab eis captus et carceratus est; et cum liberationi eius nullus adinveniretur modus, Mercurius, id est fraus, quia furum deus, qui clam et fraude furantur, Junone iniungente, id est pecunia, qua forte corrupti custodes, astutia Mercurii Mars liberatus est.

CAP. XLVIII.

*De Egeo XXVII° Neptuni filio, qui genuit Theseum et
Medum.*

Egeus Athenarum rex, filius fuit Neptuni, Theodontio affirmante, et marinus deus. Huic, dicit Paulus, due fuere coniuges, quarum prima dicta est Ethra filia Pycthei regis <Trohezenis>, ex qua Theseum suscepit. Secunda, ut testatur Ovidius, fuit Medea profuga, quam a Jasone repudiatam atque fugientem, non solum suscepit hospitio, sed illam etiam sibi matrimonio copulavit, et ex ea, ut placet Justino, Medum filium suscepit. Successit quidem in regno Pandioni regi, quem Theodontius secundum veritatem dicit eius fuisse patrem, et, eo regnante, multa incommoda Atheniensibus evenere. Nam inter alia bellum Mynois regis Cretensium, quod in vindictam Androgei filii sui indigne occisi moverat, diu tulere; ultimo cum succubuissent, in has a Mynoe deducti sunt leges, ut, scilicet annis singulis, VII nobiles iuvenes ad Mynotaurum Cretam mitterentur. Qui tribus annis forte missi sunt, quarto autem sors cecidit in Theseum, qui maximo Egei patris dolore navem conscendit iturus, et cum omnia navigii ornamenta nigra essent, et navis velum, habuit in mandatis a patre, ut si contingeret in agendis eum felicem obtinere exitum, rediens navi album imposeret velum, amoto nigro, ut a longe fortunium suum nosceret. Theseus autem Adryane consilio victor, mandatorum immemor, non amoto nigro velo, redibat. Egeus excelsa turri prospectans, nigrum videns velum,

Theseum mortuum arbitratus, ex turri se deiecit in mare, et mortuus ab Atheniensibus liberatis et Neptuni filius et maris deus in solatium Thesei consecratus est.

CAP. XLIX.

***De Theseo Egei filio, qui genuit Ypolitum,
Demophontem et Anthigonum.***

Theseus inclitus Athenarum rex fuit Egei regis filius et Ethre. Ingentis atque generosi animi iuvenis plura memoratu digna peregit, adeo ut inter Hercules plurimos nominetur unus. Hic quidem ante alia cum Hercule ab Euristeo misso adversus Amazones expeditionem suscepit, ut dicit Iustinus, et cum multas occidissent atque cepissent, cepere inter alias Menalippem atque Ypolitem Anthiope regine sorores. Sed Hercules pro armis regine Menalippem sorori restituit. Theseus vero Ypolitem, que sibi in sortem prede contigerat, sumpsit uxorem, ex qua Ypolitum filium suscepit. Preterea ingenti virtute, ut refert Statius, Creontis Thebani regis superbum retudit imperium, egitque que prohibebat officia funeralia, possent occisis in bello regibus exhiberi. Et taurum, ab Euristeo Attice terre immissum cuncta vastantem, apud Marathonem interfecit. Sic Scyronem latronem hospites suos, dum resideret in scopulo, aut lavare sibi pedes, aut se adorare cogentem, eosque incautos precipitantem in mare. Et

Procurtem eque latronem super Cephysio flumine habitantem, et nocte suos hospites trucidantem, superavit atque occidit. Helenam insuper Castoris atque Pollucis sororem virginem, celestis pulchritudinis insignem, in palestra ludentem rapuit. Minotaurum interemit et Athenas a turpi servitio liberavit. Adrianam atque Phedram Mynois filias patri surripuit, et Adriana relicta, Phedram sibi coniugio copulavit, ex qua quosdam filios suscepit. Athenienses per diversa passim vagantes in patriam revocavit, et in formam civium sparsos agresteque reduxit. Et, ut placet Plinio ubi De hystoria naturali, primus federa adinvenit. Adversus Centauros, in nuptiis Perythoi amici sui, egregie pugnavit, eosque superavit, illique comes ad Inferos usque ad rapiendam Proserpinam ivit, sed minus feliciter ex hoc illi successit; nam Perythoo a Tricerbero Orci cane trucidato, mortis ipse in periculo fuit, ni forte supervenisset Hercules, qui illum a discrimine liberavit et reduxit ad superos. Et Athenas rediens coniugem querulam accusantemque falso de stupri interpellatione Ypolitum comperit, quem fugavit, et quantum in eo fuit occidit. Postremo iam senex a civibus suis pulsus, exul apud Schyrum minorem insulam diem clausit, cum annis XXVIII Atheniensibus imperasset. Has eius laudes fere omnes Ovidius paucis testatur carminibus, ubi dicit: Ingenium faciente canunt: te, maxime Theseu, et infra per undecim versus.

CAP. L.

De Ypolito Thesei filio, qui genuit Virbium.

Ypolitus Thesei et Ypolites Amazonis fuit filius. Hic cum venerationibus, celibem vitam ducens, vacaret, et omnino constanti animo mulieres sperneret, a Phedra noverca, absente Theseo, amatus est, desiderio cuius, cum obtemperare noluisset, Theseo redeunti ab ea accusatus est. Qui, in furorem versus, filii necem optavit. Verum Ypolitus timens, consenso curru, fugam cepit. Quo fugiente, fortuitu phoce, que in litus exiverant, audientes equorum strepitum, dum sese in mare fugientes precipitant, equos exterruere Ypoliti. Qui per scopulos adversus eius imperium viresque currum trahentes, atque vi eius conpagem dissolventes omnem, infelicem iuvenem loris implicitum adeo per abrupta traxere, ut pro mortuo a circumvicinis collectus sit. Esto poete omnes, et signanter Seneca in tragedia eiusdem Ypoliti, laceratum atque discerptum omnem asserant et occisum. Qui tandem opere atque subsidio Esculapii, quasi ab Inferis in sanitatem pristinam non absque longo labore revocatus est. Que quidem testatur Virgilius dicens: Namque ferunt fama Ypolitum, postquam arte noverce Occiderit patriasque exlerit sanguine penas Turbatis distractus equis, ad sydera rursus Etherea et superas celi venisse sub auras, Peoniis revocatum herbis et amore Diane etc. Constat igitur ex eventu fabule locum datum,

Theseum scilicet a patre habuisse, ut ter posset optare quod vellet, et quia nunc filium optasset occidi, phocas a patre emissas in litus. Ypolitus autem ne terciam patris experiretur iram, qui ante Ypolitem matrem eius occiderat, et nunc eo inaudito eum querebat in penam, Atticam terram liquit et in Ytaliam venit, haud longe a loco, ubi postea condita Roma, et, mutato nomine, se Virbium appellari iussit, quia bis vir fuisset, semel ante eventum, et iterum postquam beneficio Esculapii in vitam videbatur revocatus; et ideo dicit Virgilius: At Trivia Ypolitum secretis alma recondit Sedibus, et nyphe Egerie nemorique relegat, Solus ubi in silvis Ytalis ignobilis evum <Exigeret>, versoque <ubi>, nomine Virbius esset etc. Ibi autem dicit Theodontius oppidum construxit, quod ex nomine sumpte coniugis Ariciam appellavit. Dicit preterea idem Theodontius falsum esse Ypolitum celibem vitam egisse, quin imo secreto amore Ariciam nobilem Attice regionis feminam adamavit, quam Dianam, eo quod venationibus vacaret, vocabat et se Dianam colere asserebat, et opere huius Aricie factum dicit, ut ab Esculapio sanaretur, cum mortuum illum arbitraretur Theseus.

CAP. LI.

De Virbio Ypoliti filio.

Virbius filius fuit Ypoliti et Aricie, post Ypoliti fugam ex Actica susceptus. Qui cum adolevisset, Enea Ylione deleto in Ytaliam veniente, a patre missus est in subsidium Turni, prout describit Virgilius: Ibat et Ypoliti proles pulcherrima bello Virbius, insignem quem mater Aricia misit, Eductum, Egerie lucis etc. De eo autem nil aliud habemus.

CAP. LII.

De Demophonte Thesei filio.

Demophon, ut Theodontius asserit, filius fuit Thesei ex Phaedra. Hic quidem cum ceteris Grecis in bellum Troianum ivit. Ylione autem deiecto, dum rediret in patriam, tempestate in Thraciam delatus, a Phyllide Ligurgi regis filia hospitio et lecto susceptus est. Et cum aliquandiu secum fuisset, audito quod Mnesteus Athenarum rex, agitatus procellis, et nausea vexatus maris, appulisset ad insulam Melos, et ibidem clausisset diem, regni cupidine tractus, impetrata per tempusculum licentia a Phyllide, resarcitis navibus, Athenas rediit, et post XXIII annum paterni exilii, ut dicit Justinus, Athenarum regnum assumpsit, neque de reditu curavit ad Phyllidem; et cum annis XXXIII regnasset,

mortuus est. Cui successit Osyntes; utrum hic eius fuerit filius incertum habeo.

CAP. LIII.

De Anthigono Thesei filio.

Anthygonus, ut dicit Theodontius, filius fuit Thesei et Phedre, et, ut dicit Barlaam, natu maior Demophonte, et post fugatum ab Atheniensibus patrem fere adhuc pubes ab Atheniensibus assumptus, et rex factus Mnesteusque vocatus. Qui Troiam vadens, non satis de ingenio Demophontis fidens, eum secum traxit. Hic rediens tempestate actus nimia apud insulam Melos expiravit.

CAP. LIV.

De Medo Egei regis filio.

Medus, ut Justinus tradit, Egei regis Athenarum et Medee fuit filius. Quam, idem Justinus dicit, cum privignum vidisset adultum, ab Egeo per divortium discessisse, et Colcos cum Medo filio abiisse. Ovidius autem dicit, ob paratum Theseo venenum, ut ubi supra de ea, eam aufugisse. Aiunt insuper aliqui eam Jasonis in gratiam rediisse, et cum eo e Thesalia pulso in Colcos rediisse, et hunc Medum inde ivisse in Asyam atque viribus plura

sibi subegisse regna, sed eam tenuisse partem, quam Mediam appellamus, et de suo seu matris nomine nuncupasse.

CAP. LV.

***De Onchesto XXVIII° Neptumni filio, qui genuit
Megareum.***

Onchestus, secundum Lactantium, filius fuit Neptuni. Quem Servius et Lactantius dicunt Onchestam civitatem propinquam promontorio Micalesso constituisse, et suo nomine appellasse. Nec de eo aliud, preter quod Megareum filium genuerit, legi.

CAP. LVI.

De Megareo filio Onchesti, qui genuit Yppomenem.

Megareo filius fuit Onchesti, ut liquido testatur Ovidius, loquente sic Yppomene: Namque michi genitor Megareus Onchestis illi Est Neptunus avus, pronepos ego regis aquarum etc.

CAP. LVII.

De Yppomene Megarei filio.

Yppomenem Megarei fuisse filium satis ostensum est. De hoc Ovidius talem refert fabulam: Erat in Sciro civitate Athalas Cenei filia seu Jasii, virgo insignis pulchritudinis et perniciosissime velocitatis. Que ut plurimum deorum monitu habitabat in silvis. Hec cum a multis in coniugem peteretur, legem apposuit, ut scilicet cursus certamine peteretur, et, si qui superarentur ab ea, morte multarentur, victor autem eius potiretur connubio. Et cum iam plures magis audaces quam felices superati tam severa lege damnati essent, Yppomenes, ea nondum visa, talium ridebat stultitiam. Tandem cum casu contingeret, ut illam videret, miratus roseam faciem, sydereos oculos, os cinnameum, auream cesariem, pectus protensum, corpusque glabellum, et gestus placidos, confestim eius in ardorem incidit, qui ante damnaverat alios, nec dubitavit eius postulare coniugium, et severe legis subire discrimen. Virgo, autem, eius etati et formositati compassa, primo renuit, deinde sollicitata annuit. Yppomanes Veneris imploravit auxilium, que illi tulit ex viridario Hesperidum tria aurea mala, eumque docuit malorum usum. Porro cum cursum expediti intrassent, anteiretque virgo, iuvenis predoctus evestigio, vidente virgine, unum ex malis proiecit, fulgore cuius capta puella gradum collectura prevertit; et cum evolasset interim iuvenis, illa prestantior facile anteivit. Ille secundum eiecit, quod, dum illa collectura moratur, ille stadium arripit volucer. Sane illa pernici

velocitate malo collecto parva mora currentem preterit. Ast ille, cum iam meta cursus esset propinqua, tertium proiecit, quo detenta virgo, antequam volucris evolasse potuerit, tenebat Yppomenes terminum. Quam ob causam superata virgo, eius in coniugium venit. Cum qua dum letus in patriam abiret Yppomenes, fervoris impatiens, et suscepti a Venere muneris immemor, in lucum Cybeles illam deduxit, et ibi cum ea concubuit. Ex quo seu Veneris, seu matris deum indignatione, factum sit, amantes in leones versi sunt, et currui Cybelis additi. Qua sub fictione talis potest sensus abscondi. Primo mulierum si qua est obstinata duricies, auro et muneribus frangi posse, cum natura auri omnes et cupide et tenacissime sint mulieres. In leones autem ideo conversi dicuntur, quia in nemus Cybeles coiverunt, id est in deliciis mundanis habundaverunt, et ob id elati sunt, et sic in leones versi, quoniam leones superba sint animalia, et ideo versa vice currui Cybelis applicati sunt, id est in processu a rerum natura edocti, quoniam terrenis legibus omnes simus obnoxii, quia terrei vivimus, et quantumcunque superbientes, postremo in terram reducimur.

CAP. LVIII.

De Pelasgo XXVIII^o Neptunni filio.

Pelasgus, ut dicit Theodontius, filius fuit Neptuni. Ysidorus vero, ubi De ethymologiis, eum Jovis et Larisse filium dicit. Sane quoniam ex compertis apparet Theodontium talium solertissimum indagatorem fuisse, plus illi in talibus prestandum fidei ratus sum, et ideo Neptuni, non Jovis posui filium. Hic autem ea in parte Grecie regnavit, que postea ab Arcade Calistonis filio Arcadia dicta est, et ab eo denominata Pelasgia. Dicebat Leontius et in Asya esse Pelasgos, eosque adversus Grecos favisse Troianis, ut in Yliade testatur Omerus. Verum hi Pelasgi a Pelasga muliere Greca nomen sortiti sunt, quam aiunt ex Pelasgiis cum copiis in Asyam transmeasse et civitatem condidisse, et de suo nomine Pelasgiam nuncupasse, et inde Pelasgii, qui secus Lyciam sunt, appellati. Alii contrarium tenent Pelasgum regem fuisse in Asya, et ab eo Pelasgos et inde mulierem Pelasgam, ubi postea fuere Pelasgi, in Greciam ex Asya transfretasse, et ibidem occupata regione nomen imposuisse Pelasgis.

CAP. LIX.

De Nauplio XXX^o Neptunni filio, qui genuit Palamedem.

Nauplius Neptuni et Amimonis filie Danai regis filius fuit, ut testatur Lactantius, qui de eius origine fabulam recitat talem:

Amimone Danai filia, dum studiose in silvis iaculo exercitaretur, minus advertens percussit Satyrum; quam cum vellet Satyrus violare, illa Neptuni imploravit auxilium. Neptunus autem, fugato Satyro, ipse eam compressit, ex quo compressu Nauplium suscepit. Hunc Nauplium apud Euboeam regnasse constat, et eius aiunt fuisse filium Palamedem, Grecorum factione occisum apud Troiam. Quod cum egerrime ferret Nauplius, nec ad ultionem suppeterent vires, ad ingenium versus, stantibus apud Troiam Grecis, ut erat senex cepit omnem Greciam circumire, et regias intrare Grecorum principum, et ibi quibus poterat suasionibus, coniuges eorum in adulterium cum quibuscunque poterat trahere, arbitratus ex hoc in reditu Grecorum seditiones exorturas plures, eisque agentibus Grecos in suum sanguinem ruituros, et sic dum se invicem trucidarentur, immerito trucidati Palamedis mortem suis occisionibus expiarent. Creditumque est, ut Leontius asserebat, opere suo Clitemestram in amplexus Egypti venisse, ex quo Agamenon postea interemptus, et inde Egyptus et Clitemestra. Sic et Egyaleam Dyomedis coniugem in Cyllibari Steleni filii concubitus, et ut de reliquis taceam, conatur Lycophron inclitam Penelopsis famam Nauplii consiliis maculare, volens eam cum uno e procatoribus suis non nullas insomnes noctes egisse. Preterea inplacabilem senem aiunt tam ferventi animo vindictam optasse, ut redeuntibus Grecis, Ylione consumpto, in patriam, et acri atque turpi tempestate agitatis, Caphareum conscendisse montem, et nocte accensa face, quasi

in portum salubrem periclitantes acciret, in letiferos scopulos salutis avidos evocasse, et multis hoc facinore exitii extitisse causa; unde Virgilius: Sidus et Euboice cautes ultorque Caphareus etc. Amoti autem Satyri et oppresse Amimonis a Neptuno assignat Barlaam paucis verbis rationem, dicens: Satyrum virginis fuisse pedagogum, Neptunum autem Lerneum quendam Egyptium insignem, cuius primo Amimone pellex fuit quam coniunx, et ab eo Lerneum fontem denominatum atque provinciam.

CAP. LX.

De Palamede Nauplii filio.

Palamedes Nauplii fuit filius. Qui, cum esset una cum Grecis circa Troiam, et hi adversus Agamenonis imperium insurrexissent, seditione dolosa Agamenoni potestate subtracta, loco eius dux belli factus est. Huic enim cum Ulixes similitates erant, ut dicit Servius, eo quod Ulixes, insania ficta, conatus esset in bellum Troianum non ire, et ad eam simulandam, vinctis aratro dissimilibus animalibus, salem serebat. Cui ante aratrum ad experientiam summendam insanie, Palamedes apposuit Thelemacum puerum; quem cum vidisset Ulixes, illico suspendit aratrum. Preterea cum in Traciam frumentatum ivisset, et nil portasset, seque non comperisse diceret, Palamedes vadens reportavit affatim. Quibus indignatus Ulixes egre patiebatur illius gloriam. Quam

ob rem dolo eius factum est, ut a servis Palamedis satis grande pondus auri infoderetur sub tabernaculo eius, et inde, nuntii subornatis habitis cum fictitiis licteris, in consilio Grecorum Palamedem accusavit, quia cum Priamo de deditione Grecorum haberet tractatum, eumque auro esse corruptum, et ad evidentiam prodicionis incepte iussit eius in tabernaculo fodi, quasi, si ibidem comperiretur aurum, licteris esset exhibenda fides et nuntiis. Quam ob rem auro comperto, quod ipsemet infodi fecerat, Ulixis accusatio vera credita est, et Palamedes tanquam noxius lapidibus est obrutus.

CAP. LXI.

De Celeno XXXI^a, Aello XXXII^a et Occipite XXXIII^a

Arpiis filiabus Neptunni.

Celeno, Aello et Occipite arpye tres fuere, secundum Servium, Neptuni et Terre filie. Alii vero dicunt Taumantis et Eletre. Harum formam describit Virgilius, dicens: Tristius haud illis monstrum nec sevir ulla Pestis et ira deum, Stigiis sese extulit undis. Virginei volucrum vultus, fedissima ventris Proluvies, unceque manus et pallida semper Ora fame etc. Hic etiam describit in quibus habitent locis et unde venerint, dum dicit: Accipiunt Strophades Graio stant nomine dicte Insule Yonio in magno, quas dira Celeno Arpyeque colunt alie, Phyeia postquam Clausa

domus mensasque metu liquere priores etc. Ex his a Servio fabula recitatur, que supra ubi de Zetho et Calay plene scripta est, et quid per illam etiam sentiendum sit, et similiter de his dicta sunt quedam, ubi de Aleto et aliis Furiis supra scripsimus, et ob id pauca hic dicenda supersunt. Vult igitur Servius eas ideo Neptuni et Terre filias dictas, quia in insulis habitent, que terre sunt, et tamen <mari> circumdate. Ego vero eas Neptuni filias puto, quia monstruose sint ut per Virgilii carmen patet. Arpye autem secundum Fulgentium ideo vocantur, quia arpe Grece, Latine rapere est; et ideo earum prima dicta est Aello, quasi aellonon, quod est alienum concupiscere. Secunda vero Occipite, quod significat celeriter auferre. Tercia que Celeno nigrum sonat, per quod rapine occultatio summenda est. Et sic primo concupiscitur, secundo aufertur, tercio occultatur. Virgineos autem vultus ideo habere dicuntur, seu quia, ut dicit Fulgentius, sterilis sit rapina; cui ego addam quantum ad eum cui rapitur. Esto aliter putem. Fures quippe more suo placidos mitesque se in conspectu hominum exhibent, ut hac possint arte ignaros fallere. Uncas autem raptores habere manus expositione non indiget. Quod ora illis sint pallida, nil aliud vult pretendere, quam fames assidua, insatiabilis appetitus habendi, qua miseri et in rapinam prona auguntur continue. Fedissima ventris proluvia raptorum est, in quantum ut plurimum rapinarum turpis est exitus. Itur enim ex rapinis in ludum substantiarum consumptorem omnium et mi-

seriarum patrem. Itur in luxuriam lasciviarum et ociorum marcentium matrem. Itur in gula crapularum et egritudinum cloacam turpissimam et damnosam. Arbitror quidem has ad pyrratas avarissimos atque immanes homines spectare, eo quod litora inhabitent. Addebat insuper dictis Arpyis Omerus Arpyam unam, quam Thyellam vocitat, et ex ea Zephyrum dicebat equos Achillis genuisse. Hanc dicebat Leontius venti impetum seu procellam interpretari, per quam etiam pyrratarum demonstratur velocitas ad rapinam.

CAP. LXII.

De Sycano XXXIIII° Neptunni filio.

Sycanus, ut dicit Theodontius, antiquissimus rex fuit Sycilie et Neptuni filius, et ab eo insula, que antiquiori nomine dicebatur Trinacria, Sycania nuncupata est. De quo Solinus, ubi de Mirabilibus mundi, dicit: Sycanie diu ante Troiana bella Sycanus rex nomen dedit, advectus cum amplissima liberorum manu etc. Ex his nec nomen alicuius ad me pervenit. Dicit tamen Theodontius, huius Cererem fuisse coniugem et Proserpinam filiam, quam Jovis dixere poete.

CAP. LXIII.

De Syculo XXXV° Neptunni filio.

Syculus rex fuit Sycilie et Neptuni filius, ut Solinus de Mirabilibus mundi testatur. Regnavit autem, ut dicit Theodontius, post Sycanum, et ab eo Sycilia denominata est. Paulus hunc dicit filium fuisse Corithi et Eletre, et Dardani fratrem. Neptuni filium dictum, eo quod ex Tuscia in Syciliam transfretasset, et multa rudes homines docuisset.

Genealogie deorum gentilium liber X explicit.

**GENEALOGIE DEORUM GENTILIIUM SECUNDUM
JOHANNEM BOCCACCIIUM DE CERTALDO
LIBER UNDECIMUS INCIPIT FELICITER.**

In arbore precedenti, cuius in radice scribitur Juppiter, ponitur tam in ramis quam in frondibus pars posteritatis eiusdem Jovis, cum in sequentibus duobus libris residuum describatur.

Prohemium.

Ex Achaya inter Pachinum, Trinacrie promontorium, et veteres Syragusas leni satis spiritu me Subsolanus detulerat. Ibi dum, iam in finem fere deducta omni Neptuni prole, vetustissimorum regum potius adventum in insulam quam gesta narrassem, et mecum omnia circumspectans excogitarem, ad quam celi plagam vertenda esset navicule prora, venit in mentem tantum nunc velo, nunc remis, nunc pedibus itum fore, ut ex filiis Saturni, senis infausti, nullus supereset, cuius non esset descripta soboles, preter Jovem, quem patrem dominumque regemque deorum et hominum voluere. Obstupui, fateor, serenissime rex, et animi cedere vires, et, quasi itinere meo obstaculum insuperabile esset obiectum, desperans aiebam: Heu miser, potui amplissimum Oceani gurgitem intrare et fluctus in sydera usque surgentes

modico conscendere lembo; potui vastum litus omne Mediteranei maris inter mille scopulos et sonantia saxa ambire, montes scabrosos abscondere, lubricas calcare valles, tenebrosa antra subire, perscrutari lustra ferarum et silvarum atque nemorum sepositas umbras, lustrare urbes et oppida, et, quod longe terribilius, ad Manes usque descendere, et Ditis opacas intrare domos, et terre viscera oculis terebrare, et sic aliorum deorum prolem etiam renitentem calamo tanquam cognitam in medium trahere. Nunc autem, si Jovem non videro, quo pacto eius, que amplissima est, posteritatem scripsisse potero? Si autem Jovem vidisse velim, in celum ire necesse est. Quo, infelix, ex sublimi saltu, quo ex monte celso in illud meme deiciam? Quis me eo ventorum extollet impetus? Que deferet condensa nubes aut ipsius Jovis armiger ales? O utinam ab Inferis remearet Dedalus, qui solus homini pennas induere novit, et mortalibus insuetas celi vias ostendere; ipse forsitan oportunitati huic posset prestare suffragium, quod nisi, undecunque venerit, detur, post tot exanclatos labores, tot victos timores, tot etiam obices superatos, infecto itinere incohato, non absque ignominia temeritatis mee subsistendum est. Optabam preterea celestium videre patriam, et quo ordine sanctissimi illi gentilium theologi templa, palatia, atria, domosque disposuissent celitum. Preterea et cum ipso Jove ipsius sublime videre solium, quo iure sacrum illud deorum consistorium conveniret in unum, quod in illos ipsius imperium, quis ordo sedendi, que presidentis maiestas, que leges darentur, que

et quo ritu largirentur imperia, ut in finem debitum mundi gubernaretur mortalitas, et alia etiam tam pregrandis dei magnalia. Ceterum, dum hinc videndi desiderio celum ac perficiendi itineris angerer, inde desperatione premerer, et ecce ex litore Syculo, me etiam gubernaculum non regente, repentino impetu in Cretam usque delatus sum, quam cum circumspicerem, non ante Ydeum montem aspexi, quam, resoluta mentis caligine, et veri Dei illustratus lumine, proletarii Jovis cognovi cunabula atque fornices in circumitu, et, qua in parte eius cineres et ossa iacerent, memini, et sic eum non deum, celi thronum tenentem, fore perpendi, sed hominem, cuius acta, mores ut reliqua non maiori labore quam aliorum deorum gentilium poterant ex terrenis speculis intueri. Revocatis igitur viribus, ut eum eiusque numerosissimam prolem describam, iter, quod prepeditum rebar, intrabo, orans in optatum me terminum dirigat, qui futurum sibi dilectissimum populum per Rubrum mare eduxit sicco vestigio ex Egypto.

CAP. I.

De tertio Jove X^o Saturni filio, qui XXXVIII genuit filios, quorum hec sunt nomina: Prima Clío, II^a Euterpe, III^a Melpomene. IIII^a Thalya, V^a Polymia, VI^a Erathó, VII^a Tersycoré, VIII^a Urania, VIII^a Caliope, X Acheus, XI^a Venus, XII Amor, XIII^a Proserpina, XIII^a Castor, XV

Pollux, XVI^a Helena, XVII^a Clythemestra, XVIII Paliscus, XVIII Paliscus, XX Jarbas, XXI^a Mena, XXII Mirmidon, XXIII Xantus, XXIII Lucifer, XXV Orion, XXVI Minos, XXVII Serpedon, XXVIII Radamantus, XXVIII Archisius. De his undetriginta tractatur in presenti libro XI. XXX Tantalus, XXXI Dyonisius, XXXII Perseus, XXXIII Aon, XXXIII Eacus, XXXV Pylumnus, XXXVI Mercurius, XXXVII Vulcanus. De his vero octo scilicet a XXVIII^o citra, in XII^o libro tractatur. De reliquis duobus qui secuntur, scilicet de Hercule XXXVIII^o et Eolo XXXVIII^o, in libro XIII^o scribitur.

Jovem Cretensem, qui tercius in hoc opere est, Saturni et Opi fuisse filium omnis testatur antiquitas. Hic eodem partu cum Junone editus, ne a Saturno occideretur ob pactionem cum Tytano fratre factam, quam cito natus est, clam in Ydam Cretensem montem alendus ab Opi transmissus est, et, ut quidam volunt, Curetis populis commendatus, seu, ut alii dicunt, Ydeis Dactilis. Eusebius vero in libro Temporum dicit Creti regi Cretensium, et hunc illum in Hoson civitate, in qua matris eius est templum servasse atque nutrisse. Qui a Curetis dixere, addunt eum ab eisdem in antrum montis Yde delatum, ibique dum, ut parvuli faciunt, fleret, ne audiretur, cimbala et timpana et clipeos et arma pulsabant. Ad sonitum quorum, more suo convenientes apes, mella in os eius inferebant. Ob quod beneficium, postea

deus factus, dedit eis, ut absque coitu generarent. Aliis vero placet eum Nynphis alendum datum, inter quas, ut Dydimus in libris Narrationis Pyndarice asserit, Melliseo Cretensium regi duas fuisse filias Amaltheam et Melissam, que caprino lacte atque melle Jovem nutrierunt. Unde, dicit Lactantius in libro Divinarum institutionum, capellam Amalthee nynphe Jovem infantem uberibus suis aluisse; et ob id dicit Germanicus Cesar in Aratheo carmine: illa putatur Nutrix esse Jovis, si vere Juppiter infans Ubera Cretee mulsit fidissima capre, Sydere que claro gratum testatur alumnum etc. Quod etiam testari videtur poeta celebris Franciscus Petrarca in Buccolicis, ea in egloga, cui titulus Argus est, sic dicens: teneris signata labellis Ubera te moveant, nisi forte oblivia lactis, Illius astrigere nectar tibi suggerit aule. De grege nempe fuit nutrix tua etc. Servius autem dicit non in Ydam, sed in Dicteum montem a matre transmissum, et ob idem nutritum. Junius autem Colummella De agricultura scribens, libro IX^o, sic de educatione Jovis infantis ait: Nec sane rustico dignum est sciscitari, fueritne mulier pulcherrima specie Melissa, quam Juppiter in apem convertit, an, ut Euhemerus poeta dicit, crabronibus et sole generatas apes, quas nynphe Frixonides educaverunt. Mox dicit eo specu Jovis extitisse nutrices, eaque pabula munere dei sortitas, quibus ipse parvum educaverant alumnum. Hec ille. Ex quibus sumitur Jovem melle tantum educatum. Hic tandem cum adolevisset, ob captos parentes bellum habuit cum Tytanis, liberavitque illos. Inde patrem regno expulit, eo

quod comperisset eum vite sue insidiari, que supra ubi de Saturno latius dicta sunt; et hinc illi dicunt bellum cum Gigantibus consecutum, quos superatos supposuit montibus, ut premonstratum est. Deinde orbe subacto cum fratribus imperium partitus est, dato Plutoni Infernorum dominio, Neptuno autem maris, sibi Olympo servato. Et cum iam diu ante Iunonem sororem suam sumpsisset in coniugem, et rex potens factus, glorie avidus, cepit ambire, et non minus astutia quam viribus non solum humanas laudes, sed divinos etiam sibi quesivit honores, templa quidem, ut in Sacra legitur hystoria, in multis locis construxit et suo dicavit nomini, et in quamcunque regionem venerat, reges principesque populorum hospitio sibi comitate sua et amicitia copulabat, et cum ab eis digrederetur, imperabat sibi edificari fanum et suo hospitisque sui nomine insigniri, quasi ut ex hoc posset amicitie ac federis memoria conservari. Et hac astutia factum est, ut constituta sint templa Iovi Ataburio, Iovi Labriando, cum Ataburius et Labriandus auxiliares eius fuerint in bello. Sic et Iovi Laprio, et Iovi Molioni, et Iovi Casio et que huiusmodi sunt, quod ille astutissime excogitavit, ut sibi divinum honorem et hospitibus suis perpetuum nomen acquireret cum religione connexum. Gaudebant autem illi, et eius libenter obsequebantur imperio, et nominis sui gratia ritus annuos et festa celebrabant. Et hoc modo religionem cultus sui per orbem terre Iuppiter seminavit, et exemplum ceteris ad imitandum dedit. Is insuper in Olympo monte habitavit, ut eadem Sacra testatur hystoria, ubi legitur: Ea

tempestate Iuppiter in monte Olympo maximam partem vite colebat, et eo ad eum in ius veniebant, si que res in controversia erant. Item si quis quid novi invenerat, quod ad vitam humanam utile esset, eo veniebat atque Iovi ostendebat etc. Preterea quantumcunque homo hic circa honores occupandos ambitiosus esset et libidini deserviret, multa tamen bona et utilia humane vite adinvenit et introduxit et non nulla mala sustulit, et inter alia amovit a moribus hominum consuetudinem comedendi carnes humanas, quibus Saturni tempore vescebantur. Qui tandem dispositis rebus suis diem clausit, de exitu cuius testis est Ennius. Ipse quidem in Sacra hystoria, descriptis omnibus, que in vita sua gesserat Iuppiter, ad ultimum sic ait: Deinde Iuppiter postquam quinquies terram circumivit, omnibusque amicis atque cognatis suis imperia divisit, liquitque omnibus leges, mores, frumenta que paravit, multa que alia bona fecit, immortalem gloriam memoriamque adeptus, sempiterna monumenta suis reliquit, etatem pessime actam in Creta vitam commutavit, et ad deos abiit, eumque Curetes filii sui curaverunt, docoraveruntque eum et sepulcrum ei in Creta in oppido Aulatia, et dicitur Vesta hanc urbem creavisse, inque sepulcro eius scriptum antiquis licteris Grecis *Ζεὺς Κρονίου*. Euemerus autem dicit eum in Occeania mortuum, sed bene in Aulatia oppido sepultum. Forsan et hoc nomen Occeanie Crete fuit antequam a Creta nynpha Experidis filia, ut Plinius ait ubi de Hystoria naturali, dicta fuerit. Videsne, celeberrime rex, quanto ingenio, quanto fortune favore, quot antiqui

hostis fallaciis longevum nomen, inanem gloriam et divinos honores sibi quesiverit homo iste? Miror equidem illius quantumcunque rudis evi insaniam, ut quem ex homine natum possibilem atque mortalem viderant deum et summum dominum tam inconsulte crederent. Scio possint esse qui dicant multo recentiores in hanc eandem inscitiam non minus fuisse proclives, cum legerimus a Luca medico scriptum apud Lystros Licaonie Barnabam et Paulum viros sanctissimos et divini dogmatis predicatorum, eo quod contortum a nativitate hominem in nomine Iesu Christi rectum ambulanti fecissent, a Lystris deos evestigio creditos, Barnabam Iovem, et Mercurium Paulum, eisque re-nuentibus certa et holocausta tanquam diis a pontificibus et populo preparata, de quibus ego minus miror, divinum enim opus fecerant ignorantibus Lystris, quoniam non suo, ut ipsi testabantur, sed Christi opere. Iuppiter autem quid unquam supra hominem facere visus est? Nil equidem. Victoriosus fuit homo, est non satis hoc, cum fortune opus sit, ut ob id deus et celi rex debeat a quoquam credi? Profecto vertibiles nimium in credulitatem erant illius evi mortales. Nos autem veteres in sua fatuitate sinamus, et ad omnia vertamus calamum. Postquam que ad historiam spectant de Iove dicta sunt, quid de eo fingentes dixerunt prosequamur. Primo quidem eum patrem dominumque deorum et celi regem dicunt, eique loco sceptri trisulcum fulmen tribuunt. Eius preterea arborem dixere quercum. Sic et eius in tutelam aquilam posuere. Nunc quid per hec sensisse potuerint

videamus. Deorum autem pater et dominus ideo hic dictus est, quia, eo regnante, heroum tempora seu cepere seu floruerunt, in quibus et poetarum seu theologorum gentilium cepit et floruit studium apud Grecos. Qui cum istum tanquam ea tempestate mortalibus ceteris prevalentem cernerent, eumque iam sibi nondum apud suos, sed et apud exterarum nationum adhuc viventi divinos honores quesisse et eorum patrem esse aut maiorem, qui iam eius intuitu fictionibus ad divinitatem extollebantur, et quod ei nomen etiam faveret Iuppiter, quod iam diu erat celebre, et vero deo attributum, faveretque illi locus habitationis Olympus, quo nomine celum etiam appellamus, eum deorum finxere patrem et celi regem. Nec suffecit attribuisse ille quod fecerit, quin imo multa ex his quae ante eum per plura secula facta fuerant, et potissime eorum duorum temporibus, quos supra Ioves nuncupatos diximus, per nominum abusum in hunc revocata sunt, nec aliter quam suo evo facta eidem attributa. Et quod longe perniciosius fuit, multa ad verum Deum, vere deorum dominum spectantia, sub huiusmodi fictionis velo recondita, et demum enucleata ad potentiam et deitatem fictam huius hominis spectare ab ignavis credita sunt, tantumque inolevit hec inscitia, ut non solum Iovis esse quae dei, sed Dei veri esse quae Iovis erant crederentur, ut puta adulteria, proditioes et bella et huiusmodi. Sane quotiens pro isto Iove illustres viri Deum sensere verum, quod minus honestum de Iove scribitur, pro aliquo naturali actu

opere nature naturate producto, que dei opus est, intelligi voluere; quod ego non laudo per illecebres fictiones divinam designari potentiam. Deorum insuper numerositatem non adinvenire, ut tot crediderint deos esse, quin imo prudentes voluere deitates illas multis ascriptas diis, potentie unius veri Dei officia esse, existimantes sic per ministros deum agere uti mortales agimus, quod clarissime in libro De dogmate Platonis ostendit Apuleius. Nos autem et bene secundum psalmistam credimus de Deo, quia dixit, et facta sunt. Nec tamen negamus Deo ministros esse, alios iustitie ut Demones, alios gratie ut Angelos, alios opportunitatum et victus, ut supercelestia corpora; sed de his alias. Per fulmen vero trisulcum loco sceptri Iovi additum, eo quod igneum sit, ostendere voluere fingentes, non nunquam eum pro elemento ignis et aeris assumendum, ut asserit Servius, et tunc Iunonem eius coniugem terram et aquam esse volunt, eo quod ex eis omnia quorundam iudicio procreantur, et sic, secundum Varronem ubi De agricultura, duo dicuntur parentes magni, Iuppiter pater et Iuno mater. Puto ego hanc fictionem originem habuisse ab his, qui arbitrati sunt ignem rerum omnium causam, ac eo agente cuncta generari atque nutriri. Et sic dum ignis et aer est Iuppiter, eius opus est coruscationes et tonitrua, nubes congregare atque dissolvere, ventos excitare atque comprimere, fulmina emittere et huiusmodi, eo quod hec in regione aeris, igne agente conficiantur. Trisulcum autem ideo dixere fulmen, ut tri-

plex fulminis designetur proprietas, est enim coruscum, et scindit, et urit, de quibus, si quis plene videre cupit, Senecam philosophum videat, ubi De questionibus naturalibus. Quercum arborem ideo attributam volunt, quia eius fructu primevi homines pascerentur, et ideo visum est eam arborem rite dici illius, ad quem spectat educare homines, quos ipse produxit, seu quorum gerit imperium. Hanc Ysidorus, ubi De ethymologiis, nucem videtur arbitrari, eamque dicit a Latinis iuglandem vocari, quasi Iovis glandem, eo quod Iovi olim consecrata fuerit, et sequitur eius fructus tantum habere virium, ut, si mittatur inter suspectos herbarum vel fungorum cibos, quicquid in eos virulentum sit exudent, rapiant et extinguant. Aquilam eius in tutelam esse asserunt, eiusque rei causam Lactantius ex alieno describet, dicens: Cesar quoque in Arato refert Aglaosten dicere Iovem, cum ex insula Naxo adversus Tytanos proficisceretur, et sacrificium faceret in litore, aquilam ei in auspicium advolasse, quam victor bono omine acceptam tutele sue subiugarit. Sacra vero hystoria etiam ante consedissee illi aquilam in capite, atque ei regnum portendisse, testatur. Cur infans a Saturno absconditus sit, cur cum Tytanis bellum, cur Saturnum fugaverit, satis plene, ubi de Saturno, monstratum est. De coniugio vero Iunonis, etiam ubi de Iunone est explicitum. Sic et de nomine satis plene ubi de Iove primo. Et ex his que ibidem et hic scribuntur, si quis vellet, satis posset advertere, quantum homo iste cum proprietatibus Iovis

planete convenerit, et quoniam ob id merito sit Iuppiter nuncupatus.

CAP. II.

De VIII Musis filiabus Iovis.

Muse vero novem sunt, Iovis et Memoriae filie, ut ubi De ethymologiis placet Ysidoro, et Paulo Perusino. Theodontius autem Memnonis dicebat et Thespie, eo forsitan quod Thespiades illas appellet Ovidius. Harum nomina sunt hec: Clio, Euterpe, Melpomene, Thalya, Polimnia, Eratho, Thersycore, Urania, et ultima Calyope. His dicunt cum filiabus Pyerii, numero totidem, bellum in cantu fuisse. Et quoniam victae sint a Musis, Pyerides in pycas mutate sunt et ob victoriam, Muse earum sunt consecute cognomen. Has preterea dicunt a quodam Pyreneo claustris clausas, easque ex claustris in detentoris perniciem evolasse. Insuper aiunt eis fontem Castalium et nemus Helycone consecratum, easque ad lyram Apolline pulsante canentes. Nos autem, his premissis, ad auferendum velum fictionibus veniamus. Placet Ysidoro christiano atque santissimo homini, has Musas appellatas a querendo, eo quod per eas, sicut antiqui voluerunt, ius carminum et vocis modulatio quereretur, et ob id per derivationem ab eis musica, quae est moderationis peritia, denominata est. Et, ut idem dicit Ysidorus, quoniam ipsarum Musarum sonus sensibilis res

est, et que in preteritum fluit, imprimiturque memorie, ideo eas a poetis Iovis et Memorie filias nuncupatas. Ego autem puto, cum a deo omnis sit scientia, nec solum ad eam concipiendam intellexisse sufficiat, nisi quis intellecta memorie commendaverit, et sic memorie servata expresserit, ut te quis scire noverit, ut ait Persius: Scire tuum nil est, nisi scire hoc te sciat alter etc. Quod Musarum officium est, et hinc illos Iove genitas et Memoria fictum sit. Nec non arbitror Musas a moys, quod est aqua, dictas, causa in sequentibus ostendetur. Cur autem novem sint in commentario secundo super Somnio Scipionis plurimum Macrobius conatur ostendere, eas equiparans octo sperarum celi cantibus, nonam volens omnium celorum modulationum esse concentum. Superaddens post longam verborum seriem, Musas esse mundi cantum a rusticis etiam sciri, qui eas Camenas, quasi canenas, a canendo dixerunt. Attamen ex his reddit Fulgentius aliam rationem, dicens vocem fieri quattuor ex dentibus, quos lingua dum loquitur percutit, ex quibus si defecerit unus, potius quam vox sybilus emittatur necesse est. Insuper et ex duobus labiis velut verborum cymbalis commoda modulantibus. Sic et lingua que curvamine ac circumflexione quadam tanquam plectrum vocalem format spiritum. Inde et palato, concavitate cuius sonus profertur. Ultimo, ut novem sint, additur gucturis fistula, que tereti meatu spiritualement prebet excursum. Et insuper quoniam his a multis concinnens Apollo additur, non aliter quam servator concentus predictis ab eodem Fulgentio iungitur

pulmo, qui velut erarius follis concepta reddit ac revocat. Et ne sibi in tam sepositum nature opus, tantummodo fidem velle prestari videatur, tam exquisite rationis testes inducit Anaximandrum Lampsacenum, et Zenophanen Heracleopolitem, quos suis in Commentariis, que dicta sunt, scripsisse confirmat. Asseritque hec et ab aliis eque illustribus phylosophis affirmari, ut a Pysandro physico, et Euximene, eo in libro quem Thelegumennon nuncupavit. Porro idem Fulgentius quasi minus plene dilucidaverit, quod de Musis intendit, ut nominum et operationum singularum rationem deducat in medium, dicit sic: Nos vero novem Musas doctrine atque scientie dicimus modos, hoc est, prima Clio quasi prima cogitatio discendi; Clios enim Grece fama dicitur, et quoniam nullus scientiam querit, nisi in qua fame sue protelet dignitatem, ob hanc rem prima Clio appellata est, id est cogitatio querende scientie. Secunda Euterpe Grece, quod nos bene delectans dicimus, quod primum sit scientiam querere, secundum sit delectari quod queras. Tercia Melpomene, quasi melempio eomene, id est meditationem faciens permanere. Ut sit primum velle, secundum delectare quod velis, tertium instare meditando ad id quod desideras. Quarta Thalya, id est capacitas, quasi si dicatur tythonlia, id est ponens germina. Quinta Polymina, quasi polium neemen, id est multam memoriam faciens, dicimus, quia post capacitatem est memoria necessaria. Sexta Eratho, id est euruncomenon, quod nos Latine inveniens similem dicimus, quia, post scientiam et memoriam, iustum est, ut

aliquid simile et de suo inveniatur. Septima Therpsicore, id est delectans instructionem. Ergo post inventionem oportet te iam discernere ac iudicare quod invenias. Urania octava est, id est celestis. Post enim diiudicationem eligis quid dicas, quid despuas; eligere enim utile, et caducum despuere celeste ingenium est. Nona Caliope, id est optime vocis. Ergo hic erit ordo. Primum est velle doctrinam, secundum est delectare quod velis, tertium instare ad id quod delectat, quartum est capere ad quod instas, quintum est memorari quod capis, Sextum est invenire de tuo simile ad quod memineris, septimum iudicare quod invenias, octavum eligere de quo iudices, nonum bene proferre quod elegeris. Hec Fulgentius. Vellem ego hos convenire, si possem, qui, erectis signis aciebusque compositis, in Musas impetum facere et eas, ab eis sumptis armis, exterminare, si possint, conantur insipidi, et dum male intellectis verbis Boetii se armatos existimant, in certamen inermes descendunt et, que succincte de Musis dicta sunt intuentes, dicant, nunquid has tam sublimes mulieres in lupanari viderint, nunquid eis abusi sint, nunquid credant Psalmistam, Ysaïam, Job, aliosque sanctissimos Dei viros illas e meretricio manu duxisse, ut inter sacra volumina collocarent? Scio negarent hos unquam his, quas indifferenter scenicas meretriculas dicunt, usos, nisi testis michi facer divinarum litterarum interpret Ieronimus esset, cuius ne ab eorum inscitia refringi possim, libet ut iacent in prohemio Eusebii Cesariensis verba de-

scribere. Dicit enim post multa Ieronimus sic: Quid psalterio canorius? Quod in morem nostri Flacci et Greci Pyndari, nunc yambo currit, nun achayco personat, nunc saphyco tumet, nunc semipede ingreditur? Quid Deuteronomii et Ysaie cantico pulchrius? Quid Salomone gravius? Quid perfectius Iob? Que omnia exametris et pentametris versibus, ut Iosephus et Origenes scribunt, apud suos composita decurrunt etc. Nesciebant puto tales Musarum officium esse vocum tempora ordinare, nesciebant circa scientiam Musas agenda disponere, nesciebant divinis viris ad maiestatem licterarum suarum augendam sua officia prestitisse. Taceant igitur et se ipsos rabidi mordeant, qui dum non intelligunt, alios mordere conantur, et nos omissum reintremus iter. Musis cum Pieriis fuisse de cantu certamen, hoc arbitror sensu summendum. Sunt non nulli tam inepte audacie, ut, cum nullam noverint disciplinam, suo tamen innitentes ingenio, audeant se disciplinatis preferre, nec dubitent disputationis inire certamen, quod dum in conspectu doctorum faciunt, non scientifici doctis apparent, sed potius stolidi quadam presumptione loquaces; et cum multa dicere ignaris videantur, nec aliquid tamen dicant rationi consonum, nec sese loquentes intelligant, lusi a prudentibus pice existimantur. Que quidem voces potius humanas, quam intellectum garriendo imitantur, et ob hoc tales a scientificis transformari in picas rite a poetis confictum est. Has autem voluisse Pyreneum includere, nil aliud puto, quam

quosdam ad ostentationem sui impetuosos et avidos, qui, neglectis studiorum laboribus, postquam scrinea libris compleverint, et eorum fere tegmina viderint, tanquam omnia que in eis continentur cognoverint, sese audent extimare poetas, aut a circumspicientibus arbitrari. Verum cum evolaverint Muse, quas putaverant claustris clausisse, si in publicum sequi velint, id est ostendere se scire quod nesciunt, in precipitium confestim ruunt. Ex quibus non nullos ego cognovi, qui librorum congerie cumulata se credidere magistros, et in conspectu scientium corruere. Est et Musis consecratus fons Castalius et alii insuper plures, et hoc quia habeat limpidus fons, non solum delectare intuentis oculos, sed eius etiam ingenium quadam virtute abscondita in meditationem trahere, et componendi desiderio urgere. Nemo autem ideo illis sacrum est, ut per hoc intelligamus solitudinem, qua uti debent poete, quorum est poemata meditari, quod quidem nunquam bene fit inter strepitus civitatum, aut compita etiam ruralia. Quin imo, ut Quintiliano placet ubi De oratoria institutione, in loco obscuro et quieto, ut puta nocturno tempore, quod per nemora demonstratur satis congrue, sunt enim opaca densitate ramorum, et quieta eo quod semota ut plurimum sint ab habitationibus hominum.

CAP. III.

De Acheo X^o Iovis filio.

Acheus, ut placet Ysidoro ubi De ethymologiis, Iovis fuit filius, et ab eo vult appellatos Acheos seu Achivos. His paucis verbis egregii hominis negotium pertransisse contentus. Attamen Theodontius, postquam eum Iovis filium dixit, addit eum antiquissimum Messeniorum fuisse principem, eique filiorum amplissimam fuisse manum, quorum opere, et quia pie apud Messenos vixerit, factum est ut totius provincie, quam hodie usque Achayam nuncupamus, aut societate aut imperio potiretur, et ab eis nomine diceretur Achaya. Asseritque ab hoc omnem Grecie nobilitatem habuisse principium, sed ex filiorum numerositate nullum nec nomine exprimit.

CAP. IV.

De Venere Iovis XI^a filia, que peperit Amorem.

Venus, Omero teste, Iovis fuit filia et Dyonis, et est hec, quam Tullius, ubi De naturis deorum, terciam vocat. Et coniugem dicit fuisse Vulcani. Hanc aiunt Martem amasse, de quorum adulterio et captivitate supra ubi de Marte dictum est. Sic et Enee matrem dicunt, de qua etiam ubi de Enea scriptum est. Sic et ubi de Dyomede de vulnere ab eodem suscepto. Et eque ubi de Adone narratum est, qualiter a filio casu vulnerata Adonem dilexerit.

Nec desunt qui credant de hac dici, quod legitur in Hystoria sacra Venerem scilicet instituisse meretricium questum. Quod Augustinus ubi De civitate dei videtur asserere, dum dicit: Huic oblata a Phenicibus esse dona de prostitutionibus filiarum antequam viris illas coniungerent. Huic preterea Claudianus ubi De laudibus Styliconis apud tuam Cyprum, rex optime, deliciosissimum describit viridarium, in quo omnia facile possint enumerari spectantia ad suadendam lasciviam. Incipit enim sic: Mons latus Yonium Cypree rupis obumbrat etc. et perseverat infra per quadraginta sex versus, quos, quia prolixum nimis erat, non scripsi. Et hic idem viridario descripto quam grandis sit Veneri cura circa cultum et ornatum opponit dicens: Cesariem tum forte Venus subnixa corusco Fingebat solio, dextra levaque sorores Stabant Ydalie, largos hec nectaris ymbres Irrigat, hec morsu numerosi dentis eburno Multimodum discrimen arat, sed tertia retro Dat varios nexus, et iusto dividit orbis Ordine, neglectam partem studiosa relinquens. Plus error decuit, speculi nec vultus egebat Iudicio, similis tecto monstratur in omni, Et rapitur quocumque videt dum singula cernit, Seque probat etc. Quoniam supra ubi de Veneribus multa circa fictiones de Venere dicta sunt, esset hic replicare superfluum. Superest quod ambigitur ponere. Hanc enim Venerem quidam putant eandem esse cum Cypria. Ego duas fuisse arbitror, et hanc vere Iovis filiam fuisse et Vulcani coniugem. Aliam Syri et Cyprie seu Dyonis filiam et Adonis coniugem. Qui unam et eandem putant, dicunt eam Iovis et Dyonis

filiam primo Vulcano nuptam, et inde Adoni, et ob eximiam formositatem celestem Venerem a Cypriis arbitratam, dea dicta est, et tanquam dea sacris honorata, eique apud Paphos templum et ara fuit, eamque aram solo thure et floribus redolentem faciebant, eo quod Venus ex variis causis odoribus delectetur. Aiuntque cum hec viro fuisset superstes, tanto ferbuisse pruritu, ut fere in publicum declinaret lupanar, et ad suum palliandum scelus, dicunt eam Cypriis mulieribus suasisse meretricium, et instituisse ut facerent vulgato corpore questum, ex quo subsequutum ut virgines etiam ad litora mitterentur, Veneri virginitatis et future pudicitie libamenta dature, atque ex coitu advenarum sibi exquisitare dotes. Theodontius autem superaddit, dicens, tam scelestum facinus non solum in Cypro diu servatum, sed in Ytaliam usque deductum. Quod auctoritati Iustini firmatur, qui dicit apud Locros ex voto aliquando contigisse.

CAP. V.

De Amore XII^o Iovis filio.

Amorem Iovis et Veneris fuisse filium omnes volunt, quod ego non hominum credam sed planetarum. Sunt enim ambo complexione similes, calidi et humidi, sunt preterea benivoli ambo et equa luce splendidi, et ideo ex his amorem gigni, et eum potissime quo convivimus, quo amicitias iungimus, fictum est, ut

intelligamus quoniam ex convenientia complexionum et morum inter mortales amor et amicitia generetur. Que quidem, vera preter inter virtuosos esse non potest, ut clare demonstratur Tullius ubi De amicitia. Et hinc arbitror potius ex his, quia ambo benivoli, natus dicitur, eo quod benivulus esse non possit quis, nisi sit virtuosus. De concupiscibili autem amore satis supra dictum est.

CAP. VI.

De Proserpina XIII^a Iovis filia et Plutonis coniugem.

Proserpina Iovis et Cereris fuit filia. Que quoniam Veneris despiceret ignes, a Plutone amata est, atque rapta et ad Inferos delata, et ibidem eius coniunx facta. Quam cum diu quesisset Ceres, et indicio Arethuse apud Inferos comperisset, eo quod tria grana mali punici comedisset, eam rehabere non potuit. Sententia tamen Iovis factum est, ut sex mensibus cum viro, sex autem cum matre apud Superos moraretur. De hac Proserpina in precedentibus ubi de Cerere, quicquid sub figmento tegitur, explicasse memini, et idcirco preter quod ad hystoriam attinet, replicare non curabo. Arbitror igitur hanc Sycani regis Sycilie et Cereris fuisse filiam, eamque ab Orco Molossorum rege seu Aydoneo, vel Agesilao, secundum Phylcorum, anno XXVIII^o

Erythei regis Athenarum raptam, eique coniugio copulatam. Hec tamen hystoria prolixius habetur ubi de Plutone.

CAP. VII.

De Castore XIII^o et Polluce XV^o filiis Iovis.

Castor et Pollux et Helena, secundum Fulgentium, filii fuerunt Iovis et Lede. Ex quorum conceptione talis fertur fabula. Cum Leda Tyndarei regis coniunx Iovi placuisset, ipse in cignum versus cepit canere, quo cantu illam ad se non solum audiendum, sed capiendum traxit. Qui, dum caperetur ab ea, eam ipse cepit atque oppressit, et ex eo coitu Ledam concepisse ferunt, et ovum peperisse unum, ex quo Castor, et Pollux, et Helena nati sunt. Alii vero volunt Pollucem et Helenam tantum, et Castorem fuisse mortalem Tyndari filium. Non nulli dicunt, inter quos Paulus, ex compressu illo duo esse nata ova, ex uno quorum Castor et Pollux nati sunt, ex altero vero Helena et Clytemestra. Sed de Helena et Clytemestra postea. Castorem ergo et Pollucem iuvenes fuisse insignes omnis testatur antiquitas, et ante alia legitur eos ex Argonautis fuisse, eisque redeuntibus a Colco Pollucem, Amicum Bebritiorum regem, ei volentem vim inferre, interemisse. Demum cum recuperassent Helenam sororem a Theseo raptam, cum eandem a Paride asportatam cum ceteris Grecis navibus irent illam repetituri, sunt qui dicant eos nec ad Troiam

devenisse, nec in Lacedemonam rediisse, sed in celum raptos signum Geminorum fecisse. Tullius tamen scribit ab Omero dici eos Lacedemone fuisse sepultos. Et Ovidius ubi De Fastis dicit, quod cum ipsi Phebem et sororem eius Leucippi filias rapuissent, Lynceo et Yde fratribus desponsatas, a sponsis bello repositas, et in eo Castorem a Lynceo occisum, in quem cum curreret Pollux, eum interemit, occidissetque Ydas Pollucem, ni a Iove actum esset, ut eum nequiret ledere. Lactantius etiam in libro Divinarum institutionum dicit: Castor et Pollux, dum alienos sponsas rapiunt, esse gemini desierunt; nam livore iniurie concitatus Ydas, alterum gladio transverberavit etc. Aiunt insuper Castorem equo valuisse plurimum, Pollucem pugna. Et cum esset Pollux eternus, cerneretque fratrem mortuum, Iovi patri petiit, ut sibi cum fratre eternitatem partiri fas esset. Quod cum concessisset Iuppiter, ambo in celum assumpti sunt, et Geminorum fecere signum. Horum in tutelam equos esse voluere gentiles. Nunc quid ex fictionibus interpositis sentiendum sit, videamus. Placet quidem Tullio ubi supra, Castorem et Pollucem filios fuisse Iovis tercii et Lede, hominis quidem non cigni, neque dei, eosque esse ex his quos Dyoscortes appellavere Graii. Iovem autem in cignum versum ideo forsitan finxit antiquitas, quia dulces canat cignus, quod possibile est et Iovem fecisse, et sui cantus dulcedine, ut sepe contigisse vidimus, in sui dilectionem atque concupiscientiam Ledam traxisse. Est enim cantus ex uncis Ve-

neris unus. Seu forsan erat iam senex Iuppiter, et ob senium canus, quando Ledam amavit; et quia ob fervens desiderium querulus factus sit, fictum fore eum in cignum verum, qui canus est, et morti propinquans canorus. Quod autem ex eius concubitu ova peperit, non ob aliud dictum credo, nisi ne in fictione fetus videretur a genitore dissimilis. Aves autem ova gignere consueverunt. Seu quia pellicula quadam carnea circumvoluti ambo eodem partu nati sint, ut videmus non nunquam ova nasci paniculo nondum in nucleum solidato. Ydam prohibitum a Iove, ne Pollucem lederet, vim constellationis arbitrabatur Leontius. Quod alterna morte Pollux redimeret fratrem, videtur Alberico cum assumpti in celo Geminorum signum fecissent, et in eo ita se habeant stelle, ut dum oritur una, altera adhuc latitet, eademque que latuerat post prioris occasum, adhuc aliquantisper apparet, et sic dum descendit ad Inferos unus, occidens scilicet primo tanquam mortalis, alter tanquam divinus apud Superos adhuc consistit; et e converso, dum ascendit unus ad Superos, divinus esse videtur, stante adhuc altero aliquantisper apud Inferos tanquam mortali. Pollucem solum immortalem fuisse a fulgore syderis existentis in capite Pollucis sumptum creditur, qui longe maior est, quam is qui ex sydere Castoris cernitur, qui aliquando ob vaporum grossiciem non videtur, cum Pollucis videatur continue. Paulus vero dicit, Castorem Pollucis opere a Lacedemonibus numero deorum additum, et sic immortalem factum; Pollux autem postea ob pietatem erga fratrem habitam, et quia insignis

esset homo, etiam deificatus est et fratri coniunctus. Et sic alterna morte se invicem redemerunt. Nam primo Castor, ne Pollux occideretur, occisus est. Secundo Pollux, ut frater esset eternus, eum deum fieri fecit, et ipse remansit mortalis, data fratri deitate sua. Posuissem Fulgentii expositionem, sed quoniam per sublimia vadit, omisi. Equos, quos eorum in tutelam posuere ad ostendendam iuvenum delectationem et curam, dum vixerunt, potius quam ob rem aliam, quicquid Servius dicat, existimo.

CAP. VIII.

De Helena Menelai coniuge et XVI^a Iovis filia.

Helenam Iovis et Lede fuisse filiam vulgatissimum est, et proximo supra monstratum. Hanc aiunt inter ceteros mortales formosissimam fuisse, ut Tullius testatur in Arte veteri. Cuius quidem formositas Grecis atque Asyaticis populis eo evo plurimum damnosa fuit, et potissimum exitiosa Troianis. Volunt igitur hanc adhuc virgunculam et inter coevas in palestra ludentem a Theseo Atheniensium rege raptam; demum eo peregre profecto, ab eiusdem matre Castori et Polluci repetentibus restitutam. Inde vero Menelao regi Lacedemonum coniugio iunctam. Tandem a Paride, ut placet aliquibus, sub specie legationis Hesyonom repescere, et Menelai hospite, eo etiam absente, pulchritudine et fa-

cetiis suis capto, hospitalitatis iure neglecto, cum omni suppellectili regia, raptam, ea volente. Lactantius vero dicit eum classe Spartam quesisse, et cum postulata Hesyona non redderetur, ut habuerat a Priamo regionem bello infestasse, et vi Spartam cepisse et inde Helenam deduxisse Troiam. Quam postea Grecorum principes omnes, coniuratione facta, cum illam frustra sepius repetissent, sub ducatu Agamenonis cum ingenti exercitu secuti sunt, et pluribus peractis certaminibus post decennium, Ylione capto, illam Menelao restitutam, non absque labe proditionis, cum sint qui dicant, occiso Paride a Pyrro, eam Deyphobo nupsisse, et querentibus Grecis proditione perficere, quod armis non videbatur posse contingere, cum discessum ex composito simulassent, eam ex arce, dormiente Deyphobo, signum accensa face ad occupandam sopitam civitatem Grecos revocasse. Ob quod meritum asserunt eam in Menelai gratiam rediisse. Alii tamen dicunt a Menelao ultro susceptam, eo quod vi non sponte sua rapta fuerit. Sane per Omeri carmen patet eam apud Troianos fuisse annis viginti, cum longe minus arbitrentur plurimi, quod quidem in Yliade circa finem ostendit Omerus, dum eam cum Hecuba et reliquis matronis Troianis Hectorem occisum flentem introducit atque dicentem: Ἦδη γὰρ νῦν μοι τόδε εἰκοστὸν ἔτος ἐστὶν Ἐξ οὗ κείθεν ἔβην καὶ ἐμῆς ἀπελήλυθα πατρὸς etc. [Que latine sonant]: Iam certe nunc michi hic vigesimus annus, ex quo ab illinc veni, et a mea recessi patria. Eusebius

autem dicit in libro Temporum eam anno primo regni Agamenonis ab Alexandro raptam, et eiusdem Agamenonis anno XV^o Ilionem captum atque deletum; et sic discordes sunt. Servius acrem facit questionem de etate Helene. Nam cum Argonaute fuerint fratres, illamque a Theseo raptam susceperint qui contemporaneus eorum fuerat, et inde a filiis Argonautarum bellum Thebanum confectum fuisse, quorum filii in Troianam demum venere expeditionem ob Helene raptum, videtur ei valde mirabile, quasi existimet eam iam senem. Michi autem non sic. Nam, ut ex dictis Eusebii patet, Helena a Theseo rapta est anno regni eius XVI^o, qui mundi erat annus tria milia noningentesimus octogesimus quartus, et tunc erat Helena parvula puella. Postmodum a Paride rapta est anno primo regni Agamenonis, qui mundi fuit annus IIII vii, et sic inter primam capturam et secundam non amplius XXIII annorum spatium fuit. Et sic Helena esse potuit XXX annorum, vel circa, quando a Paride rapta est, qua etate mulieres nobiles et ingenio valentes speciosiore formositate suam faciunt, arte addentes, si quid forsan provectior etas subtraxerit. Experientia quippe rerum doctiores facte sciunt mores componere, quibus non solum augetur pulchritudo, sed etiam non nunquam ad capiendum vires deformitati prestantur. Hec tamen, Ylione capto, Menelao suo restituta, tempestate maris circumacta primo in Egyptum delata est, Tuori rege ibidem regnante, quem Omerus in Odissea Polibum vocat. Inde in Lacedemoniam cum Menelao reversa est.

CAP. IX.

De Clitemestra XVII^a Iovis filia et coniuge Agamenonis.

Clitemestra secundum quosdam, ut supra dictum est, Iovis et Lede fuit filia, ex uno ovo cum Elena nata. Hec autem Agamemoni nupsit et ex eo plures filios peperit. Tandem cum ad Troianum bellum imperator ivisset, occiso iam Palamede a Grecis, ut Leontio placet, Nauplii senis suasionem in amplexus Egisti sacerdotis olim Thiestis filii venit, et cum iam Ylione deiecto victor Agamenon repeteret patriam, et secum, ut Seneca poeta in tragediis ait, traheret Cassandram Priami filiam, quae illi ex preda contigerat, seu suasionem adulteri, seu consensu patris sceleris, seu ira superinducte pellicis mota, eo suscepto, ut quibusdam placet, illum in convivio sacrorum trucidari fecit. Seneca autem dicit ibidem, quod cum suasisset illi vestes bellicas ponere, eique indumentum parasset, cui nullus erat capiti exitus, eum exquirentem et implicitum adultero tradidit occidendum, et Cassandram eque trucidare fecit. Quo ceso, regiam occupavit et cum septem annis una cum Egysto regnasset, ab Horestes filio cum sacerdote scelesto occisa est.

CAP. X.

De Paliscis XVIII^o, et XVIII^o Iovis filiis.

Palisci fratres fuere duo, et, ut Macrobius in Saturnaliorum libro asserit, Iovis filii et Thalie nynphe, de quibus talem recitat fabulam: In Sycilia Symetus fluvijs est; iuxta hunc nynpha Thalia compressu Iovis gravida, metu Iunonis, optavit, ut sibi terra dehisceret, quod factum est. Sed ubi venit tempus maturitatis infantum, quos alvo illa gestaverat, reclusa terra est, et duo infantes de alvo Thalye progressi emergerunt, appellatique sunt Palisci, quoniam primo in terram mersi, denuo inde reversi sunt, neque longe inde lacus sunt, sed in immensum profundi, aquarum scaturigine semper ebullientes, quos incole crateras vocant et nomine Dellos appellant, fratresque eos Paliscorum existimant, et habentur in cultu maximo, precipueque circa exigendum etc. Hec Macrobius. His quidem, ut satis per Macrobius potest intellegi, ara fuit atque sacerdos, eo quod miranda ibidem cerneantur. Nam Aristoteles, in libro quem scripsit De mirabilium auditu, dicit: In Palisco Sycilie X cubitorum aqua est, que sese duabus ulnis in altum efferens, a videntibus campus adiacens sommergi putatur, verum decidens in statum pristinum conquiescit, et apparet ibidem sacrum quoddam. Nam si quis in tabella quot rerum voluerit iuramenta describat, et descriptum super aquam deponat, si iusta sint omnia, tabella natat, si iniusta demergitur. Periurus autem inflatur, adeo ut sacerdos loci nullam ab eo pro purgatione satisfactionem accipiat. Macrobius autem

asserit, quod si furti vel alicuius alterius rei controversia esset inter aliquos, et accusatus diceret se apud crateras iuramento velle purgare, sumptis vadibus accedebant, si is qui iurabat rite iurasset, essetque innocens, illesus abibat. Falsus autem iurator mox vita privabatur in lacu. Miranda quidam sunt, et grandis erat in tales hostis antiqui potestas. Cur autem Iovis dicti sunt filii et absorta sit mater, reddit talem Theodontius rationem. Dicit enim haud longe a Panormo ignobilem fuisse scrobem loco ubi dicebatur Thalya, in quam omnis aqua, que a plaga illa montis Ethne ob imbrem cadebat, mergebatur. Et quicquid tunc fuisset in cavernam deiectum, non multo post in lacus, seu fontes Paliscorum ebullientes, videbatur emergi, per quod apparebat imbrem, quam Iovis, id est aeris, opere natam volunt, eo in loco sub terras condi, et demum apud lacus Paliscorum iterum nasci. Et sic ex Iove nati Palisci.

CAP. XI.

De Iarba Getulorum rege XX^o Iovis filio.

Iarbas Getulorum rex filius fuit Iovis et Garamantidis nymphe, teste Virgilio, qui dicit: Hic Amone satus rapta Garamantide nympha etc. Paulus vero dicit eum Iovis fuisse filium ex filia Bisalpis regis, quam dicit Iovem in formam arietis oppressisse. Sed

huius rei fabulam sic narrabat venerabilis Andalo: Iuppiter a convivio Ethyopum rediens, cum vidisset in ripa Bragade fluminis Garamantidem nynpham speciosissimam lavantem pedes suos, ut erat in libidinem pronus, evestigio concubitus eius optavit, quem in se euntem cum virgo vidisset, territa voluit capessere fugam. Verum cancer quidam pedi nynphe propinquus, minimo pedis digito ore capto nynpham dolore tardavit, que dum remove eum conaretur, a superveniente Iove capta et oppressa est, et ex eo concubitu concepit et peperit Iarbam. Iuppiter autem ob impensum servitium cancrum in celo locavit, signumque Zodiaci fecit. Leontius dicit credi Iarbam Iovis vere fuisse filium, cum ipse mundum circumens loca omnia libidine sua fedaverit, et Garamantidem filiam fuisse Garamantis regis Garamantum, eamque ab eo in ripa Nyli captam atque violatam. Quod ego arbitror factum tempore solstitii estivalis, et ob id fictum virginem penes fluvium calore detentam, a cancro moratam. Theodontius dicit Iarbam Garamantis regis fuisse filium, et Iovis ideo dictum quia Getulos ab extremis Ethyopie solitudinibus et harenis arenis in Affricum litus eduxit, et eos in multis ad humanitatem pertinentibus instruxit. Preterea iam dictus Paulus longe aliter de hoc Iarba alibi scribit. Dicit enim se legisse Garamantidem speciosissimam atque nobilem regionis illius fuisse virginem, et cum ab estu estivo penes fluvium quendam detineretur, a Mezsetulio rege raptam atque oppressam, et ei peperisse Iarbam, ideo vetusto more ab incolis, quibus post patris mortem imperavit, Iovis

filium dictum seu creditum, eo quod optimis institutis efferatos mores eorum in mitiores redegerit. Hic, ut Virgilio placet, Dydonem optavit in coniugem.

CAP. XII.

De Mena XXI^a Iovis filia.

Menam Iovis fuisse filiam, sed ignobilem testatur Augustinus ubi De civitate dei, dicens: Sed ibi est dea Mena, que menstruis fluoribus preest, quamvis Iovis filia, tamen ignobilis est etc. Hanc Papias dicit lunam esse. Esto Varro hoc officium Iunoni attribuat, ut ibidem Augustinus affirmat. Hanc Iovi in filiam attributam ideo reor, quia a Iove causatur. Men enim Grece, Latine defectus sonat, qui hac in parte mulierum est, quarum in utero natura provida in nutrimentum fetus purissimum servat sanguinem, qui infra mensem, non concipiente muliere, a calore naturali, per quem sumitur Iuppiter, corrumpitur et corruptus emititur.

CAP. XIII.

De Mirmidone XXII^o Iovis filio.

Mirmidon, ut asserit Ysidorus ubi De ethymologiis, et post eum Rabanus, fuit Iovis filius et Corymose nynphe, et ab eo volunt Mirmidones nominatos, eo quod eorum dux fuerit. Quem etiam Rabanus dicit post Cicropem regem atheniensium fuisse. Sane Servius aliud sentit de nomine Mirmidonum. Dicit autem in Attica regione fuisse puellam, cui nomen Mirmix erat. Que cum ob castimoniam et solertiam gratissima esset Minerve, contigit ut aratrum in odium Cereris a Minerva conditum hominibus ostenderet; quam ob rem turbata Minerva eam vertit in formicam, damnavitque ut nunquam a congregandis granis desisteret; que cum multitudinem procreasset, evenit quod, morientibus Thessalis, Eaco Iovis filio subdit ex formicis istis in homines transformatis restaurarentur, ex quo Mirmidones dicti, eo quod formice mirmices dicerentur a Mirmice puella in formicam versa. Mirmidonem autem puto aliquem insignem fuisse virum, cuius agentibus meritis sui eum Iovis dixere filium.

CAP. XIV.

De Xanto fluvio XXIII^o Iovis filio.

Xantus fluvius filius fuit Iovis, ut in Yliade testatur Omerus, dicens: Ξάνθου δινήεντος, ὃν ἀθανατος τέκετο Ζεὺς

etc. [Que latine sonant]: Xanti revolventis, quem immortalis genuit Iuppiter. Hic quidem fluvius sub Ylione effluit et Symoi prope mare miscetur, et cum eo effluit. Est autem longe maior fama quam undis. Eumque magna fecisse fingit Omerus adversus Grecos. Sed mirandum est Omerum alibi dixisse omnes fluvios Oceani filios esse, et hic dicit Xantum Iovis esse filium. Quod profecto non inadvertenter factum est. Ferunt autem non nulli Xantum potius torrentem esse quam fluvium, inter quos Lucanus, dicens: Inscius in sicco serpentem pulvere rivum Transierat, qui Xantus erat etc. Et ideo cum ex ymbribus potius quam ex fonte tumesceret, non Oceani, sed Iovis est filius, cum in aere, qui Iuppiter est, causentur pluvie, ex quibus torrentes effluunt.

CAP. XV.

De Lucifero XXIIII^o Iovis filio, qui genuit Ceim et Dedalionem.

Luciferum dicit Barlaam Iovis et Aurore fuisse filium, et Trachinam adamasse nympham, et ex ea violata prolem geminam suscepisse, Ceym scilicet, et Dedalionem. Hunc ego speciosissimum et mitem fuisse hominem arbitror, et ob id Iovis dictum filium. Quod autem eius mater Aurora dicta sit, ob id puto, quia

Venus, que dum mane solem procedens et auroram, Lucifer dicitur, ex sinu Aurore oriri videatur, et ideo a convenientia nominum tractum reor; et sicuti celestis Lucifer sic et iste Aurore dictus est filius. Et quia Trachinne provincie imperaverit, fictum est eum eam oppressisse et ex ea geminam suscepisse prolem.

CAP. XVI.

De Dedalione Luciferi filio, qui genuit Lychionem.

Dedalion Luciferi fuit filius, ut testatur Ovidius, dicens: Acerat belloque ferox ad vimque paratus, Nomine Dedalion, illo genitore creatus, Qui vocat auroram celoque novissimus exit etc. De hoc idem Ovidius talem recitat fabulam. Quod cum huic filia esset nomine Lychione, et hec ob eius formositatem Phebo et Mercurio placuisset, elata in Dianam ausa esset obloqui, secutum est, ut ab ea sagittis confossa occumberet. Cui dum funeralia agerentur, voluit sepius se ob dolorem in ignem, in quo corpus filie comburebatur, inicere; quod cum ter detentus nequisset, quarta vice dum obstinatus ad ignem curreret, ante quam eo deveniret, in accipitrem versus evolavit, et quos mores habuerat homo, et avis etiam observavit. Theodontius huic fictioni velum amovens, hystoriam refert, dicens, Lychionem Peonio Epydaurensi nupsisse, et Dedalionem patrem eius rapacissimum hominem, et ob id a fratre Ceyo pulsum, a Peonio susceptum et

summo honore habitum. Verum cum mortua esset filia, de affinitate desperans, in veterem rediens morem, in accipitrem versum dixere.

CAP. XVII.

De Lychione filia Dedalionis et Peonis coniuge.

Lychione filia fuit Dedalionis. Que cum decimum quartum attigisset annum, formosissima a multis in coniugem postulata, ut ait Theodontius, Peonio Epydaurensi nupsit. Inde redeunte Mercurio a Cylleno monte et Phebo a Delphis, et ea visa, eius pulchritudine capti, separatim petiissent concubitum; Apollo spem optati coitus traxit in noctem, Mercurius ferventius optans, non expectata nocte, virginem caduceo tetigit, et in soporem altissimum alligavit, dormientemque vitiavit atque discessit. Phebus autem, veniente nocte, anus formam assumpsit et intravit ad illam, atque oppressit. Et sic factum est, ut ex utroque conciperet, pareretque Mercurio Anthilocum, qui tractu temporis a patre non degenerans artificiosissimus fur effectus est; Phebo vero peperit Phylemonem, qui grandis carmine et cythara valuit. Sane cum hec ob tam generosam prolem, et quod tam splendidis diis placuisset, in superbiam extolleretur, ausa est pulchritudinem suam pulchritudini Diane preferre. Quam ob causam commota Diana sagittis tumidam interemit. Sub cuius

fabule cortice quid absconditum sit, ubi de uno quoque eorum scribitur, supra adaptum est. Lychionem autem a Diana occisam, nil aliud arbitror, nisi agentibus humoribus frigidis eam diem clausisse.

CAP. XVIII.

De Ceo Luciferi filio.

Ceys Trachinne telluris rex, filius fuit Luciferi, unde sic Ovidius: Hic regnum sine vi, sine cede regebat Lucifero genitore satus, patriumque nitorem Ore ferens Ceys etc. Erat igitur, ut idem scribit Ovidius, formoso atque pio homini uxor Alciones, quam ipse diligebat summe, et plurimum diligebatur ab ea. Que, cum is vellet ire consulturus Apollinem Clarium, nec posset terrestre iter agere, impediante Phorbantis bello, in quantum poterat ob-sistebat, ne mare ingrederetur. Verum Ceys suo desiderio magis quam consilio aut beneplacito coniugis credens, conscensa navi iter arripuit. Nec diu et tempestas ingens exorta est, qua nimium fatigatum navigium periclitatum est, et ipse infelix ab undis absorptus interiit. Alciones autem domi die nocteque pro salute viri precibus atque sacris Iunonem honorabat. Que cum frivolas devote mulieris preces diu pati non posset, domum adivit Somni, egitque ut Morphea, ex ministris suis unus, cui erant vires diversas hominum induere formas, mitteret, qui quod contigerat in

somnis Alcioni nuntiaret. Quod cum mesta vidisset per quietem, abeunte somno cucurrit ad litus, ad quod fortuitu maris estus Ceys cadaver impulerat. Quo viso, dum doloris, impatiens se undis dare precipitem conaretur, deorum et Luciferi miseratione, ambo tam mortuum corpus quam preceps Alcione in aves versi sunt, nomenque amantis mulieris tenent, et adhuc litora ac maria servant. De quibus dicit Ambrosius in Exameron: Id temporis habent deputatum et partubus, quando maxime insurget mare, litoribusque vehementior fluctus illiditur; et quod mirabile est, dicit quod, positis ovis in litore, confestim mitescit mare, et omnes cadunt ventorum procelle, donec septem diebus ova foveat Alciones sua, et nascuntur pulli, et post hec aliis septem diebus natos educat, et sic quattuordecim diebus mare quiescit avibus his, obsequiosum iubente deo, quos quidem naute Alcioneos dies appellant. Sic Ambrosius; si dixisset poeta, fabulosum putassem. Hanc Theodontius hystoriam affirmat, et quod circa finem figmenti est, asserit a casu et mulieris nomine fictum. Nam ea forte tempestate dum undis impulsus exanime corpus Ceys devenisset in litus, et Alcione dolore urgente mergeretur in mortem, aves ille, quibus nomen erat alcionis, astantibus apparuere, ex quo ab omnibus dictum est, mortuos in Alcionas aves fuisse mutatos.

CAP. XIX.

De Orione XXV^o Iovis filio, qui genuit Yppologum.

Orion Iovis, Neptuni et Mercurii fuit, secundum Ovidium, filius. Sane quia communia a digniori denominari consuevere, placet Theodontio, ut Iovis tantum filius appelletur. Attamen etsi de origine concordēs sint veteres, de processu vite et exitu discrepant. Nam ex eo ante alios Ovidius talem recitat fabulam. Scilicet quod terram peragrantibus Iove, Neptuno, atque Mercurio, factum est ut nocte superveniente nec aliud esset illis diversorium, Hyrei senis, parvi cultoris agelli, gurgustiolum intrarent. Qui cum illos incognitos comiter suscepisset, quam cito advertit deos esse, occiso bove eis sacrificium obtulit. Qua devotione motus Iuppiter, dixit ei ut peteret quod optaret. Qui dixit se non habere coniugem, et premortue promisisse se aliam non sumpturnum, optare tamen filium. Iuppiter autem cum reliquis duobus diis, bovis occisi sumpserē corium, et cum in eo minxissent, iusserunt seni ut decem mensibus terra superiniecta esse permitteret. Qui cum fecisset, mense decimo prosiluit puer, qui Orion appellatus est. Qui grandis factus et in venatione Diane socius, sui fidens, dicere ausus est, nullam esse feram quam non superaret. Ex quo commotis diis factus est, ut terra breve emitteret animal ei obvium, scorpionem scilicet, a quo superatus occubuit. Latona autem satelliti filie miserta, eum in celum transtulit, et celeste signum secus Taurum constituit, et cum eo canem suum, quem Syrum vocabat, apposuit. Hec Ovidius. Servius autem hec

Enopioni regi contigisse dicit, eumque grandem Diane concubitus exoptasse, a qua, Oratio teste, sagittis confossus est. Cui et Omerus assentit in Odissea, dum dicit quod deorum invidia a Diana apud Ortigiam sagittis occisus est. Lucanus autem dicit a Diana scorpione immisso eum occisum, et deorum miseratione in celum assumptum atque insigne tempestatum signum effectum. Sane Servius autem alibi longe aliter de eo sentit, dicens, quod Enopionis habitus filius cum ingentis esset stature, et venator permaximus factus, Enopionis filiam vitare voluit, quam ob causam ab Enopione oculis privatus est. Qui cum ab oraculo habuisset, si per pelagus ita adversus Orientem pergeret, ut oculorum concavitates solaribus radiis semper haberet oppositas, recuperare lumina posset. Quod ille facere conatus est, et audito strepitu Cyclopum fabricantium, sono duce ad eos devenit, et ex eis unum humeris suis imposuit, et eius ductu in solem vadens lumina reassumpsit. Hec autem tam vane recitata fabula, et physicam rationem contegit, et hystoriam. Credo igitur poetas circa venerationem Orionis initium nostre generationis ostendere, per Iovem et Neptunum intelligentes calidum et humidum humano semini annexum. Per bovis corium mulieris uterum, in quem postquam descendit hominis semen, nisi quedam naturalis frigiditas superveniat que et os uteri stringat et claudat, et semen in unum cogat, non stabit in matrice semen, quam frigiditatem per Mercurium intelligi voluere, qui complexione frigidus est. Ex co-

rio autem terra tecto, id est corporea circumdato mole, post decimum mensem puer exit. Quod autem Dianam de stupro interpellaverit, potest intelligi, quia cum Orion celeste signum sit, et eo incipiente apparere, quod circa mensem Octobris fit, oriuntur pluvie et ventorum impetus, et tempestates, ex quibus inundationes fiunt, et maris motus, et sic videtur velle in hoc Lunam, id est Dianam, que causa motuum aquarum est, superare. Verum eius deficiente potentia et Lune perseverante, ab ea superatus apparet. Seu agente Lune motu fit persepe, ut Orionis frenentur impetus et coerceatur tempestas, et sic telis feriatur Diane. Quod a Scorpione emisso a terra victus sit, ratio talis est. Ymago Orionis ab antiquis astrologis secus signum Tauri locata est, et de mense Octobris surgit in oriente et tunc incipiunt tempestates, ut dictum est, quasi ipse secum afferat. Ymago autem Scorpionis ex opposita celi parte situata est, nec ante incipit in orientem ascendere, quam Orion occidat in occidentem; et quoniam circa eius ortum cessant ymbres et procelle, et serenum tempus et ver primum apparet, dictum est Orionem a Scorpione superatum, qui ideo a terra emissus dicitur, quia ex terra oriatur, seu quia surgens ab oriente terram exire videatur. Quod luminibus ab Enopione privatus sit, et reliqua fabulosa, ad hystoriam pertinent, quam talem recitat Theodontius. Dicit enim Enopionem regem fuisse Sycilie, et Orionem eius fuisse filium robustissimum iuvenem, et venationibus deditum, eumque die quadam venatione fessum antrum subisse atque obdormuisse, eique per

quietem visum sibi suaderi a Venere, ut primo sibi surgenti occursantis virginis uteretur concubitu. Qui expectatus, cum exisset antrum, obviam habuit Candiopem sororem suam eque ventionibus vacantem, quam cum renitentem traxisset in antrum, oppressit, et ex ea filium suscepit, quem vocavit Yppologum. Quod cum rescisset Enopion, indignans eum in exilium abire iussit. Orion autem regni spe privatus, consuluit oraculum, a quo illi responsum est, si in orientem tenderet, decus regium recuperaturum. Qui sumptis navibus et Candiopem cum parvo filio docti naute opere in Traciam delatus est, que a Sycilia orientalis est provincia. Ibi autem cum virtute sua, favente celo, incolas subegisset, in magno fuit habitus precio, et Neptuni filius appellatus. Hac visa credo satis appareat fictionum intentio.

CAP. XX.

De Yppologo Orionis filio, qui genuit Driantem.

Yppologus, ut supra patet, Orionis fuit filius ex Candiopem. Ex quo nil penitus legisse memini, nisi quod Driantem genuerit.

CAP. XXI.

De Driante Yppologi filio, qui genuit Ligurgum.

Drias filius fuit Yppologi, ut testatur Statius, dicens: Horrendumque Drianta movet, cui sanguinis autor Turbidus Orion etc. Dicit Theodontius, mediante Yppologo, cuius fuit filius, hic in bello Thebano fuit, et partibus favit Ethyoclis. Qui cum in pugna Parthenopeum letali ictu vulnerasset, ut Lactantio placet, a Diana sagittis occisus est. Fuit illi Clustimena Colchida coniunx, ex qua Lygurgum filium suscepit.

CAP. XXII.

De Lyurgo Driantis filio, qui genuit Angeum, Arpalicem, et Phyllidem.

Lyurgus, ut placet Omero, in Ylyade, filius fuit Dryantis; ait enim sic: Ὀυδὲ γὰρ οὐδὲ Δρύαντος υἱὸς κρατερός Λυγουργός etc. [Que latine sonant]: Neque enim nec Dryantis filius fortis Ligurgus. De hoc autem multa narrantur. Dicit enim Omerus ubi supra, quod cum hic persequeretur Bachi nutrices in Nysa latentes, et ipse Bachus timens fugisset in mare, Lyurgus odiosus factus Superis, oculis privatus est. Servius autem dicit, quod cum is Bachum contemneret, et vites eius se amputare crederet, sua sibi succidit crura. Lactantius autem eum Tracum dicit regem, et in mare precipitatum, eo quod primus aquam vino

miscuisset, et rem haustu sinceram plurimis infecisset venenis. Que tam diversa sic in unum revocari possunt. Dicit enim Servius hunc abstemium fuisse, et hinc vini contemptorem, et ob id a diis orbatum, quod tam incliti liquoris moderate sumpti comoda ignorasset. Quem dum aspernaretur, et vites incideret, sibi ideo crura incidisse finxerunt, eo quod vini haustus ad omnia faciat homines proutiores. Quod autem in mare deiectus sit, nil aliud est, nisi eum sua simplicitate ad perpetuum aque potum fuisse damnatum a natura rerum, cum vinum omnino respueret. Seu aliter. Hunc ideo Bachi contemptorem volunt, quia ingurgitator maximus Bachi videbatur contemnere vires, et ob nimiam vini ingurgitationem oculos perdidisse, quod pluribus contigit. Quod autem illius se arbitraretur vites incidere, non vult aliud, nisi quia, potando multum, credebat se vini penuriam immittere, verum sibi crura concidebat, id est crurium vires auferebat, ut contingere ebriis sepe videmus, dum onusti vino titubantes incedunt. Quod autem in mare proiectus sit dictum est, quia cum mare salsum sit, et salsedo habeat sitim afferre, et potatores huiusmodi quanto magis potant, magis sitiunt, in mare proiecti, id est in perpetuam sitim esse videntur.

CAP. XXIII.

De Angeo Lygurgi filio.

Angeus, secundum Lactantium, Lygurgi fuit filius et, ut dicit Statius: Cernimus Eacidas murisque immane minante Angeum etc. Videtur ex Argonautis fuisse, quam ob rem non huius fuisse filium arbitror, cum legamus Dryantem Lygurgi patrem in Thebano bello occubuisse, quod diu post fuit. Hunc preterea dicit Ysidorus ubi de Ethymologiis Samum condidisse. Ex quo constat eum longe antiquiorem Lygurgo.

CAP. XXIV.

De Arpalice Lygurgi filia.

Arpalicem dicit Papias Tracem fuisse et Lygurgi filiam ac venerationibus deditam. De qua Virgilius: Vel qualis equo Treissa fatigat Harpalice, volucrumque fuga prevertitur Hebrum etc. Theodontius dicit hanc patriam reliquisse, et ad Amazones abiisse, et ibidem imperasset. Servius autem scribit de hac, quod cum patrem senem a Gethis captum sensisset, collecta confestim multitudine, et celerius quam de femina existimari potuerit, illum armis et robore liberavit.

CAP. XXV.

De Phyllide Ligurgi filia.

Phyllis, ut ait Ovidius in Epistulis, filia fuit Lygurgi regis Tracie, ad quam cum deiecto Ylione tempestate actus venisset Demophon, ab ea et hospitio et lecto susceptus est, et cum ob mortem Mnestei regis Athenarum vellet in patriam redire, resarcitis navibus et obtenta ad tempus licentia, illam dimisit. Que cum angeretur, eo in terminum non redeunte, ut non nulli volunt, laqueo vitam finivit. Alii dicunt, dum in mare se precipitem dare vellet, miseratione deorum in amigdalum versa est, et redeunte tandem Demophonte eius in adventu floruisse. Cuius figmenti talis potest esse ratio; amigdalus Grece phylla vocatur, in qua morientis Phyllidis remansit nomen. Hec, flante Zephyro, qui occidentalis est ventus, et in Tracas vadens, per Atticam regionem transitum facit, floret, cum ventus hic habeat plantis et graminibus adeo favere, ut floreant, et hinc fabule locus datus est, Phyllidam scilicet letari a florere redeunte ab Athenis amasio.

CAP. XXVI.

De Minoe Iovis XXVI^o filio, qui genuit Androgeum,

Glaucum, Adryanam, Phedram et Deucalionem.

Minos Iovis et Europe dictus est filius, hac, ut aiunt, ratione genitus. Volunt Europam Agenoris filiam Iovi placuisse Cretensi, et opere Mercurii factum, ut virgo ex montanis pascuis veniret in litus, ubi transformatus in candidum taurum Iuppiter et regio immixtus armento, adeo se mitem virgini prebuit, ut sua mansuetudine delectatam puellam primo eum tractare manibus ausam, inde eius etiam conscendere dorsum. Iovem autem sensim se in litus trahere, et inde se in altum dare, virgine pavida se cornibus et dorso pro viribus innitente, et sic natantem taurum in Cretam usque detulisse, ibi reassumpta forma Iovis, illam oppressisse, et ex ea Mynoem, Radamantem, atque Serpedonem suscepisse. Minos autem etate provectus Pasyphem Solis filiam sumpsit uxorem, et ex ea filios filiasque progenuit. Inter quos Androgeus preclare indolis fuit. Hic ab Atheniensibus et Megarensibus invidia occisus est, eo quod ceteros in palestra superaret. In cuius ultionem iturus Mynos, petiit patri hostiam suis aris dignam; Iuppiter autem taurum pulchro candore nitentem apposuit illi. Quo delectatus Mynos, religionis oblitus, eum maluit suis armentis preponere quam in hostiam cedere, et, ex alio confecto sacro, processit in bellum. In quo cum scelere Scille Nysi regis filie Megarenses subegisset, Athenienses inde bello superavit. Quos turpi servitio sibi fecit obnoxios, ut scilicet quotannis septem ingenuos pueros Cretam mitterent cessuros in premium

victoribus in agone, quem in Androgei anniversario constituerat. Interim autem Iovis ira factum est et odio Veneris in sobolem Solis adimpletum, ut amaret Pasiphes servatum a Mynoe taurum, et opere Dedali cum eo concuberet, et filium ex eo semivivum pareret. Qua ignominia plurimum victoris Mynois gloria labefactata est. Qui cum Dedalum in laberinto a se facto clausisset una cum filio Icaro, advenit Theseus Egei regis filius sorte ab Atheniensibus missus. Qui, superato Mynotauro et liberatis Atheniensibus a turpi servitio, clam a Creta discedens, secum Adrianam et Phedram Mynois filias asportavit. Et Dedalus alia ex parte, alis sibi filioque compositis, in Syciliam e carceribus evolavit. Quem cum abiisse sensisset Mynos, armis adversum eum sumptis, illum secutus est. Verum apud Camarinum Sycilie oppidum, ut in Politicis Aristoteli placet, a filiabus Crocali occisus est. Cuius post mortem eum apud Inferos iudicem dixere poete, ut Virgilii patet carmine: Quesitor Mynos urnam movet, ille silentium Concilium que vocat, vitasque et crimina discit etc. Que tam multa cum hystoriis et fictionibus mixta sint, de eis serius advertendum est. Quod autem Iovis filius Mynos habitus sit, sunt qui velint verum et tunc Iovem hominem fuisse, et Cretensium regem, et Europam internuntio precaptam atque monitam, et ex Phenicum litore raptam, et non tauri dorso, sed navi, cuius esset vel nomen vel insigne taurus, in Cretam delatam, et ibidem Iovi iunctam regi, et Mynoem aliosque peperisse filios. Sunt qui velint eam raptam et vitiatam a Iove, et demum Asterio

regi Cretensium nuptam, et ex eo quos diximus filios peperisse, ut in libro Temporum describit Eusebius. Et si sic sit, tunc fictum est eum Iovis fuisse filium, seu ad eius gloriam ampliandam, seu quia ex suis operibus se Iovi planete similem exhibuerit. Fuit enim inter alia homo omnibus subditis equus et severus iustitia, legesque Cretensibus dedit, quas nondum habuerant, et ut a rudi populo acceptiores haberentur, solus secedebat in antrum, et cum quid videbatur opportunum composuisset, exiens, illud se a Iove patre reportare monstrabat; qua astutia et id forsitan consecutum est, eum arbitrari Iovis filium, et leges a se condite in maximo precio habite sunt. Eum autem Asterii filium fuisse nullo modo concedi videtur a tempore, cum constet Asterium in Creta regnasse, Danao regnante Argis, circa annos mundi III dccliii, cum bellum ab eo habitum adversus Athenienses fuerit, Egeo regnante, qui regnavit circa annos mundi III dcccclx. Dedalum autem evolasse ideo dictum est, quia longis habitis navibus, que remigio maxime valent, clam tanquam evolveret abiit. Iudex ideo apud Inferos dictus est, eo quod apud mortales, qui, respectu habito ad supercelestia corpora, inferi sumus, componendo leges et ius exhibendo poscentibus, iudicis officium egit. Porro omitendum non est, quam varie de tempore huius scriptores senserint. Legitur igitur apud Eusebium Mynoem anno XXII^o Lyncei regis Argivorum apud Cretam regnasse, qui annus mundi fuit III dccxcvi. Nec multum postea, regnante Acrisio Argis, a Cretensibus Europam raptam, anno mundi III dcccclxxviii, qui quantum

a superiore distet, apparet. Subsequenter scribitur ibidem, Pandione Athenis regnante, Europam raptam, quod fuisse potuit circa annos mundi fere III dccccxvi, et id convenit longe melius, quam superiora tempora cum his, que de Mynoe leguntur. Nam, ut idem Eusebius dicit a Paradio memoratum, regnante Egeo Athenis, Mynos mare obtinuit, et leges Cretensibus dedit. Quod fuisse percipitur anno mundi III dccccli. Et esto ibidem legatur Platonem hoc esse falsum convincere. Conveniunt tamen cum his que de Theseo leguntur, et cum his que a Phylocoro in Attidis libro de Minotauro recitantur, dato aliquantulum discrepent ab his, que postmodum ab Eusebio dicuntur. Qui asserit anno regni Atrei et Thiestis sexagesimo primo Mynoem in Sycilia adversum Dedalum arma corripuisse, quod, secundum supputationem annorum mundi, fuit anno IIII ii°, qui annus plurimum distat a ceteris, dato possibile sit eum tam diu vixisse, nisi obstarent tempora successorum, ut in sequentibus patebit. Que autem ad taurum et ad Pasiphem spectant, supra ubi de Pasiphe explicata sunt.

CAP. XXVII.

De Androgeo Mynois filio.

Androgeus filius fuit Mynois et Pasiphis, iuvenis quidem egregie virtutis. Qui, cum Athenis in palestra superaret omnes,

ab Atheniensibus et Megarensibus invidia occisus est. In cuius ultionem pater insurgens, occiso Nyso Megarensium rege, Athenienses acri bello superavit, sibique vectigales fecit.

CAP. XXVIII.

De Glauco Mynois filio.

Glaucus, ut ait Servius, filius fuit Mynois, ex qua matre non ponit. Hic, ut idem Servius dicit, ad Ytaliā veniens sibi posebat imperium. Quod ideo ille minime concessum est, eo quod nil prestaret incolis, sicut pater fecerat, qui zonam eis incinctis euntibus transmiserat. Quam ob rem is eis ostendit scutum, a quo et ipse Labicus dictus est, et populi Labici. Et sic videtur Mynoem apud Ytalos aliquando regnasse. Quod ego miror, et suspicor, ne corrupta vocabula hystoriam etiam faciant esse corruptam.

CAP. XXIX.

De Adriana filia Mynois et coniuge Bachi.

Adriana filia fuit Mynois ex Pasiphe, ut sepe testatur Ovidius. Hec Theseum ab Atheniensibus Cretā missum amavit, et eius clam usa contubernio sumpta fide, quod eam in coniugem et Phedram sororem suam pro Ypolito asportaret, eum docuit, quo

pacto laberintum posset intrare, et Mynotaurum superare, et filo duce laberintum exire. Qui cum perfecisset omnia, noctu Adriana et Phedra navi impositis, clam discessit, et in Chium insulam, ut dicit Ovidius, seu Naxum, ut ait Lactantius, nocte discedens dimisit Adrianam ibidem dormientem. Que expergefacta, cum se derelictam cerneret, clamoribus et ululatu femineo cepit omnia complere litora. Verum Bacchus forte secus navigans, cum eam vidisset amassetque, in coniugem sibi iunxit, et ex ea, ut placet aliquibus, Thoantem Lemni regem suscepit. Sane cum superasset Bacchus Yndorum regem, et eius amasset filiam, et Adriana diu ob hoc quæsta esset, a Bacho amplexibus et blanditiis lenita, coronam eius, quam ante Vulcanus fecerat et Veneri dederat, et Venus Adriane concesserat, in celum sustulit, et novem stellis ornavit et inde a suo nomine Adrianam vocatam, Liberam eque secum in celum traxit, et celestem fecit ymaginem. Naxo seu Chios insule sunt optimo habundantes vino, quo captam Adrianam puto, et ob id a Theseo temulentam relictam; et quoniam potationibus vacasset, postea Bachi dicta est coniunx. Inde quoniam a vino mulieris honestas omnis dissolvitur, ei a Venere corona, scilicet libidinis insigne, donatur, quod in celum usque, id est in notitiam omnium fertur, et non solum detestabile infamie dedecus per ora virum fertur, verum, agente vino, mulier sese in amplexus quorumcunque dilabitur.

CAP. XXX.

De Phedra Mynois filia et Thesei coniuge.

Phedra filia fuit Mynois et Pasiphis, ut satis veteri fama vulgatum est. Hec cum Adriana sorore, superato Mynotauro, cum Theseo abiit, et Adriana, ut supra dictum est, relicta, eius facta est coniunx. Et ex eo peperit Demophontem et Anthilocum. Tandem cum Theseus cum Perithoo rapturus Proserpinam descendisset ad Inferos, Ypolitum privignum amavit. Cuius libidini eum consentire nollet Ypolitus, furore incensa, illum redeunti Theseo accusavit, quod illi vim voluisset inferre. Quam ob rem Ypolitus iram patris effugiens, fere ut supra dictum est ubi de Ypolito, ab equis distractus, occisus est; tamen cum eum occisum fama ferret, penituit eam false accusationis, et Theseo scelus confessa suum cum ense Ypoliti se ipsam transfodit. Servius autem eam dicit laqueo finisse vitam.

CAP. XXXI.

De Deucalione Mynois filio, qui genuit Ydumeneum.

Deucalion, ut in Yliade placet Omero, Mynois filius fuit, ex qua matre non habetur, eius tamen successor presummi potest, cum Ydumeneus eius filius rex Cretensium fuerit.

CAP. XXXII.

De Ydumeneo filio Deucalionis, qui genuit Orsilocum.

Ydumeneus Deucalionis fuit filius, Omero teste. Hic cum Grecis adversus Troianos bellum gessit. Sane, ut dicit Servius, dum Ylione deleta patriam navibus repeteret, tempestatem passus pro salute sua Superis vovit, si eum in regnum suum sospitem redire concederent, se illis sacrificium exhibiturum ex ea re, que illi prima occurreret. Qui, cum Cretense litus teneret, contigit, ut ante alios filius desiderio videndi patrem illi fieret obvius. Quem cum, ut aliqui dicunt, immolasset seu, ut aliis placet, immolare voluisset, ob eius immanitatem a civibus pulsus est. Quam ob causam cum naves reascendisset, Salentinum usque promontorium Calabrie vectus, statuissetque ibidem exilium agere, haud longe a litore sibi suisque Pitiliam condidit civitatem.

CAP. XXXIII.

De Orsiloco Ydumenei filio.

Orsilocus Ydumenei fuit filius, ut in Odissea scribit Omerus, ubi genologiam eius a Iove in eum usque describit. Hic patrem Ydumeneum in Troianam expeditionem secutus, cum per omne

bellum sibi successisset ad votum, in exitum rei ob eius insolentiam, dum obstaret totis viribus, ne ex preda capti Ylionis sors debita daretur Ulixi, ab eo occisus est.

CAP. XXXIV.

De Sarpedone XXVII Iovis filio, qui genuit Anthyphatem.

Sarpedonem Omerus dicit filium fuisse Iovis et Laodomie filie Bellorophontis. Cuius etiam Servius vestigia sequitur. Augustinus autem aliter sentire videtur, dicens: Per eos annos, scilicet regnante Danao Argivis, a rege Xanto Cretensium, cuius apud alios aliud nomen invenimus, rapta perhibetur Europa, et inde geniti Radamantus, Sarpedon, et Mynos, quod magis ex eadem muliere filios Iovis esse vulgatum etc. Alii dicunt hos Asterii fuisse filios. Et ob id ego istum non illum reor Sarpedonem esse, cum ille longe superior fuerit tempore. Sed quoniam de illo nil legitur, satis sit apposuisse nomen, et de isto que legimus prosequamur. Hic igitur rex Lycie fuit, et adversus Agamenonem et Grecos partes Troianorum secutus, insignis armorum vir fuit, et multa memoratu digna pugnans fecit, ut per Omerum scribitur in Yliade. Tandem a Patroclo occisus est, et iussu Iovis ab Apolline de medio pugnantium sublatum est corpus eius, et flumine lotum atque ambrosio respersum liquore, et regia indutum veste,

suisque ad exequendum funus restitutum. Quod autem hic figmenti modicum est, nil aliud vult, nisi quod medici opere cadaver curatum sit, et unguentis ad conservationem eius unctum atque respersum.

CAP. XXXV.

De Anthyphate Sarpedonis filio.

Anthyphates filius fuit Sarpedonis, Virgilio teste, dum dicit: Et primum Anthyphatem, is enim se primus agebat, Thebana de matre nothum Sarpedonis alti etc. Hic Ylione subverso in Ytaliam Eneam secutus est, et ibi adversus Turnum bellum gerens, ab eodem occisus est.

CAP. XXXVI.

De Radamanto XXVIII^o Iovis filio.

Radamantus Iovis fuit filius, et ut omnes volunt, ex Europa, et regnante Danao Argis, secundum Eusebium, rex fuit Lycie. Hic cum severus iustitie executor esset, eum apud Inferos finire poete culpas explorare nocentum. De quo Virgilius: Gnosius hec Radamantus habet durissima regna Castigatque auditque dolos subigitque fateri etc. De huius origine et fictione sentiendum est, quod de Mynoe dictum est.

CAP. XXXVII.

De Archisio XXVIII^o Iovis filio, qui genuit Laerthem.

Archisius, ut testatur Ovidius, Iovis fuit filius. De eo enim Ovidius Ulixem loquentem atque suam nobilitatem explicantem adversus Ayacem paucis his verbis scribit: Nam mihi Laertes pater est, Archisius illi, Iuppiter huic etc. scilicet Archisio.

CAP. XXXVIII.

De Laerthe Archisii filio, qui genuit Cthimenem et Ulixem.

Laerthes, ut ostensum est, filius fuit Archisii. Hic Anthicliam Autolici filiam sumpsit uxorem, et ex ea suscepit Ulixem et sorores eius. Veditque Ulixem non sua sponte adversus Troianos euntem, tanque diu vitam fessam laboribus traxit, donec post longos errores redeuntem cerneret, et iniurias ulcisceretur.

CAP. XXXIX.

De Cthimene Laerthis filia.

Cthimenis filia fuit Laerthis, ut in Odissea scribit Omerus, dicens: ἄμα Κτιμένι τανυπέπλω Θυγατέρ' ἰφθίμῳ, την

όπλοτάτην τεκε παιδων etc. [Que latine sonant]: Simul cum Cthimeni longi pepli filia venerabili, quam iuniorem genuit filiorum etc. scilicet Laerthes. Hanc, ut in eodem patet libro, parentes tradidere in coniugem cuidam, qui Samindis dictus est.

CAP. XL.

De Ulixē Laerthis filio, qui genuit Thelemacum, Thelegonum et Auxonium.

Ulixis incliti hominis apud veteres dubium genus est. Nam alii eum Sysiphi latronis filium fuisse dicunt. Servius enim dicit, Anthicliam eius matrem, ante nuptias, cum Sysipho Eoli filio concubuisse, et Ulixem concepisse. Quod illi apud Ovidium Ajax Thelamonius concionans obicit, dicens: Et sanguine cretus Sysiphio etc. Quod etiam Theodontius asserit, dicens: Anthicliam primo nupsisse Sysipho, et iam pregnans eo relicto ad Laerthem venisse, et ex conceptu Sysiphi Ulixem peperisse. Leontius vero dicit, quod cum nupsisset Anthiclia Laerthi, et ad oraculum consultura iret, a Sysipho latrone, qui postea a Theseo occisus est, capta et oppressa est, et pregnans effecta ex eo concubitu Ulixem peperisse. Alii autem eum Laerthis filium dicunt, inter quos Omerus et Virgilius, et inveterata seculorum plurium fama testatur. Quorum ego auctoritatem secutus, Ulixem Laerthis fuisse filium dico. Hic fuit homo sublimis consilii et pregrandis

ingenii, fraude an virtute plus valens incertum. Hunc multo-
dum persepe vocat Omerus, quasi ad omnia habentem modum.
Multa quidem perpressus, omnia mira fortitudine superavit. Hic
Penelopem Ycari filiam iuvenis sumpsit in coniugem, virtute et
corpore speciosissimam virginem. Et ex ea illico Thelemacum
suscepit filium. Tandem rapta Helena a Paride, dum delectum
Grecorum faceret Palamedes, ut dicit Servius, ire ad Troiam fu-
gere conatus est, se insanum simulans, et veniente ad Ytachiam
Palamede, animalia diversi generis iugo iunxit ad aratrum, et sa-
lem seminare compertus est. Verum Palamedes astutiam viri su-
spicatus, capto parvulo Thelemaco, ad explorandam ingenii sui
fraudem, eum aratro opposuit. Ulixes autem, viso Thelemaco,
confestim dimovit aratrum, et sic cognitus in expeditionem ire
coactus est. In qua Diomedis Etholi amicitiam summe perseve-
rante obsidione servavit. Et cum Ephygeniam pro captandis
ventis sub spem nuptiarum duxisset in sacris, cum reliquis venit
Troiam. Ubi maxima cum solertia ad obtinendam cepti victo-
riam oportuna plurima operatus est. Nam, ut dicit Theodontius,
suo opere factum est, ut Achilles, a matre apud filias Lycomedis
in habitu virginali absconditus, inveniretur, et in obsidionem
etiam duceretur. Suo opere sagicte Herculis, absque quibus
Troiam capi non posse dicebant oracula, comperte sunt et a Phy-
lotheite etiam obtente, et ad Troiam etiam delate. Suo opere Lao-
medonteus cinis, qui super Scea porta Ylionis servabatur, caute
sublatus est. Post hec ipse una cum Dyomede fatali Palladium ex

Troia rapuit. Sic et Dolone perempto, eque cum Dyomede explorator factus, Rhesum Tracie regem obtruncavit nocte, et albos eius equos, ante quam Xantum gustassent, eduxit in castra Grecorum. Et non nunquam, ut dicit Servius, habitu tectus mendici hominis verbera volens passus est, ut Troiam explorator intraret, et comperta cum fide retulit, semel cognitus ab Helena. Preterea cum florida plurimum valeret eloquentia, inter Grecos et Priamum regem pro concordia legationis officium gessit aliquando. Nec non in mediis aciebus quantum valeret in armis ostendit sepiissime. Sic et in concionibus consilio Grecos persepe iuivit. Simultates habuit cum Palamede, eo quod invitum traxisset in bellum, et frumentum portasset ex Tracia quod ipse missus facere noluerat, quam ob rem mortem eius machinatus est fraude, ut supra ubi de Palamede dictum est. Ad ultimum creditur hunc prodicionem composuisse, qua, arte Synonis, seu alia via Ylion captus atque dirutus est. Capta deinde Troia pro armis Achillis in iurgium cum Ayace Thelamonio venit, et tandem illa adversus eum eloquentia sua obtinuit. Et Orsiloco regis Creten-sium filio ceso, eo quod obstaret, ne sibi prede Troiane pars daretur ut reliquis dabatur principibus, et Polysena occisa atque Astianacte saxo illiso, naves in patriam rediturus ascendit. Sed longe illi a voto contigit, multis quippe agitatus procellis, in longissimos errores atque peregrinationem decennem evectus est. Primo autem procellarum impulsu, ut ipsemet in Odissea Alcioni Pheycum regi refert, ad Cycones delatus est. Quos cum

expugnasset et Ysmarum civitatem omnem vertisset in predam, paucis ex sociis perditis, ad Lothophagos tempestate impulsus est, exploratoresque quos miserat, cum lotho gustato reditum non curarent, retraxit. In Syciliam inde delatus. Ubi antrum Polyphemi Cyclopis cum duodecim ex sociis intravit. Ex quibus cum sex devorasset Cyclops, obruto ei oculo, preusto fuste, arietum pellibus involutus cum superstitibus sociis antrum exivit Cyclopis. Inde delatus Eoliam, ab Eolo ventos in utrem coactos obtinuit. Et cum iam Ytachie proximus esset, soluto utre a sociis thesaurum credentibus, flante adverso vento in Eoliam repulsus est. Ex qua ab Eolo pulsus navigans die septimo devenit ad Lystrigonas. Quos cum haberet adversos, perditis navibus sociisque, cum sola nave sua fugiens devenit ad Cyrcem. Que cum exploratores eius mutasset in beluas, ipse a Mercurio suscepto pharmaco, ad illam accessit impavidus, et expedito gladio mortem illi minatus est, ni evestigio sociis primas redderet formas; quod cum fecisset, eius amicitia usus, anno iam transacto, et Thelegono ex ea suscepto filio, cum renuisset immortalitatem, ab ea eruditus de agendis, Alpenore ob vinolentiam casu mortuo derelicto, navem conscendit, et secundo vento impulsus nocte una ad oceanum usque devenit. Quo peractis sacris a Cyrcemonstratis, ad Inferos habuit aditum, ubi et Anthicliam matrem, et Alpenorem nuper precipitatum inter alios invenit, et de multis futuris a Thyresia vate certificatus est. Inde reversus ad navem ad Cyrcem rediit, et sepulto Alpenore, et predoctus de futuris a

Cyrce discedens, devenit ad insulam Syrenarum. Ad quas ne posset divertere, sociorum aures cera obstruxit, et se malo navis alligare iussit, et sic eis canentibus loca earum preteriit. Inde Scyllam transivit atque Carybdim non absque ingenti periculo et pari omnium labore. Et cum ad ea loca venisset in quibus a Nymphis Solis greges servabantur, iussit ne quis eos violaret. Quod cum eo dormiente famescentibus sociis suasisset Eurilocus, et ex gregibus animalia plura sumpsissent, ei tempestatem intolerabilem impetravere. In qua cum fracta nave omnes deperissent socii, ipse solus et nudus, capto navis malo, novem diebus ab undis et vento agitatus est. Et tandem ad Ogigiam depulsus insulam a Calypsone nynpha susceptus est, et ab ea septem annis detentus. Tandem cum ab ea egre discessum impetrasset, et navem cum sociis obtinuisset, Neptunus infensus, eo quod Cignum eius filium occidisset in pugna, et Troiam quam ipse construxerat demoliri fecisset, et Cyclopem filium suum orbasset, ab impetu maris fatigatus plurimo, navi demersa nudum se iecit in undas. Cuius natantis miserta Leucotae velum illi prestitit suum, cuius subsidio cum die tertia devenisset ad litus, et hostia fluminis Pheycum intrasset, reiecto velo in mare inter frondes nemorum se nudum composuit. Ubi a Nausithea filia Alcinoi compertus vestes accepit, et inde Palladis opere usque ad Aritim Alcynoi regis coniugem deductus est, ubi meruit et dona suscipere, et navim et socios, qui eum usque Ytachiam reduxere, in qua dor-

mientem cum donis deposuere. Excitatus autem, a Pallade premonitus de agendis, in mendicum seniculum transformatus, ad subulcos devenit suos, apud quos Thelemacum vidit, et allocutus est. Tandem a Sybotoe porcario in patriam deducitur incognitus, ubi in propria domo a procatoribus Penelopis ignominiosa quedam perpessus est. Et tandem ab Euriclia nutrice recognitus. Inde ex composito arma cum filio et duobus subulcis, confessus Ulixem, adversus procatores assumpsit, eosque gravi pugna omnes peremit. Esto Theodontius dicat eum illos oculis privasse, et in tantam deduxisse miseriam, ut in triviis starent stipem querentes ob victum. Hinc visa Penelope, Laertem senem visurus accessit in villam. Postremo dicit Theodontius eum variis exterritum somniis, quorum cum interpretationem quesisset, habuit in responsis, ut sibi caveret a filio. Qui recedens in loca abdita, quantum potuit somniorum portenta vitavit. Tandem Thelegonus, qui ei natus fuerat ex Cyrce, cum eum querens venisset Ytachiam, a domo eius fuit prohibitus. Qui, ut erat robusti vigoris iuvenis, multos ex prohibentibus occidit, in finem Ulixes in eum letiferum immisit telum. Quod cum evitasset Thelegonus, eo reassumpto transmisit in patrem. Ex quo ictu cum se moriturum nosceret Ulixes, quisnam esset interrogavit; et cum eius nomen audisset, et patriam et filium cognovisset, cum premonstrata nequisset effugere, diem clausit. Leontius vero dicit, eum casu a Thelegono eum querente, spina piscis venenosa tactum et inde mortuum. Longa equidem huius hystoria est, etiam

succincte narrata, et non nullis immixta fictionibus, ex quibus pars maxima in precedentibus ostensa est. Et ideo videamus paucis que supersunt. Et primo videamus, quid velint per ventos in utre argentea cathena ligatos et solutos a sociis. Vult quidem Omerus in Odissea componere bonum virum, et inter alia volens ostendere, quid nobis nascentibus a divina bonitate dono datum sit, dicit ab Eolo, id est a deo ventos, id est concupiscibiles appetitus datos bovino in corio, id est in arbitrio virilis etatis, que fortis et constans esse debet, uti corium bovis est, et hi sunt argentea cathena ligati, id est famosa clare virtutis sonoritate, qua profecto non nulli longe magis firmatum corium servant, quam divini amoris intuitu. Hanc tamen catenam socii Ulixis, id est sensus humani corporis ignavia nostra rationi imperantes, solvunt, predam existimantes, id est arbitantes longe meliorem et dulciorem vitam in voluptatibus nulla coactis regula, quam eis ligatis in ratione solida. His tamen solutis, dum in hanc et in illam labimur lasciviam, insurgunt tempestates animo, id est rubores, reprehensiones, conscientie redargutiones, fluctuationes animi, merores, inopia, egritudines, et mille malorum species, que nos a patria, id est a quiete amovent. Ivisse autem in oceanum, et ibidem illi ad Inferos iter apertum sit sacris, arbitror Ulixem ad lacum Avernum in sinu Bayanu nocte una navigasse, et ibidem occiso Alpenore obscenum illud peregrisse sacrum, quo Manes evocantur ad superos, et de quesitis habuisse ab immundis spiri-

tibus responsum. Velum autem Ulixi naufrago a Leucotoe prestitum, nil aliud fuisse arbitror, quam spem immotam, quam evadendi forti servabat pectore; hec egit, ne desperando periclitaretur. Quam quidem spem, dum speratum obtinuisset, retro reiecit. Eum autem sepissime adiutum a Pallade est, quia ab animadvertentia sua instructus multa evitavit pericula, et multa egit sibi etiam opportuna.

CAP. XLI.

De Thelemaco Ulixis filio.

Telemachus Ulixis fuit filius parvulus Penelopi matri a patre relictus. Qui multa a procatoribus matris perpessus, tandem una cum patre sumpsit ex omnibus ultionem.

CAP. XLII.

De Thelegono Ulixis filio.

Thelegonus Ulixis et Cyrcis fuit filius. Qui, dum grandis videre patrem quereret, eum incognitum occidit, et in Ytaliam rediens Tyburim condidit, ut ait Ovidius: Et iam Thelegoni, iam menia Tyburis udi Stabant, Argolice que posuere manus etc, Papias autem dicit eum edificasse Tusculum.

CAP. XLIII.
De Auxonio Ulixis filio.

Auxonius filius fuit Ulixis, ut scribit Paulus Longobardus, ea in hystoria, quam De gestis Longobardorum scripsit, dicens, ab eo omnem Ytaliā Auxoniam nuncupari. Titus Livius autem aliter videtur in libro VIII^o Ab urbe condita, dicens, Miturnas et Vestinam civitates Auxonidum, M. Pellio, et C. Sulpitio consulibus ab eisdem proditione captas, et fere deletam Auxonidam gentem. Et sic illa Ytalie particula fuit Auxonia. Ego hunc Auxonium puto eum Latinum fuisse, quem Cyrcis et Ulixis volunt quidam fuisse filium, ex Marica nynpha susceptum dicentes, cum, teste Servio, Marica dea sit litoris Miturnensium iuxta Liris fluvium. Nos autem etsi multi ex prole Iovis supersint, finem huic facientes libello, paululum quiescamus.

Genealogie deorum gentilium liber XI^{us} explicit.

**GENEALOGIE DEORUM GENTILIIUM SECUNDUM
JOHANNEM BOCCACCIIUM DE CERTALDO
LIBER DUODECIMUS INCIPIT FELICITER.**

In arbore precedenti, cuius in radice positus est Iuppiter tertius, describuntur in ramis et frondibus posteritates octo filiorum Iovis predicti, scilicet Tantalii, Dionisii, Persei, Aonis, Eaci, Pilumni, Mercurii et Vulcani.

Prohemium.

Si post longum predestinati agri discursum, rex illustris, et si iter in finem non venerit, conceditur aurige discreto anelos equos curru dimovere, et illos aliquantisper vagos exonerare vesicam permittere, et recenti fluvio atque florido recreari prato, dum ipse apud mercennarium hospitem potu sibimet parcat et somno. Et aratori instructo, quanquam omnis ager vomere scissus non sit, parte adhuc diei superstite iugo boves solvere, et in quietem et pascua ire permittere, dum ipse, leni blandiente aura, fusca sub nemorum umbra iam satur cantu rudi duos conatur oblivisci labores. Nec non et egregio bellorum duci, posito in finem certaminis itum non sit, fessos et sanguine graves, dato signo, revocare milites, ut et a periculo cladis retrahat, et, restauratis ocio viribus, eos alias in hostes acriores inmittat. Quis michi non esse

fas dicet, esto in finem numerose prolis Cretensis Iovis non venerim, parte tamen maxima recitata, subsistere paululum, et, quasi ad certam venerim metham, respiscere? Nemo arbitror iuste! Morem igitur aliorum secutus, non aliter quam si in certum et insignem terminum devenissem labore attritus in Auxonicum litus, quamvis inportuosum, substiti, arbitratus insuper, quod brevioribus distinguitur signis, facilius intellectu capitur, et tenacius memorie commendatur. Ibidem dum non fessos oculos in circumitu ducerem, cepi veterum prospectare vestigia rerum. Hinc enim veteres Cume, Calchidiensium opus, Dedali templum, et Meseni tumulus, atque Iulie aque admirationem tenebant animum, et ex opposito Inarime, vetus symiarum hospitium, et ex Inarime excussa Prochita distrahebant. Sic sonantes revolutionibus extuantium fluminum Vulturii fauces atque Lyrissae, Fucinae nebulae, et Linterni paludes, exilio et morte venerandissimi primi Scipionis Africani nobilitate; et in conspectu fere M. Scauri villula suo adhuc insignis nomine, atque Formarum fere deleta vestigia, et longiuscule in radicibus montium Calenus, Stelenates, atque Campanus agri mira fertilitate conspicui, et super eminentia agris oppida Suessa, Theanum, Sidicinum, Casilinum, Thelesiae, et alia plura tam Romanorum operum quam Carthaginensium monumenta; nec non et multa, quarum longa magis quam utilis huic operi esset hystoria. Sed cum iam, brevi quiete recreatus, animus vires in laborem promitteret, reintravi volens mare velivolum, et in Frigiam usque devectus, sumpsit animum

Tantali aliorumque quorundam ex filiis Iovis prolem exquirere atque describere. Quod ut peragam, ille faciat, precor, qui ad ictum virge servitoris sui Moysi sitienti populo aquas affluenter emisit ex rupe.

CAP. I.

De Tantalō XXX^o Iovis filio, qui genuit Nyobem et Pelopem.

Tantalus, ut dicit Lactantius, filius fuit Iovis ex Plote nympa susceptus. Hunc dicit Eusebius Frigum fuisse regem, regnante Eritreo Athenis. Et huic ob raptum Ganimedem bellum fuit adversus Troium Dardanie regem, et Ganimedis patrem. Volunt preterea hunc deos in convivio habuisse, eisque ut experientiam deitatis eorum assumeret, occiso filio, illum membratim discerptum coctumque apposuisse comedendum. Qui, cum abhorruissent cibum, non solum abstinuere, sed, collectis in unum membris, puerum in formam pristinam reducere, et revocata per Mercurium ab Inferis anima, eam illi restituere. Sane cum adverterent humerum deesse puero, quem devoraverat Ceres, loco consumpti eburneum refecere. Tantalum autem deiecere ad Inferos talique damnare supplicio, ut fluvio ad os usque demersus siti vexaretur assidua, et dum os forte declinaret in potum,

aque fluminis etiam declinarent in tantum, ne illas posset contingere. Desuper autem arbores pomis honestas addidere, que ad os eius usque descenderent, ipse tamen ingenti et continua percitus fame, dum illa carpere conaretur, se tam diu extollerent, quam ipse diu ut contingeret laboraret. Et sic factum est, ut inter poma et aquas positus fame sitique vivens depereat infelix homo. Nunc quid ex his sentiendum sit advertendum. Et concesso eum Iovis fuisse filium, seu verum, seu ob aliquam similitudinem attributum. Et que ad Ganimedem spectant, ubi de Ganimede posita sint. Dico eum ob id diis filium apposuisse dictum, quia cum avarissimus homo fuerit, et rem domesticam plurimum augere curaverit, frumenta, ex quibus popularem exhauriebat pecuniam, non aliter quam filium diligebat, que tunc diis apposuit dum cultis agris iniecit, iniecta quidem sulcis in conspectu superiorum corporum sunt, que eiusdem agentibus superis in frugem venientia pristinam reassumunt formam. Verum humerus, id est semen devoratus a Cerere, id est a terra consumptus, heburneus restauratur, dum in crescente segete nutrimenti robur immittitur. Supplicium autem huius ostendit liquido avari hominis detestabilem vitam. Dicit enim Fulgentius Tantalum interpretari visionem volentem; quod optime unicuique competit avaro, non enim aurum et amplam suppellectilem congregat, ut eis utatur, quin imo ut illam intueatur, et cum pati non possit sibi, quid boni ex congestis divitiis facere eis immixtus fame periclitatur et siti.

CAP. II.

De Nyobe Tantalī filia et Amphyonis coniuge.

Nyobes filia fuit Tantalī et Taygete, ut apud Ovidium ipsa testatur, dicens: Michi Tantalus autor, Cui licuit soli Superum contingere mensas. Pleiadum soror est genitrix mea etc. Sed salva reverentia Ovidii, pater eius non fuit ille Tantalus, qui amicus deorum fuit. Nam ille fuit homo pius et Corinthiorum rex et tempore prior. Lactantius autem dicit hanc filiam fuisse Tantalī et Penelopis. Hec, ut placet Theodontio, nupta fuit Amphioni regi Theberum, ut faveret Amphyon partibus Pelopis bellum gerentis adversus Enomaum regem Elydis et Pise. Ex quo Amphione ipsa peperit septem filios, totidemque filias; esto Omerus in Yliade tantum duodecim fuisse filios dicat. Hec elati spiritus mulier, sacrificantibus Thebanis iussu Manthonis filie Thyresie Latone, cepit eos acriter increpare verbis et se Latone preferre. Quam ob causam indignata Latona et filiis quæsta, factum est ut, ludentibus filiis atque filiabus in campis, Appollo filios et Diana filias sagictis occiderent, qui apud Syphilonem montem fuere sepulti. Niobes autem orbata viro et filiis apud urnas eorum in lapidem versa obrigit. De filiis et Amphione supra dictum est. Eam autem in lapidem versam Tullius, ubi de questionibus Tusculanis, fictum arbitratur, propter eius eternum in luctu silentium. Verum huic fictioni Theodontius addit, dicens, eius adhuc statuam in Syphilo apparere lapideam, et adeo tristem, ut

lacrimis existimetur deficere, quod preter naturam non est. Potuere quippe veteres ad memoriam ingentis infortunii superbe mulieris in Syphilo lapideam apposuisse flentis mulieris statuam, et cum frigide complexionis sit lapis, surgentibus in eum vaporibus ex terra humidis, lapidis frigiditate solvuntur in guttas aqueas ad instar lacrimarum, et hinc forsitan arbitrantur ignari Nyobem adhuc flendo deficere.

CAP. III.

De Pelope Tantalii filio, qui genuit Lysidicem, Atreum, Thiestem et Phystenem.

Pelops filius fuit Tantalii et Taygete et, ut ait Barlaam, homo bellorum fuit, et insignis plurimum. Qui cum apud Frigas regnaret, bellum habuit adversum Oenomaum regem Elydis atque Pise, quod quidem memorabile fuit et permaximum, ut scribit Tucchitides. Belli causam dicit Paulus fuisse Hyppodamiam Enomai filiam a Pelope dilectam, atque in coniugium postulatam et denegatam. Dicit enim Servius huius Hyppodamie multos fuisse petitores ob insignem eius pulchritudinem, quibus ab Enomao ea lex indicta est, et id inde secutum quod supra scribitur, ubi de Yppodamia. Sed Barlaam dicit non sic se negotium habuisse, quin imo cum Pelopi videretur inhumana condicio, adversus Enomaum arma movit, et magnis hinc inde convocatis

subsidiis, fraude Myrtili prefecti armorum Enomai, astutia Pelopis corrupti eum superavit. Et sic Yppodamia et regno potitus, Myrtillum postulantem proditiōis premium deiecit in mare. Hunc dicit Eusebius in libro Temporum Hyppodamiam uxorem duxisse, regni Priti Argivorum regis anno decimoquarto, qui mundi fuit annus III dccclvii et paulo ante dicit, regnante Lynceo Argis, Pelopem apud Argos regnasse annis quinquaginta tribus, et eos a suo nomine Peloponnenses denominasse. Dicit etiam, Acrisio regnante Argivis, Pelopem Olympiis interfuisse, et postea adversum Ylium arma movisse, eumque a Dardano expugnatum, anno mundi III dccclxxxi^o, cum legatur diu ante fuisse Dardanum. Ego autem tam discordantium opinionum veritatem ignoro. Huic ex Yppodamia plures fuere filii.

CAP. IV.

De Lysidice Pelopis filia et Electrionis coniuge.

Lysidicem dicit Lactantius ex Yppodamia filiam fuisse Pelopis et Electrioni nuptam, ac ex eo Alcmenam peperisse Herculis matrem.

CAP. V.

De Atreo filio Pelopis, qui genuit Alceonem, Melampum

et Eviolum.

Atreus Pelopis et Yppodamie filius fuit. Qui, ut ex verbis Senecae poete in tragedia Thiestis percipi potest, una cum Thieste fratre apud Peloponnesum regnavit, alternis tamen vicibus. Sed tandem inter eos nata discordia est. Cuius talem dicit Lactantius fuisse causam. Constat enim, ut supra dictum est, a Pelope Myrtilum Mercurii filium in mare deiectum atque necatum, quod egre ferens Mercurius, inter Atreum et Thiestem tantum iniecit zizanie, ut hostes efficerentur. Insuper erat apud Atreum aries, de quo sic Seneca tragicus: Est Pelopis altis nobile in stabulis pecus Arcanus aries, ductor opulenti gregis. Huius per omne corpus infuso coma Dependit auro, cuius e tergo novi Aurata reges sceptra Tantalici gerunt; Possessor huius regnat; hunc tante domus Fortuna sequitur; tuta seposita sacer In parte carpit prata, que claudit lapis Fatale sacro pascuum muro tegens etc. Hunc habere cupiens Thyestes arbitratus est posse per concubitus Meropis Atrei coniugis obtinere, nec defuit sceleri locus; nam ex ea et filios concepit, et illam eripuit viro, ex quo in bellum venere fratres, et pulsus regno Thyestes est. Sed Atreus non contentus fratris exilio, illum ficta gratia revocavit, et credulo tres filios decoctos in convivio apposuit, et eorum sanguinem poculis mixtum illi dedit in potum, repletoque tam scelesto cibo capita manusque natorum infelici patri iussit apponi, atque quid comedis-

set detegi. Quod cum fieret, aiunt solem surgentem in ortum retrocessisse, scelus videre fugientem. Hunc tamen Atreum, ut dicit Lactantius, Egistus, Thyestis filius, interemit. Aureum vellus in hac hystoria fictum sic intelligendum arbitror, ut intellexisse videtur Varro ubi De agricultura, dum dicit: Pecudes propter caritatem aureas habuisse pelles, ut Argis Atreus, quam sibi Thyestem subtraxisse queritur etc. Vel potius pro ariete isto aurei velleris thesaurus intelligendus est, quo reges plurimum valent, et absque quo oportuni sumptus ad bella et ad splendorem regium sustentandum fieri non possunt. Sol autem in ortus suos revolutus eclipsim ea tempestate fuisse demonstrat, que cum esset hominibus incognita monstruosa visa est. Dicit tamen Lactantius hanc ab Atreo Mecenis predictam et primitus adinventam. Cuius cum cerneret approbari dicta, Thyestes invidens ex urbe discessit.

CAP. VI.

De Alceone, Melampo et Eviolo filiis Atrei.

Alceon, Melampus et Eviolus fuere fratres, et, ut asserit Cicero ubi De naturis deorum, Atrei fuere filii. Quos dicit apud Graios inter Dyoscortes numeratos; quam ob rem celebres fuisse viros credendum est, cum ex his fuerint Castor et Pollux. De eis autem nil amplius reperitur.

CAP. VII.

De Thieste Pelopis filio, qui genuit Tantalum, Phystenen, Arpagigem, Pelopiam et Egystum.

Thyestes Pelopis et Hyppodamie fuit filius, cui adversus fratrem Atreum, que dicta sunt supra, fuerunt odia. Qui cum iam dicta passus esset a fratre, vindicte avidus oraculum consuluit. A quo responsus habuit ex se et Pelopeia filia sua nasci posse, qui filiorum ulcisceretur mortem. Quod cum audisset, ut qui erat in scelera et potissime in libidinem pronus, confestim in amplexus filie venit, et ex ea filium suscepit Egystum, qui postea interfecit Atreum, stupravit Clytemestram, et Agamenonem etiam interemit.

CAP. VIII.

De Tantalo, Phystene et Arpagige filiis Thyestis.

Tantalus, Phystenes et Arpagiges filii fuerunt Thyestis ex coniuge Atrei suscepti, ut per verba Senece poete in tragedia Thyestis comprehenditur, esto duos tantum nominet, Tantalum scilicet, dum dicit: Primus locus ne, deesse pietatem putes, Avo dicatur: Tantalus prima hostia est etc. Deinde nominat Phystenem, dicens: Tunc illi ad aras Phystenem sevis trahit, Adicitque fratri etc. Tertium puerum vocat, dum dicit: Ferrumque gemina cede

perfusum tenens, Oblitus in quem rueret, infesta manu Exegit ultra corpus, ac puer statim Pectore receptus ensis a tergo extitit; Cadit ille etc. Tercium hunc puerum Theodontius dicit Arpagigem nuncupatum. Et sic ex eis preter patruī crimen, et patris escam nil legitur.

CAP. IX.

De Pelopia Thyestis filia.

Pelopia, ut dicit Lactantius, filia fuit Thiestis, ex qua matre non dicit. Hanc, ut ipsemet Lactantius dicit, Thyestes, responso desuper dicto habito, oppressit, et ex ea filius natus est, quem ipsa rubore sceleris confestim feris exposuit. Et sic apparet ob luxuriam Thiestis non ob responsum oraculi a Thyeste in concubitus filie itum; responsum autem oraculi ad palliandam Thyestis ignominiam post cedem suorum ab Egysto factam compertum est.

CAP. X.

De Egysto Thiestis filio.

Egystus filius fuit Thyestis ex Pelopia eiusdem Thyestis filia, ut ipsemet testatur in tragedia Senece dicens: Coacta fati nata fert uterum gravem, Me patre dignum; versa natura est retro etc.

Hic quam cito natus fuit a matre ob pudorem ignominiosi criminis in silvas deiectus est, ut dilaceratus a beluis turpitudinis avi parentisque, atque matris pariter et sororis vivens, testimonium non prestaret. Sed aliter factum est. Nam seu beneficio pastorum, seu sic permittente deo, caprarum sponte, contigerit a capris ubera prestantibus in silvis nutritus est et inde dictus Egystus, ab ege, scilicet capra nutrice. Is tandem a suis cognitus et in regiam deductus, dum crevisset essetque in parvo precio, rerum preteritarum iam conscius, seu patre inpellente, quod magis creditur, ut Lactantio placet, Atreum occidit, cui Thiestes occupata regia successit. Tandem iam Thyeste mortuo cum regnarent Agamenon et Menelaus, et ob raptam Helenam in Troianum ivissent excidium, Egystus, ut Leontio placet, suasionibus Nauplii in amplexus optantis Clytemestre devenit, et postremo redeuntem Agamenonem a desolatione Ylionis, immane ausus facinus, illum favente Clytemestra trucidavit et regiam Pelopis septem tenuit annis. Ad ultimum, ab Horeste Agamenonis filio, una cum adultera Clytemestra, nullo remanente ex eo superstite, obtruncatus est.

CAP. XI.

De Phystene Pelopis filio, qui genuit Agamenonem et

Menelaum.

Phystenes, ut ait Theodontius, filius fuit Pelopis et Yppodamie. Qui cum iuvenis moreretur, Agamenonem et Menelaum filios suos parvulos commendavit Atreo fratri suo; qui illos suscepit et in filios educavit, et ob id, abolita tractu temporis Phystenis memoria, Atrei filii habiti sunt, et Atrides ab omnibus appellati.

CAP. XII.

De Menelao Phystenis filio, qui genuit Hermionam et Megapentim.

Menelaus Lacedemonum rex, ut Theodontio placet, filius fuit Phystenis, et frater Agamenonis. Hos Seneca in tragedia Thyestis videtur omnino tenere filios fuisse Atrei, in cuius persona sic ait: Consilii Agamenon mei Sciens minister fiat, et patris cliens Menelaus assit. Prolis incerte fides Ex hoc petatur scelere, si bella abnuunt Et gerere nolunt odia, si patrum vocant Pater est etc. Et sic Atrei ex Merope videntur filii; teneat quod mavult lector. Menelaus autem, ut Eusebius ostendit in libro Temporum, Atreo et Thyeste viventibus rex Lacedemonum dictus est, anno mundi III dccccxcvii^o, cum Agamenon, qui Thyesti successit, secundum Omerum regnare ceperit Mecenis anno mundi IIII vii. Fuit

huic Helena Iovis filia coniunx, quam anno primo regni Agamenonis, et secundum Eusebium, decimo Menelai, ut ait Dares Frgius, absente Menelao, qui ad Nestorem Pylon iverat, Paris legatus missus ad Castorem et Pollucem, rapuit ex insula Cytherea sub oppido Heleno, ea etiam consentiente, existentibus fratribus et Hermiona apud Agamenonem. Dites vero dicit illo tunc Menelaum cum Agamenone Cretam ivisse divisuros thesauros, quos ibi deposuerat Atreus. Hinc factum est, ut fratris consilio Menelaus conquereretur Grecis principibus. Verum cum frustra legationibus obsidione demum repetita est Helena, et post decennium fraude magis quam viribus capta Troia reassumpta est, et Menelao restituta. Qui cum, ut ceteri, navem intrasset patriam petiturus, tempestate actus, ut scribit Eusebius, ad Tuorim regem Egipti, quem Polybum appellat Omerus, cum ea devectus est, et a Protheo vate, ut per Omerum patet in Odissea, consilio sumpto, postquam octo annis errasset, in Lacedemoniam rediit, Agamenone diu ante cesso, et illis forte diebus Egysto. Quid tandem illi successerit, quo vel qua morte diem clauserit, non inveni.

CAP. XIII.

De Hermiona Menelai filia, et Pyrri et inde Horestis

coniuge.

Hermiona, ut Ovidius testatur in Epistolis, Menelai fuit filia ex Helena. Hec autem Horesti filio Agamenonis desponsata fuit; porro Pyrrus, cum, occiso Agamenone, regiam occupasset Egyptus, et fugisset Horestes, Andromaca Olim Hectoris coniugem, quam a Troia captivam duxerat, Heleno concessa; hanc Horesti surripuit, et sibi coniugio copulavit. Attamen, eo postea ab Horestes occiso, in eiusdem Horestis coniugium rediit, eique peperit Horestem filium.

CAP. XIV.

De Megapenti Menelai filio.

Megapentis dicit Theodontius filius fuit Menelai ex Lydia captiva susceptus post raptam Helenam. Quod Omerus in Odissea testari videtur, dum dicit: ὑιῆϊ δὲ Σπάρτηθεν Ἀλεκτορος ἦγετο κόρην, Ὅς οἱ τηλύγετος γενετο κρατερός Μεγαπένθηϊ Ἐκ δούλης· Ἑλένη δὲ θεοὶ γονον οὐκέτ' ἐφαινον, Ἐπει λή πρῶτον ἐγείνατο παῖδ' ἐραστείνην, Ἑρμιῶνην, ἣ εἶδος ἔχε χρύσης Ἀφροδίτης etc. [Que latine sonant]: Filio autem a Sparte Alektoris accepit filiam. Qui ipsi unigenitus fuit fortis Megapentis a serva. Helene autem dii filium

non dederant, postquam primo genuit Hermionam filiam desiderativam. Et sic per hos patet etiam Menelaum Megapenti coniugem dedisse filiam Alectoris Spartani. Cuius nuptias celebrantem Thelemacus Ulixis filius veniens ex Ytachia comperit.

CAP. XV.

De Agamenone Phystenis filio, qui genuit Ephygeniam, Crisothemim, Laodicem, Yphyanassam, Eletram, Alesum et Horestem.

Agamenon Phystenis fuit filius, ut supra, et Atreo a patre parvulus derelictus. Fuit hic Micenarum rex et Thyestis successor, ut in Yliade etiam sentire videtur Omerus, ubi de sceptro Agamenonis multos describit versus, fere hoc dicentes: Apud Troiam in contione Grecorum presidens Agamenon sceptrum tenebat, quod Vulcanus artifex fecerat, illudque dedit Iovi Saturnio. Postea Iuppiter concessit Dyactoro Argyphonti. Ermias autem rex dedit Pelopi Plisippo, postea Pelops dedit Atreo, qui moriens Thyesti bellicoso reliquit. Qui Thyestes reliquit Agamenoni multis insulis et Argo omni imperanti etc. In quibus verbis non servatur genealogie descriptus ordo, quem Latinorum auctoritatem describens secutus sum. Cepit autem regnare Agamenon, secundum Eusebium, anno mundi IIII vii°, quo anno Helena

rapta est, et Grecia omnis in Troianos incitata pari omnium consensu, congregatis in Aulide navibus et exercitu, imperator factus in bellum perrexit, Clythemestra coniuge relicta, ex qua iam plures susceperat filios. Et apud Troiam labores multos passus, quorundam etiam principum simultates pertulit, quibus agentibus imperio depositus est; et illi Palamedes suffectus, qui crimine Ulixis occisus, Agamenon maiori sua gloria in imperium reasumptus est, quam ignominia depositus. Sustinuit preterea indignationes Achillis ob Briseydam illi a se sublatam. Tandem capto Ylione atque diruto, cum illi cessisset in sortem cum preda plurima Cassandra Priami filia, naves in patriam rediturus ascendit. Verum tempestate actus fere per annum erravit, ut scribit Omerus antequam deveniret in patriam. Interim autem, ut idem testatur Omerus, Egystus, Thyestis filius, cum tacite omnia occupasset, positus per litus speculatoribus, et audito ab eis Agamenonis reditu, viginti ex amicis suis in insidiis posuit, et ipse cum comitatu reliquo ficta letitia illi obvius factus est, et ingens ei paravit convivium. In quo, Clytemestre consensu, illum cum sotiis epulantem occidit. Seneca autem poeta aliter de morte eius sentire videtur, ea in tragedia cui titulus est Agamenon. Dicit enim Clytemestram acri dolore agitatam, quod Cassandram Agamenon secum traheret. Ego autem credo commissi sceleris timore, et cum Egysto adultero, esto primo discorde, sed in concordiam ut percipitur revocato, ea die qua patriam intravit domum, parato

a Clytemestra convivio, et ipse Agamenon dum picta veste sublimis iaceret, Priami superbas corpore exuvias gerens, ei detrudere cultus hostiles uxor iubet, et induere potius coniugis fide manu textos amictus; verum induta vestis exitum manibus negat, caputque laxi et invii claudunt sinus, et tunc haurit trementi semivir dextra latus Agamenonis, eumque interficit veste invia involutum.

CAP. XVI.

De Ephygenia Agamenonis filia.

Ephygenia Agamenonis filia fuit, ut in Agamenonis tragedia testatur idem Seneca. Hanc tamen alii Yphianassam vocant, ut Lucretius dicens: Aulide quo pacto Trivai virginis aram Ypianassai turparent sanguine fedi etc. Hec insignis pulchritudinis virgo fuit. De qua Servius talem refert hystoriam. Greci Troiam ituri cum ad Aulidem devenissent, Agamenon Diane cervum occidit ignarus, quam ob rem irata dea flatus ventorum removit, et ideo cum navigare non possent, et pestem insuper sustinerent, oracula consulta dixerunt Agamenonio sanguine Dianam esse placandam. Ergo cum ab Ulixē per nuptiarum simulationem adducta Ephygenia, et iam ut immolaretur esset altaribus admota, numinis miseratione sublata est, et cerva subposita. Unde Ovi-

dius: Victa dea est, nubemque oculisque obiecit, et inter Officiumque turbamque sacri vocesque precantum Supposita fertur mutasse Micenida cerva etc. Virgo autem, ut Servius asserit, ad Tauricam regionem translata est, et Thoanti regi tradita, et inde Dictine Diane sacerdos effecta, et cum secundum statutam consuetudinem humano sanguine numen placaret, agnovit fratrem Horestem, quem diu non viderat, qui accepto oraculo carendi furoris causa cum amico Pylade Colcos petierat, et cum his occiso Thoante simulacrum sustulit absconditum falce lignorum, et sic ad Laconas Diana translata est, Ephygenia reportante. Quid deinde de Ephygenia secutum sit, nusquam comperisse memini. Quod supra fictum est Dianam loco Ephygenie posuisse cervam, humanum fuisse artificium credendum est, quod ut populus omnis Agamenoni esset obediens adinventum est, eum scilicet filiam immolasse, que medio in tumultu sublata, ne fraus aperiri posset, in longinquam regionem transmissa, et sub umbra sacerdotis servata est.

CAP. XVII.

De Crisotemi, Laodice et Yphianassa filiabus

Agamenonis.

Crisotemis, Laodyces, et Yphianassa Agamenonis fuere filie et Clytemestre, ut arbitror, cum ex eis unam, quam mallet, Agamenon apud Omerum Achilli offert, dicens: Γαμβρός κέν μοι ἔοι τίσω δέ μιν ἴσον Ὀρεστη, Ὅς μοι τηλύγετος τρέφεται θαλὴ ἐνὶ πολλῇ. Τρεῖς δέ μοί εἰσι θυγατέρες ἐν μεγάρῳ εἰπηκτῷ Χρυσόθεμις καὶ Λαοδίκη καὶ Ἰφιανασσα etc. [Que latine sonant]: Gener michi erit, honorabo eum similem Horesti, qui michi unigenitus nutritur habundantia in multa, tres michi sunt filie in atrio bene facto Crisotemis et Laodices et Yphianassa. Leontius tamen dicit hanc Yphianassam Ephygeniam esse, quod ego non credo. Quomodo enim dixisset Agamenon Ephygeniam domi esse, quam sciebat in sacro pro ventis querendis, aut occisam, aut alibi clam delatam?

CAP. XVIII.

De Eletra Agamenonis filia.

Eletra Agamenonis et Clytemestre fuit filia, ut liquido patet per Senecam in tragedia Agamenonis, in qua percipitur, quia ab Agamenone Troiam eunte parva relictis sit domi. Hec, cum patrem occisum cerneret, Strophylo Phocensi Agamenonis amico

clam commendavit Horestem, et inde matrem ob perpetratum scelus increpavit aspere; quam ob causam, Clytemestra iubente, in carcerem deducta est. Quid tandem ex ea secutum sit, legisse non memini.

CAP. XIX.

De Aleso Agamerionis filio.

Alesus filius fuit Agamenonis, ut satis clare dicit Virgilius: Hic Agamenonius, Troiani nominis hostis, Curru iungit Alesus equos etc. Ex qua tamen matre susceptus sit, in dubium vertitur. Nam alii dicunt eum ex Briseida natum, alii ex Cassandra, quod ego non credo; non enim ex Cassandra natus potuisset adversus Eneam favisse Turno, etate non patiente. Hunc Theodontius arbitrari videtur cum Clytemestra sensisse adversus patrem, et ob id et Clytemestre filium et patria pulsum. Qui quacunque ex causa patriam liquerit, in Ytaliam venisse Virgilius asserit, et apud Massicum Campanie montem consedit, ac inde tanquam Troiani nominis hostis venit favitque adversus Eneam partibus Turni. Ovidius vero ubi de Fastis videtur existimare eum Faliscos condidisse, et ob id dicit: Venerat Atride fatis agitatus Alesus, A quo se dictam terra Falisca putat etc. Posteritatis autem eius nulla extat memoria.

CAP. XX.

*De Horestis Agamenonis filio, qui genuit Thysamenem,
Corinthum et Horestem.*

Horestis Agamenonis et Clytemestre fuit filius, ut satis in precedentibus ostensum est. Huic dicit Theodontius Hermiona Menelai et Helene filia parvula adhuc desponsata est, cum et ipse parvulus esset. Hic tandem, occiso ab Egysto Agamenone, studio Eletre sororis sue a Strophylo Phocensi clam Mecenisi subtractus et asportatus atque servatus est, querentibus eum in mortem matre atque Egysto. Qui cum tractu temporis excrevisset, captato commodo, Hermiona sibi iam a Pyrro subtracta, in ultionem paterne cedis surrexit, et Egystum adulterum, cum septem iam regnasset annis, una cum Clytemestra matre occidit. Quo facto aiunt confestim in furiam devenisse, cum sibi videretur imminere occise matris ymaginem, facibus et serpentibus armatam, et ei continuum minitantem exitium, ut dicit Statius: Armatam facibus matrem et serpentibus atris, Cum fugit, ultriceque sedent in limine dire etc. Cui Pylades Strophili filius, qui tempore paterne cedis eum transfugaverat, iunctus, promissa illi salute, cum eo ad aram Dictine Diane in Colcos confugit; et ibi resipivit Horestes, summovitque ab infestatione tali matrem. Et sorore cognita Ephygenia, que ibidem dee sacerdos erat, occiso Thoante rege, et simulacro dee rapto atque in fasce lignorum delato, secundum quosdam in regnum rediit, et fraude Macharei

sacerdotis Pyrrum Achillis filium in templo Apollinis interemit, et sibi Hermionem coniugem reassumpsit. Alii vero volunt eum antequam in regnum redisset in Ytaliam devenisse, et haud longe a Roma apud Ariciam Diane simulacrum collocasse, et impia stauisse sacra. Sed quodocunque hoc factum sit, eum post occisum Egystum regnasse annis XV affirmat Eusebius in libro Temporum, et anno XX^o regni Demophontis regis Athenarum occidisse Pyrrum. Solinus vero, in libro quem De mirabilibus scripsit, dicit eum post occisam matrem profugum Hermionam in omnes casus habuisse sociam. Quo autem diem clauserit, etiam in dubium vertitur. Cum dicat Servius ossa eius iam Roma condita ab Aricia Romam translata et sepulta ante templum Saturni, quod est ante clivum Capitolinum iuxta Concordie templum. Solinus autem ubi supra dicit, quod Olympiade l viii^a, ossa eius a Spartanis oraculo monitis Tegee inventa, et tante magnitudinis fuisse ut implerent longitudinem cubitorum septem.

CAP. XXI.

De Thysamene Horestis filio.

Thysamenis, ut scribit Eusebius, filius fuit Horestis et ei successit in regno.

CAP. XXII.

De Coryntho Horestis filio.

Corinthus filius fuit Horestis, ut dicit Anselmus eo in libro quem scripsit De ymagine mundi. In quo asserit eum Corinthum Achaye civitatem fecisse et de suo nomine nuncupasse. Et hoc idem affirmat Gervasius Thilliberiensis. Qui, esto novi sinti auctores, non tamen parve sunt gravitatis. Preterea et Ysidorus in libro Ethymologiarum dicit, Corynthus in Achaya condidit Corinthus, Horestis filius. Ego autem conditam non credo, sed forte restauratam, cum scribat Eusebius in libro Temporum, eam diu ante a Sysipho conditam et Ephyram appellatam.

CAP. XXIII.

De Horeste Horestis filio.

Horestes, ut Solinus De mirabilibus mundi testatur, filius fuit Horestis ex Hermione, et ab eo affirmat populos, qui Horestides appellantur, denominatos, dicens sic: Micenis profugus matricida cum abscessus longius destinasset, natum sibi in Emathia parvulum de Hermiona, quam in omnes casus sociam adsciverat, hic mandaverat occulendum. Adolevit puer, in spiritum regii sanguinis, nomen patris sui referens, occupatoque quicquid est, quod procedit in Macedonicum sinum, et Adriaticum salum, terram cui imperitaverat Horestiam dixit etc. De hoc ego nil ulterius

legi, in longam tamen posteritatem devenisse suos creditum est, adeo ut affirmet Trogius Pompeius Pausaniam, Phylippi regis Macedonum occisorem, ab Horestes duxisse originem. Sed quibus mediis vetustate agente non reperitur.

CAP. XXIV.

De Dyonisio XXXI^o Iovis filio.

Dyonisius, ut in libro De naturis deorum scribit Cicero, Iovis et Lune fuit filius. Quem ego idem cum Bacco dicerem, si non essent in matre dissimiles, cum ipse idem Tullius ei fieri Orgia arbitretur. Possibile tamen est, ut sic sit, fictione mutata, dummodo utrumque pro vino non pro homine assumamus. Nam Iuppiter, id est calor die, et luna rore et humectatione nocte vites foveat, et ad incrementum atque maturitatem uvas deducunt. Et sic hic erit qui in culmine colitur Nyse, altero ex Parnasi montis verticibus Bacco, eo quod vinetis habundet consecrato, et dicatur Dyonisius quasi Nyse deus, nam dyos Grece, Latine deus sonat.

CAP. XXV.

De Perseo XXXII^o Iovis filio, qui genuit Gorgophonem,

Stelenum et Eritreum et Bachemonem.

Perseus, quem veteres totius nobilitatis Grechie patrem opinati sunt, Iovis et Danis Acrisii fuit filius, unde Ovidius: Non putet esse deum, nec enim Iovis esse putabat Persea, quem Danes pluvio conceperat auro etc. Qualiter autem ex Iove et Dane natus sit, ubi de Dane in precedentibus videri potest. Is autem iam grandis, ut dicit Lactantius, Polydecti regis imperio in Gorgonem expeditionem assumpsit, habuitque Pegasus alatum equum, et Palladis egyptem, et talaria ensemque Mercurii, volatumque cepit ex Aphasanta monte, ut in his versibus a Statio designatur: Mons erat audaci seductus in ethera dorso, Nomine Lernei memorant Aphasanta coloni Gentibus Argolicis olim sacer; inde ferebant Nubila suspensio celerem temerasse volatu Persea, cum raptos pueri perterrita mater Prospexit de rupe gradus ac pene secuta est etc. Quam quidem Gorgonem pretensio egide pallanteo vidit impune atque consideravit, et vicit, eique caput abstulit, et Athlantem regem sibi denegantem hospitium, ostenso Gorgonis capite, mutavit in saxum. Inde remeans in patriam, cum ex excelso vidisset in Syrio litore circa regna Cephei Andromedem virginem alligatam matris crimine et Amonis sententia scopulo, et sic monstro marino expositam flentesque parentes in litore, evolavit illuc, et cognita causa cum parentibus pactus est coniugium virginis, si illam a belua liberaret. Quod factum est. Nam venientem interemit. Inde, celebrante eo nuptias, cum Phineus

Cephei frater, cui ante sententiam puella desponsata fuerat, eam repeteret, et vi conaretur tanquam suam auferre, bellum adversus eum inivit, et cum multos ex hostibus occidisset, reliquos capite Gorgonis ostenso convertit in lapides. Post hec, Pritum avi sui fratrem, qui Acrisium regno pulerat, transformavit in saxum, et regnum avo restituit. In Persas preterea bellum intulisse ferunt, et in eodem Liberum patrem adversum se consistentem in prelio occidisse, subactamque nationem a se denominasse, ibique Persopolim regiam civitatem edificasse, quam postea, ut scribit Quintius Curtius, ubi De gestis Alexandri, Alexander Macedo, vino calens et epulis, demoliri fecit. Attamen Acrisium avum, ut dicit Lactantius, in lapidem commutavit. Et inde dicunt eum una cum Cepheo et Cassyopia atque Andromeda coniuge in celum fuisse assumptum, et inter celi sydera collocatum, ut De ymagine mundi testatur Anselmus, dicens: Huic coniungitur Cepheus rex, et Cassyopia uxor eius, cui associatur Perseus filius Iovis et Danes, habens iuxta se sydus Andromede etc. His apposis ad sensum fictionum veniendum est. Perseum equo Pegaso vectum fame cupidine tractum demonstrat. Alii tamen volunt eum ad transfretandum habuisse navim, cuius insigne vel nomen fuerit Pegasus. Scutum Palladis accipiendum reor pro prudentia, qua et hostium acta consideramus, et nos ipsos ab eorundem insidiis telisque protegimus. Mercurii Talaria velocitatem et vigilantiam in agendis significare reor. Sic et ensis recur-

vus et a parte exteriori acutus ostendit, quoniam bellorum tempore et predas hostium ad nos trahere debere, eosque a nostris amovere cedibus. De Gorgone autem et Athlante satis in precedentibus, ubi de eis dictum est. Liberasse autem Andromedem a bellua hystoriam reor, cum in Cosmographia dicat Pomponius: Est Ioppen ante diluvium, ut ferunt, condita, ubi Cephea regnasse eo signo accole affirmant, quod titulum eius fratrisque Phynei veteres clamare cum religione plurima retinent; quin etiam rei celebrate carminibus ac fabulis servateque a Perseo Andromede clarum vestigium marine belue ossa immania ostentant. Hec ille. Preterea et Ieronimus presbiter in libro, quem De distantis locorum composuit, dicit: Ioppe Oppidum Palestine maritimum in tribu Dan, ubi hodieque saxa monstrantur in litore, in quibus Andromeda religata Persei quondam viri sui fertur liberata fuisse subsidio. Hec Ieronimus. Plinius vero, inter scriptores celeberrimus homo, scribit: Belue, cui dicebatur expositam fuisse Andromedam, ossa Rome apportata ex oppido Iudee Ioppe, ostendit inter reliqua miracula in edilitate M. Scaurus, longitudine pedum quadraginta, altitudine costarum Yndicos elephantos excedente, spine grossitudine sexquipedali etc. Perseum autem hostes et Pritum in saxa vertisse capite Gorgonis ostenso, nil aliud puto, nisi quia victos divitiis Gorgonis tacitos illos reddidit et imbelles. Acrisium autem avum constat per Eusebium in libro Temporum aliter saxeum effecisse; nam ab eo non sponte occisus est, et sic frigiditate perpetua lapidi similis

factus est. Quod in celis a septentrionali plaga stellificatus luceat, sententiam Tullii, ubi De questionibus Tusculanis, sequendam puto, qui de eo et reliquis ait: Nec stellatus Cepheus cum uxore, genero, filia traderetur, nisi celestium divina cognitio nomen eorum ad errorem fabule traduxisset. Hec Tullius. Ceterum de tempore huius ambigitur, cum scribat Eusebius eum occidisse Gorgonem anno mundi III dcccxxviii. Inde hoc eodem anno, secundum alios, dicit eum cum coniuge in celum raptum. Paulo post dicit anno secundo regis Cycropis, qui mundi fuit III dcccclvii, eum Gorgone occiso adversus Persas dimicasse. Nec multo post scribit anno XXXV^o regni Cycropis Acrisium ab eo mortuum, et Argivorum regnum in Micenas translatum; quod ego verum puto, cum magis tempus conveniat rebus gestis.

CAP. XXVI.

De Gorgophone Persei filio, qui genuit Electrionem et Alceum.

Gorgophones, teste Lactantio, filius fuit Persei ex Andromede coniuge, ex quo nil aliud habemus, nisi quia genuit Electrionem et Alceum.

CAP. XXVII.

De Electrione Gorgophonis filio, qui genuit Alcmenam.

Electrion, ut Lactantio placet, Gorgophonis fuit filius, ex quo nisi Alcmenam filiam haberemus, nudum nomen nobis liquisset antiquitas.

CAP. XXVIII.

De Alcmena Electrionis filia, et Amphytrionis coniuge.

Alcmena, ut dicit Lactantius, filia fuit Electrionis. Quod et Plautus in Amphytrione testatur dicens: Qui cum Alcmena est nupta, Electri filia, etc. Hec quidem, ut ibidem dicit Plautus, nupsit Amphytrioni Thebano, et a Iove dilecta est, et in specie Amphytrionis viri sui ab eo oppressa, Herculem peperit, ut in sequentibus, ubi de Hercule dicetur latius.

CAP. XXIX.

De Alceo filio Gorgophonis, qui genuit Amphytrionem.

Alceus, ut ait Paulus, filius fuit Gorgophonis, magis filii fama cognitus apud nos, quam splendore suo; nam, ut aiunt, pater fuit Amphytrionis.

CAP. XXX.

De Amphytrione filio Alcei, qui genuit Yphicleum.

Amphytrion, ut Paulus ait, filius fuit Alcei, homo armorum insignis, ut Plautus in comedia eiusdem Amphytrionis ostendit. Huic coniunx fuit Alcmena, cum qua Thebis morabatur, ubi, dum ipse pro Thebanis adversus Theloboeos bellum gereret, Iuppiter eius in specie Alcmenam oppressit, et ex ea suscepit Herculem. Amphytrion autem eodem partu ex ea suscepit Yphicleum. Placet preterea Plinio, in libro Naturalis hystorie, huius fuisse inventum ostentorum atque somniorum interpretationes.

CAP. XXXI.

De Yphicleo Amphytrionis filio, qui genuit Yolaum.

Yphicleo, ut scribit Plautus in Amphytrione, filius fuit Amphytrionis et Alcmenae, eumque cum Hercule uno partu editum dicit. Verum Yphicleus post nonum conceptionis mensem natus est, Hercules autem una secum natus, septimo non perfecto. Quod Augustinus ubi De civitate dei concedere non videtur, quod mulier possit in diversis temporibus diversos concipere.

CAP. XXXII.

De Yolo Yphiclei filio.

Yolaus, ut Solinus De mirabilibus mundi asserit, filius fuit Yphiclei. Hic, ut idem ait Solinus. Sardiniam ingressus palantes incolarum animos ad concordiam eblanditus, Olbiam atque alia Greca oppida extruxit. Yolenses ab eo dicti, sepulcro eius templum addiderunt, quod imitatus virtutes patris malis plurimis Sardiniam liberasset. Hec ille. Fuere tamen et alii Yphiclei.

CAP. XXXIII.

De Steleno Persei filio, qui genuit Euristeum.

Stelenus, ut placet Omero, Persei fuit filius et Andromede. Nam in Yliade Omerus describit Agamenonem concionantem, et Euristei genealogiam designantem, asserentemque Stelenum fuisse Persei filium et Euristei patrem. Is quidem, ut dicit Eusebius in libro Temporum, translato Argivorum regno a Perseo Micenis, post Perseum regnavit, quando non reperitur. Nam mortuo Acrisio, qui XXXI annis regnavit immediate sequitur initium regni Euristei, quinque tamen interpositis annis, eoque scilicet Euristeo regnante, scriptum comperio Stelenum quadraginta annis Micenis regnasse, ubi hi perditī sint, invenire non possum.

CAP. XXXIV.

De Euristeo Steleni filio.

Euristeus Steleni fuit filius, ut premonstratum est, de nativitate cuius talem refert Omerus fabulam. Cum die quadam Iuppiter apud Superos dixisset die illa nasciturum hominem, qui omnibus circumvicinis dominaretur; Iuno id fecit iuramento firmari, confestim descendit in terras et retinuit Lythiam, quam nos Lucinam dicimus, deam parturientium, apud uxorem Steleni pregnantem iam septem mensium, et ex utero eius eduxit filium VII mensium, qui vocatus est Euristeus. Erat quidem ea die nasciturus Hercules, sed Alcmena ob retentam parturientium deam peperisse non potuit. Et sic factum est, quod de Hercule Iuppiter intelligebat verteretur in Euristeum, qui postmodum aliis et Herculi etiam imperavit, regnavitque Micenis annis xlv, et successorem moriens reliquit Atreum. Fabula autem hec ab eventu sibi locum vindicavit, cum viderent homines Euristeum Herculi fortissimo virorum imperantem.

CAP. XXXV.

De Bachemone Persei filio, qui genuit Achimenidem.

Bachemon, Lactantio teste, Persei fuit filius et Andromede, et ut ipse idem dicit apud quosdam Orientales populos imperavit,

qui ab Achimenide eiusdem Bachemonis filio, ut dicit Theodontius, Achamenides postea nuncupati sunt. Qui Apollini sacrorum ritus invenisse se asserunt. Est enim apud eos Sol in speleo Persico in habitu cum thyra et utrisque manibus comprimens cornua bovis; puto ad immensam eius potentiam demonstrandam.

CAP. XXXVI.

De Achimenide filio Bachemonis, qui genuit Orcamum.

Achimenides, ut dicit Theodontius, filius fuit Bachemonis, esto sint qui velint eum filium fuisse Persei. Hic autem Achimeniis populis imperavit, eosque a suo nomine nuncupavit, et moriens successorem Orcamum filium dereliquit.

CAP. XXXVII.

De Orcamo filio Achimenidis, qui genuit Leucotoem.

Orcamus, ut supra a Theodontio dictum est, filius fuit Achimenidis, cui coniux fuit Eurimone speciosissima mulier, ex qua filiam unicam Leucothoem suscepit, quam quia Soli se diligenti paruerat, vivam infodit.

CAP. XXXVIII.

De Leucothoe Orcami filia.

Leucothoem filiam fuisse Orcami et Eurimonis his carminibus testatur Ovidius: Tempore, Leucothoe multarum oblivia fecit, Gentis odorifere quam formosissima partu Edidit Eurimone, sed postquam filia crevit, Quam mater cunctas, tam matrem filia vicit. Rexit Acamenias urbes pater Orcamus etc. Hanc Leucothoem, ut Ovidius in progressu demonstrat, summe dilexit Phebus, et in formam versus Eurimonis matris eius noctu accessit ad eam, et licentiatis mulieribus suis, tanquam secreta secum locutura, in formam propriam rediit et patientem compressit. Quod cum Clytie, que ante diligebatur a Phebo, ad aures devenisset, zelo percita confestim Orcamo accusavit. Qui iratus atque severus nimium vivam sepeliri iussit. Phebus autem cum illi vitam restituere nequiret, eam in virgam thuream vertit. Huius fictionis ratio talis a quibusdam redditur, puellam ob adulterium cum splendido iuvene perpetratum iure Sabeo vivam defossam, et cum eo in loco forte virga thurea nasceretur, quarum habundantissima regio est, solis virtute e sinu terre in altum deducta locum fabule adinvenit. Ego autem apud Achimenidas locum puto, cui sit nomen vel fuerit Leucothoe, qui, quoniam thure habundet, ab incolis a Sole diligi dicitur, qui, in matris formam transformatus, id est in complexionem ad enutriendas thureas virgas oportunitatem, ibi descendit, et humiditati terre iungitur

adeo, ut qui vivas plantas ibidem apponat, confestim in altum educat.

CAP. XXXIX.

De Eritreo Persei filio.

Eritreus seu Eritra, ut placet Solino De mirabilibus mundi, filius fuit Persei et Andromede, et in confinio Rubri maris regnum habuit, esto sint qui dicant eum Egypti fuisse regem. De quo idem Solinus scribit sic: Ultra Pelusiacum enim hostium Arabia est ad Rubrum pertinens mare, quod Eritreum ab Eritra rege, Persei et Andromede filio, non solum a colore appellatum Varo dicit. Hec ille. Hic Eritreus apud Arabes maxime fuit auctoritatis, adeo ut morienti in quadam Rubri maris insula ceteris famosiore insigne plurimum sepulcrum construerent, eumque loco dei colerent, et ab eo Rubrum mare denominarent Eritreum, quo nomine adhuc Greci vocant, scilicet Eritratalasson; nam talasson, Latine sonat mare. De posteritate eius nil habemus.

CAP. XL.

De Perse Persei filio.

Persen filium fuisse Persei in libro Naturalis hystorie testatur Plinius, de quo nil aliud comperi, preter quod idem Plinius asserit, eum scilicet primum sagittarum repertorem fuisse, quod forsan apud suos verum est, cum apud alias nationes illas longe antiquiores legerimus.

CAP. XLI.

De Aone Iovis XXXIII^o filio, qui genuit Dimanten.

Aon, ut Paulus ait, Iovis fuit filius ex nynpha Mnosyde, a quo dicit Boetiam Aoniam nuncupatam, quia ibi regnasset. Nos autem supra, Lactantii auctoritatem secuti, Neptuni filium scripsimus. Quem Theodontius factione suorum ex Apulia pulsum, et Onchesti fuisse filium, et in Boetiam venisse dicebat, et ibidem Neptunum in patrem quesisse, et provinciam de suo nomine nuncupasse, nullum tamen illi filium designabant, ubi Paulus filium suum fuisse Dymantem asserit.

CAP. XLII.

De Dymante Aonis filio, qui genuit Asyum et Alyxiroem.

Dymas, ut dicit Paulus, filius fuit Aonis, et Asyi atque Alyxiroeo pater, nec aliud de eo legi.

CAP. XLIII.

De Asyo Dimantis filio.

Asyus filius fuit Dymantis, ut in Yliade scribit Omerus, dicens: Ἀσιω, ὃς μητρως ἦν Ἑκτορος ἱπποδαμοιο, Αυτοκασίγνητος Ἑκάβης, υἱος δὲ Δυμάντος etc. [Que latine sonant]: Asio qui avunculus erat Hectoris bellicosi frater Hecube, filius Dymantis. Hunc quantumcunque Omerus dicat fratrem fuisse Hecube et avunculum Hectoris, dicebat Leontius ex parte matris fuisse, quia ex eadem matre Asyus et Hecuba nati fuerunt, sed ex diversis patribus. Hic autem adversus Grecos Priamo favit.

CAP. XLIV.

De Alixiroeo Dymantis filia et matre Exaci.

Alixiroeo filia fuit Dymantis, ut testari videtur Ovidius, dum dicit: Quamvis est illum proles enixa Dimantis Exacon umbrosa

furtim peperisse sub Yda Fertur Alixiroe etc. Hec igitur ex Priamo peperit Exacum, qui postea in mergum versus est.

CAP. XLV.

De Eaco XXXIIII^o Iovis filio, qui genuit Phocum, Thelamonem et Peleum.

Eacus Iovis filius fuit et EGINE, ut in Yliade dicit Omerus:

Πηλεύς Αἰκιδης ὃδ' ἄρ' Αἴκος ἐκ Διός ἦεν etc. [Que latine sonant]: Peleus Eacides, illi autem Eacus erat a Iove pater. Qualiter autem Iuppiter Eginam oppresserit, supra dictum est ubi de Egina. Hunc insuper dicit Ovidius regnasse apud Enopiam, quam ipse ex nomine matris vocavit Eginam. In qua cum peste defecissent homines, et ipse in somnis vidisset quercum plena formicis, nunc sursum, nunc deorsum deambulantibus, sibi dormienti visum est orasse Iovem, ut omnes formice, quas videbat, homines efficerentur, quod et factum est, et sic eius est restaurata civitas, et cives Myrmidones appellati; nam myrmex Grece, Latine formica est. Hunc preterea dixere veteres apud Inferos cum Mynoe et Radamanto culpas hominum excutere et pro meritis penas inferre. Sub his autem figmentis latet hoc. Primo civitas eius evacuata civibus peste, ex agricultoribus restaurata est,

qui more formicarum estate messes ex agris et alia oportuna colligunt, ut hyeme fame non pereant. Hos autem ipse legibus instruxit, et vivere coegit, et hinc Iovis dictus est filius, et apud Inferos iudex. Nam per respectum ad supercelestia corpora mortales inferi sunt.

CAP. XLVI.

De Phoco Eaci filio.

Phocus Eaci filius fuit, ut per Ovidium scribitur, dum legitur: Expetit, occurrunt illi Thelamonque minorque Quam Thelamon Peleus et proles tertia Phocus etc. Hic a Peleo occisus est.

CAP. XLVII.

De Thelamone Eaci filio, qui genuit Ayacem et Teucrum.

Thelamon Eaci fuit filius, fratrum maior natu. Quem Servius ex Argonautis fuisse dicit et Herculis socium; et cum a Colco reverteretur, querereturque Hercules Ylam puerum perditum apud Mysios, et ad Troianum devenisset litus, prohibitus a Laumedonte, indicto illi bello, cum congregatis viribus adversus eum rediret, tanquam susceptae iniuriae particeps Thelamon una secum venit, et Ylione expugnato atque Laumedonte occiso, eo quod primus civitatis muros ascendisset, illi ex preda capta Hysiona

Laumedontis filia data est, ex qua cum iam ex alia suscepisset Aiacem, Theucrum suscepit. Hic enim seu pulsus, seu non susceptus in patria, in Cyprum abiit, et Salaminam ibi condidit civitatem.

CAP. XLVIII.

De Ayace Thelamonis filio.

Aiax, bellicosissimus homo, Thelamonis fuit filius. Hic cum aliis Grecis ad delendam Troiam arma sumpsit, et ut reliqua, que in certaminibus miranda fecit, omittam, singulare certamen adversus Hectorem arripere ausus est, et si Omero fides ulla prestanda est, ni illud nimis festina nox diremisset, victor Aiax, rediisset ad suos. Ea tamen superveniente cum illi vetusto more Hector donasset gladium, et ab eo baltheum suscepisset, recens Aiax et animosus discedens fessum Hectorem Troiam ire permisit. Hec dona secundum Servium nephasta fuere, cum eo se gladio postea interemit Aiax, et cum baltheo ab Achille occisus sit Hector. Aiax autem, Ylione capto atque diruto, de armis Achillis premortui adversus Ulixem ingens litigium habuit; tandem cum cerneret virtutem bellicam eloquentie cedere, in furorem versus, eo se, quem ab Hectore susceperat, gladio interemit, et, ut ait Ovidius, in florem sui nominis versus est. In quo nos docet antiquitas nostras vires caduci floris more in nichilum facile solvi.

CAP. XLIX.

De Theucro Thelamonis filio.

Theucer filius fuit Thelamonis ex Hesiona Laumedontis filia. Que non videtur Thelamonis fuisse coniunx, cum Omerus aliquando in Yliade dicat Theucrum fuisse Nothum. Hic tamen insignis homo fuit, et armorum valens, et una cum fratre Aiace ivit in Troianum bellum. Eo tandem peracto cum absque fratre redisset in patriam non susceptus, secessit in Cyprum, et ibidem Salaminam civitatem construxit, et vite residuum habitavit. Quod ego verius puto quam quod de Thelamone supra dictum est.

CAP. L.

De Peleo filio Eaci, qui genuit Polydorim et Achillem.

Peleus Eaci fuit filius, et magnis vivens interfuit rebus; nam cum Meleagro in venationem apri Calidonii accessit. Sic et cum Perithoo adversus Centauros pugnavit. Huic, ut refert Ovidius, coniunx fuit Thetis aquarum dea, quam Iuppiter amavit, sed ideo concubitum eius neglexit, quia oraculo noverat ex ea filium nasciturum, qui maior esset patre. Ad hanc tamen obtinendam audacia viresque fuere oportune. Nam cum Peleus consilio Prothei senis eam die quadam cepisset, ipsa in varias mutata formas adeo

eum exterruit, ut dimitteretur ab eo. Qui ad Protheum rediens, ab eodem sibi suasum est, ne mutationes illas timeret, quin imo in tenendo eam perseveraret, quia si fecisset, ipsa desiderio suo cederet. Peleus die sequenti cum dormientem eam in antro comperisset, cepit illam. Ipsa vero more suo in varias versa formas, cum eum tenentem sentiret, in propriam rediens, in coniugium eius consensit. Porro Iuppiter ad eorum nuptias omnes convocavit deos preter Discordiam. Que indignans, cum cerneret Iunonem, Palladem et Venerem invicem ex parte una sedentes, sumpto aureo malo, illud inter eas proiecit; dixitque digniori datur. Ex quo confestim inter eas seditio orta est, cum unaqueque se digniorem diceret. Et cum de hoc Iuppiter inter eas nollet ferre sententiam, ad Paridem, qui in silva Yda morabatur, misit eas. Is vero ob promissam sibi a Venere speciosissimam mulierem, spretis aliarum oblationibus, Veneri tanquam digniori tradidit. Que illi raptum Helene concessit, ex quo subsecutum est Troianum bellum, et occisus Achilles, qui ex nuptiis illis, ad quas vocata non fuerat Discordia, natus est; et sic expiata iniuria. Peleus igitur ex Thetide suscepit Achillem et Polydorum puellam. Demum cum Phocum fratrem occidisset, in exilium abiit, severa patris iubente iustitia. Et primo ad Ceym regem Trachinne aufugit, a quo amicabiliter susceptus est. Inde postea discedens, ad Magnetam abiit, ubi ab Acasto fraterna cede purgatus est. Quid inde subsecutum sit, nescio. Nunc quid sentiendum sit ex fictio-

nibus, advertendum est. Thetis nobilis fuit mulier, cuius in natiuitate visum est ex ea nasciturum hominem, qui patrem virtute superaret, et ob id Chyron pater eius varia secum et plurima voluit consilia, cui nam illam concederet, et his agentibus, petens eam Peleus, primo repulsus est, et sic consiliorum variationes mutationes formarum Thetidis fuere. Tandem cum iterum Peleus peteret, post multa patris consilia, illi concessa est. Eius in nuptiis, id est in procreatione Achillis, omnes convocantur dii, id est omnia supercelestia corpora, ad que spectat secundum diversas potentias suas in corpus iam creatum diversos effectus infundere, ut perfectum sit; Discordia autem non vocatur, ne disgreget ceptum opus et pereat. Ipsa autem postea sese miscet, dum homo incipit cogitare, que trium sit splendidior vita, aut contemplativa, que per Palladem designatur, aut activa, que per Iunonem intelligitur, aut voluptuosa, que per Venerem demonstratur, ex quibus noluit Iuppiter, id est deus, dare iudicium, ne viderentur relique sua <damnate> sententia, et homini iniecta necessitas. De his tamen tribus supra latius ubi de Paride.

CAP. LI.

De Polydori filia Pelei et coniuge Borionis.

Polydoris, ut in Yliade dicit Omerus, filia fuit Pelei et a Sperchio flumine dilecta atque oppressa, et sic Mnesteum peperit, qui

Achillem in Troianum bellum secutus est. Hec autem cuidam Borioni Periierei nupsit.

CAP. LII.

De Achille filio Pelei, qui genuit Pyrrum.

Achilles Grecorum fortissimus, ut premonstratum est, Pelei et Thetidis fuit filius. Quem cum peperisset mater, continuo ad Inferos detulit, et, ut laborum patienter redderet, totum Stigiis undis immersit, excepto calcaneo, quo illum tenebat; demum Chyroni Centauro alendum tradidit. Qui illum educavit non eo ritu quo ceteri educantur, sed ex medullis tantum bestiarum ab eo captarum cibum confici faciebat, et hoc ut assiduo duraretur exercitio. Et hinc dicit Leontius eum Achillem nuncupatum, ab a, quod est sine, et chilos cibus, quasi sine cibo nutritus. Hunc Chyron astrologiam docuit et medicinam, ac etiam lyram tangere. Tandem cum Thetis, rapta a Paride Helena, presagio cerneret bellum futurum, et in eo Achillem filium periturum, ad eius si posset evitandam mortem consilio, clam illum adhuc impubem ex antro Chyronis dormientem rapuit, et in Schyron insulam in domum Lycomedis regis detulit, et vestimentis puellariibus tectum atque predoctum, ne se masculum cuiuspiam demonstraret, quasi virginem inter filias servandum tradidit Lycomedi. Verum Deydamie virgini, Lycomedis filie, diu eum masculum

fore, occultum esse non potuit, cum qua, tempore captato, concubuit, et propter amoris commodum ipsa etiam iuvenis sexum occultuit; ex eo tamen concepit et peperit filium, quem Pyrrum postea vocavere. Ceterum cum coniurassent in Troianos Greci, et responso acceperant absque Achille capi Troiam non posse, ad eum exquirendum Ulixes missus est. Quem cum audisset in muliebri habitu apud filias Lycomedis clam teneri, ne loco iuvenis virginem auferret, novam commentus est fraudem, dumque se mercatorem finxisset, et iocalia, quibus delectari se virgines consuevere, filiabus Lycomedis apposuisset, inter ea arcum posuit et pharetram, arbitratus Achillem, si illis immixtus esset, arcum sumpturum. Nec defuit cogitationi successus. Quem postquam arcum trahentem cognovit, facile suasionibus induxit, ut se sequeretur in bellum. In quod dum iret, habitu femineo posito, plures civitates hostium cepit, egitque predam ingentem, et inter alia virginem, sacerdotis Apollinis filiam, quam Agamemnoni concessit, et Briseidam, quam eque ceperat, sibi reservavit. Sane cum iussu deorum oportuisset Agamenonem sacerdoti natam restituere, Briseidam illi surripuit. Quam ob rem indignatus Achilles diu stetit, nec arma adversus Troianos capere voluit ullius suasionem vel precibus. Tandem cum die una acriter a Troianis urgerentur Greci, a Nestore Patroclus deductus ad eum est, ut oraret, si nollet arma summere, saltem permetteret, ut ipse loco sui sua indueret, et currum suum ascenderet, et Myrmidones ociosos in pugnam deduceret. Quod etsi egre pateretur Achilles,

Patroclo tamen nil negaturus concessit. Qui cum processisset in prelium, Achilles ab omnibus creditus, multa mala Troianis intulit. Postremo Hector, qui pugnam adversus Achillem diu optaverat, eum putans advenit, et Patroclum labore modico superavit, armisque superatum nudavit, et quasi Achillem superasset, armis eius indutus, ingenti cum pompa patriam reintravit. Hoc casu summe turbatus Achilles amicum aliquamdiu flevit, eique officium funebre magnis sumptibus et mirabili honorificentia peregit. Inde a Thetide matre, que ad eius leniendas lacrimas venerat, novis reassumptis armis, que ipsa a Vulcano susceperat, armatus in ultionem amici perempti processit in bellum, et cum multos ex Troianis occidisset, Hectorem etiam interemit. Nec ad satiandas iras eum occidisse satis visum est, quin imo cum eius corpus curru alligasset suo, dedecorose Ylionem circumvixit, Priamo etiam prospectante, ac inde apud tumultum Patrocli duodecim diebus nudum tenuit cadaver. Illudque tandem Priamo seni, ad eum venienti nocte orantique et maxima munera exhibenti, concessit. Post hec alia in pugna Troilum interfecit. Quo dolore commota Hecuba, superstitionibus timens et patrie, si longum vivat Achilles, astu femineo insidias in vitam eius tetendit. Noverat autem eum Polysenam diligere, eo quod illi induciarum tempore visa placuisset, et id circo per intermedium spondit illi nuptias suas, si a prelio abstineret. Cui cum assensisset Achilles, in talem compositionem itum est, ut clam solus nocte veniret in templum Tymbrei Apollinis, quod fere secus muros Ylionis erat, et ibidem

eam cum filia inveniret, eamque desponsaret. Quod amans et cupiens Achilles, credens iuxta compositum inermis et solus nocte templum intravit. In quem evestigio Paris ex insidiis pro-siliens, cum esset arcu doctissimus, sagitta eius calcaneum petiit atque vulneravit, eumque frustra gladio in hostes discursantem interemit, et tandem in Sygeo Troiano promontorio a suis sepultus est. In tam longa hystoria, paucis tamen recitata verbis, nil fictum est, preter Achillem Stigiis mersum undis excepto calcaneo, et quod eo vulnerato mortuus sit. Circa quod placet Fulgentio, hominem Stigiis undis immisum esse unumquenque laboribus duratum, cum Styges interpretetur tristitia, ut intelligatur neminem in letis durari sed laxari potius, si alias duratus esset. Quod autem talus immersus non sit, physicum tegit misterium; volunt enim physici quod vene, que in talo sunt, ad renum et femorum atque virilium rationem pertineant, et ideo per talum non mersum in Stigem, invictam in Achillem libidinem voluerunt, que per durationes alias sublata non est, ut satis apparet, cum libidine in manus iverit hostium, et ab eis occisus est.

CAP. LIII.

De Pyrrho Achillis filio, qui genuit Peripeleum et

Molossus.

Pyrrus, ut premonstratum est, Achillis et Deydamie fuit filius, sic vocatus, ut dicit Servius, a capillorum qualitate, cum Neoptholemus alio nomine vocaretur. Hic, Achille mortuo, vix pubes in Troianum bellum deductus est, animosus ad instar patris et acris ingenii iuvenis. Qui, et si circa finem belli venisset, non tamen ociosus fuit. Inter alios quidem iuvenes strenuos et audaces equum ligneum, quem Greci dolose construi fecerant, intravit, et in Ylionem tractus, dum nocte exisset, aliis venientibus a Tenedo stragem maximam Troianorum peregit, et usque in abditissimum penetral regie domus, Polytem filium Priami secutus, intravit, eumque patris in gremio interemit; et inde Priamum obiurgantem et in sevitiam eius obloquentem, ut sanguine suo fedaret, quas ipse sacraverat, aras irruit. Inde, Ylione deleto, Polylenam eximie formositatis virginem ad Manes placandos patrios apud Achillis sepulcrum occidit. Et cum ex Troiana preda illi Andromaca, olim coniunx Hectoris, contigisset, eam sibi iunxit uxorem. Que illi secundum quosdam duos peperit filios, Peripeleum, et Molossus. Inde captus pulchritudine Hermionis filie Menelai, tradita Andromaca Heleno filio Priami cum parte regni, eo quod vates illum premonuisset, ne intraret mare sicut ceteri fecerant, Hermionam Horesti rapuit, et sibi coniugem fecit. Deinde seu paupertate coactus, seu ad predam, animi fervore

impulsus, ut nonnullis placet, mare navibus infestavit. Que quidem navigatio infesta aliis ab eo pyrratica denominata est, et exercentes pyrrate, eo quod ipse primus exercuerit, ut dicit Paulus. Postremo cum Horestes ex Taurica regione, posita furia, rediisset in regnum, corrupto Macareo sacerdote templi Apollinis Delphyci, Pyrrum trucidavit in templo. Et hic finis fuit illius.

CAP. LIV.

De Peripeleo Pyrri filio.

Peripeleus, ut dicit Paulus, filius fuit Pyrri ex Andromaca. Theodontius autem dicit ex Hermiona, nec ex eo aliud ad nos usque devenit.

CAP. LV.

De Molosso Pyrri filio, qui genuit Polidettam.

Molossus filius fuit Pyrri et Andromace. Hic, patri mortuo succedens, partem Epyri tenuit, populosque ex suo nomine nuncupavit Molossos. Verum donec ad puberem deveniret etatem, apud matrem et vitricum fuit, et moriens Polidettam filium reliquit.

CAP. LVI.

De Polydetta filio Molossi.

Polydetta seu masculus fuerit seu femina, non satis michi notum est, eum tamen filium vel filiam fuisse Molossi Paulus affirmat. Post quem successive ex Eacidibus neminem, nisi post plura secula, comperio, cum apud Grecos diu nulla sit habita progenies Eacidarum nobilior. Ex Eacidibus fuit Pyrrus rex Epyrotarum, qui adversus Romanos bellum gessit Tarentinorum opere. Sic et Alexander Epyrota a Lucano satellite occisus, et Olympias clarissima Macedonum regina et Magni Alexandri mater, et alii plures virtutibus et titulis insignes.

CAP. LVII.

De Pylumno Iovis XXXV^o filio, qui genuit Daunum.

Pylumnus, ut dicit Paulus, filius fuit Iovis. Cui Servius fratrem fuisse Pytumnum dicit, et eos ambos fuisse deos. Horumque Pytumnum dicit usum stercorandorum agrorum invenisse, et inde Sterculinium dictum, esto Macrobius in libro Saturnaliorum Saturnum fuisse dicat; Pylumnum vero pinsendi frumenti, et ob id a pistoribus coli, et pilum ab eo denominatum. Ad hunc Theodotius dicit Danem, Acrisii filiam, patris iram fugientem delatam a pastore una cum parvulo Perseo, quam ipse genere cognito

sumpsit uxorem, et unam cum ea, Apulia, in qua grandis erat, derelicta, eo quod opposita videretur Acrisio, ad Rutulos venit et ibidem cum Dane construxit Ardeam, ac ex ea suscepit Daunum.

CAP. LVIII.

De Dauno Pylumni filio et proavo Turni.

Daunus filius fuit Pylumni, et ut Theodontius asserit, ex Dane Acrisii filia susceptus. Huic regnum in Apulia fuit, et ab eo Daunum nuncupata. Et hunc dicit idem Theodontius avum fuisse patris Turni, qui et Daunus dictus est. De filio huius et patre secundi Dauni nil me legisse memini.

CAP. LIX.

De Dauno primi Dauni nepote, qui genuit Turnum et Iuturnam.

Daunus precedentis Dauni, secundum Theodontium, ex filio nepos fuit. Huius coniunx fuit Venilia, soror Amate coniugis Latini regis, ex qua constat plures suscepisse filios, inter quos ea fuit, quam Dyomedi profugo ferunt iunxisse coniugio. Paulus tamen dicebat, Daunum patrem Turni, filium fuisse Pylumni, eo quod dicat Virgilius: Cui Pylumnus avus, cui diva Venilia mater

etc., de Turno loquens. Verum ego magis credo Theodontio, cum dicat idem Virgilius alibi in persona Iunonis: Ille tamen nostra deducit origine nomen, Pylumnusque illi quartus pater etc. Quod esse non posset secundum Paulum, ubi secundum Theodontium eque respondet numero.

CAP. LX.

De Turno Dauni filio.

Turnus rex Rutulorum filius fuit Dauni ex Venilia coniuge, et cum armorum disciplina insignis fuerit evo suo iuvenis, tante fuit corporee fortitudinis, ut nulla in hoc fides antiquis prestanda videretur, ni recentiori testimonio firmaretur. Et inter alia eius roboris stantia argumenta de eo adversus Eneam in singulari certamine pugnante sic scribit Virgilius: Saxum circumspicit ingens, Saxum antiquum ingens, campo quod forte iacebat Limes agro positus, litem ut discerneret arvis. Vix illud lecti bis sex cervice subirent. Qualia nunc hominum producit corpora tellus. Ille manu raptum trepida torquebat in hostem etc. Quod Augustinus in libro Civitatis eterne XV ratum habere videtur. Preterea et Pallantes seu Pallas, Evandri filius, ab eo in pugna occisus multum fidei affert. Legimus enim, Henrico Cesare tercio imperante, eius corpus haud longe Romam a fodiente villico compertum integrum uti nuper sepultum, eductumque sepulcro altitudine

seu proceritate Romana menia superasse, et in eo adhuc impressi vulneris a lancea Turni apparere hyatum, longitudinem quattuor pedum excedentem. Ex quibus quantus debuerit esse Turnus, quam fortis qui iuvenem tam grandem superaverit, qui telum pugnans tam pregrande tulerit, quod adeo grande vulnus impresserit, satis arbitrari possumus. Huic, carmine celebri ostendit in Eneida Virgilius, bellum ingens fuisse adversus Eneam, eo quod Latinus Laviniam filiam suam, quam Turno promiserat, Enee dedisset in coniugem. Et, ut idem ostendit Virgilius, post multa, cum hic Pallantem Evandri filium occidisset, nudassetque baltheo, illudque ob insignem gloriam superati iuvenis ipse gestaret, cum ea die, que illi ultima fuit in terris, adversus Eneam ex composito singulari certamine pugnaret, et ab Enea superatus vitam oraret, impetratus erat, ni visus balteus Eneam in pietatem revocasset amici, et sic ab eo occisus est. Hoc secundum Virgilium in laudes Enee totis tendentem viribus dictum est, secundum autem alios aliter. Dicunt quidam non parve autoritatis homines Eneam a Turno superatum, et penes Numicum fluvium fugientem occisum, nec ulterius etiam corpus eius visum; et Turnum post hec ab Ascanio interemtum. De quibus latius supra ubi de Enea scriptum est.

CAP. LXI.

De Iuturna Dauni filia.

Iuturna Dauni fuit filia. Cui, ut dicit Virgilius, Iuppiter virginitatem abstulit, et in munus ablatis decoris illi immortalitatem exhibuit; et Numici fluminis nympha facta est. Hec multa in subsidium fratris egit, que et si fictionibus varientur, in hoc unum egisse arbitror, ut interpositione Numici fluminis actum sit, ut ab hostibus Turni in agros Ardee et ipsum Turnum libere et expedite iri non potuerit. Verum dum Turnum deficere vidisset, mesta sese condidit undis. Sunt qui dicant hanc clam cum Latino rege amicitiam habuisse; quod cum palam fieret, erubescens in Numicum se sponte sua necavit, et sic a Iove, id est a rege oppressa, et nympha facta Numici.

CAP. LXII.

De Mercurio XXXVI^o Iovis filio, qui genuit Eudorum, Mirtilum, Lares, Evandrum et Pana.

Mercurius Iovis fuit filius et Maie Athlantis filie, ut satis vulgatum est. Fuere enim, ut in precedentibus patet, Mercurii plures, et esto fere omnes ab antiquis eisdem ornamentis insigniti sint, non tamen omnibus eadem est deitas attributa. Nam alius medicine deus, alius mercatorum, alius vero furum, et eloquentie

alius, quem Theodontius hunc Maie filium esse voluit; quid tamen illum moveat non describit, nec ego, postquam compertum non habeo, intendo investigare subtilius. Credo tantum quicumque Mercurium eloquentie deum veteres voluisse, eo quod ad Mercurium planetam mathematici asserant spectare omne sonans organum, seu fistulam in corporibus nostris disponere, et hinc credant nonnulli eum deorum dictum nuntium et interpretem, quia per organa ab eo disposita cordis nostris pandantur intrinseca, que deorum secreta dici possunt, in quantum nisi exprimantur nutu vel verbis, nemo preter deum cognoscit, et in hoc interpretes secretorum talium est, quia verba, que organizata sunt per organa, ab eodem disposita interpretantur et aperiunt, que ex nutu solo satis percipi non poterant. Deorum ergo nuntius et interpretes est, et hinc eloquentie deus. Quod clarius et per officia attributa et per insignia illi apposita demonstratur. Galerio quippe tegitur Mercurius, ut ostendatur quod adversus invidie fulmina eloquentia valido tegumento servetur; quod nil aliud est quam gratia, quam eloquens a benivolis meretur auditoribus. Hoc in longum scripta veterum servat adversus mordaces et invidios, quod previdisse sibi videtur Ovidius, dum dicit: Iamque opus exegi, quod nec Iovis ira Nec ignis nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas etc. Alata autem fert Mercurius talaria, ut sermonis describatur velocitas, qui eodem in momento ex ore loquentis egreditur et in aures suscipitur audientis. Designant preterea oportunam nuntiis persepe velocitatem. Virgam defert,

ut nuntiis officium denotet. Consuevere quidem nuntii quasi insigne quodam virgas ferre. Qua virga dicunt Mercurium animas ab Orco evocare, et non nullas in illum dimittere; et sic per illam eloquentis vires intelligere possumus, quibus iam plurimi e mortis faucibus subtracti sunt, et non nulli in easdem impulsī. Quis autem Orco Milonem surripuit? Quis Popilium Lenatem, ut de reliquis taceam, nisi eloquentia Ciceronis? Quis in illum impegit Lentulum, Cethegum, Statilium aliosque eiusdem factionis homines, nisi Catonis eloquii vis acerrima? Hac preterea virga dicunt Mercurium incitare ventos, ut advertamus eloquentem posse furores immittere, ut in Cesarem apud Ariminum Curionis oratio. Sic et tranare nubila, id est turbationes auferre, ut pro Deyotaro Tullius, dum Iulii Cesaris in eum turgidum pectus placida oratione sedavit. Quod autem somnos hec eadem virga adimat et immittat, satis clarum est, eloquentia inertes sopitosque ad exercitium excitari, et in suum decus animosos nimium retrahere, componere et sopire. Serpente autem virga cingitur, ut a serpentis prudentia assumatur oportere eloquentem esse discretum circa electiones dicendorum, temporum, locorum, ac etiam personarum, ut eo quo cupit, auditores deducat orator.

CAP. LXIII.

De Eudoro Mercurii filio.

Eudorus, ut ait Homerus in Yliade, filius fuit Mercurii et Polymile filie Phylantis, de quo sic: Τῆς δ' ἑτέρης Εὐδωρος ἀρῆϊος ἡγεμόνευε Παρθένιος, τὸν ἐτικτε χορῶ καλῇ Πολῦμήλῃ, Φύλαντος θυγάτηρ δε κρατὺς ἀργειφοτῆς etc. [Que latine sonant]: Atque secunde Eudorus martialis principabatur Parthenius, quem genuit in corea bona Polymili Phylantis filia, hanc fortis Argifontis, id est Mercurius etc. Huius Homerus prosequitur prolixiolem fabulam, dicens quod Mercurius videns Polymilem eleganter in chorea saltantem cum cantantibus in choro Diane, dilexit eam, et clam eius ascendens palatium cum ea concubuit, et genuit Eudorum velocissimum hominem atque bellicosum, qui cum Achille in Troianam expeditionem accessit.

CAP. LXIV.

De Myrtilo Mercurii filio.

Myrtilus, ut ait Lactantius, filius fuit Mercurii et auriga Enomai regis, cuius filiam Yppodamiam cum postularet Pelops in coniugem, dispositus cursus subire certamen, corruptit sponcione primi coitus Myrtilum, qui facto currui cereo axe, eoque in medio cursus fracto, optinuit Pelops victoriam et virginem; Myrtilum autem promissa poscentem deiecit in mare, in quo necatus

mari nomen dedit, ut ab eo Myrtilum vocaretur. Huius autem Myrtili fraude, qui prepositus erat armorum Enomai, superatus bello Enomaus est, ut supra latius ubi de Pelope scribitur.

CAP. LXV.

De Laribus Mercurii filiis.

Lares fuere duo, Mercurii et Laris nynphe filii, ut dicit Ovidius. Lactantius autem in libro Divinarum institutionum eam dicit vocari Larundam, seu Laram. De origine tamen horum talem recitat Ovidius fabulam. Quod cum Iuppiter diligeret Iuturnam Tyberinam nynpham, et Turni regis sororem, reliquis loci Nynphis imposuit, ut eam fugientem retardarent, ne eo sequente ipsa mergeretur in undas. Lara vero filia Almonis, ut dicit Paulus, una Nayadum iussa Iovis Iuturne retulit et Iunoni. Quam ob rem Iuppiter indignatus Laram lingua privavit, iussitque Mercurio ut illam ad Inferos traheret, et ibi esset Stygia nynpha. Qui cum illam ducens aspiceret, in eius concupiscentiam incidit et in itinere oppressit. Que cum concepisset, peperit illi geminos, quos ipse de nomine matris Lares appellavit. Huius fabule fictio satis absconditum tenet sensum; Iuppiter enim calor est, Iuturnam nynpham, id est humiditatem in quam agat, appetens. Verum Lara, que hic mulieris nimius est calor, opus agentis ignis disgregat, sed Mercurius, id est frigiditas nature opere excitata, superfluo

calore muliebri exinanito semen cogit in unum, et sic Lara lingua privata est, id est nocendi potentia. De hac tantum calcata caliditate, Mercurius, id est nature moderata prudentia secundum gentiles, elicit Lares, non quidem recte ex ea, sed ea amata fit ut, secundum opinionem quorundam, Lares cum creato fetu nascantur, seu creantur, qui ea stante creati non poterant. De quibus Laribus non omnes eque sensere veteres. Extimavere autem antiqui, cum anima rationalis a Mercurio in corpus novum deducta esset, ut alias dixi, ideo a Mercurio deduci opinari, quia in sexto mense, qui Mercurio attribuitur, fetus animam credatur suscipere, deum seu deos nove anime venire custodes, quos aliqui Genium vel Genios vocavere, nonnulli dixerunt Lares, ut paulo ante dictum est. Et, ut Censorinus asserit in libro De natali die, ubi vult eum dici Genium, seu quia ut gignamur curat, seu quia una nobiscum gignatur, seu quia genitos semper tueatur, et eundem esse Genium et Larem dicit a multis veteribus affirmatum, et potissime a Gaio Flacco eo in libro, quem Cesari De indigamentis scriptum reliquit. Et esto quod unum tantum dicat Genium seu Larem in subsequentibus adicit, opinione Euclidis Socratici, duplicem omnibus appositum genium, et sic duo sunt unicuique Lares opinione veterum. Quod satis firmare videtur autoritate Annei Flori scribentis in quarto Epythomatis sui sic: Ipsique Bruto per noctem, cum illato lumine ex more aliquo secum agigaret, atra quedam ymago se optulit, et que esset interro-

gata, tuus, inquit, malus Genius. Hoc et sub oculis mirantis evanuit etc. Qui quidem non adiecisset malus, nisi et bonus alter esset; et sic duo. Cristiana veritas Angelos vocat, non cum nascente genitos, sed nato sociatos, quorum alter bonus in bonum semper urget quem servat, alter autem malus in contrarium nititur, et quasi bonorum malorumque nostrorum observatores et testes in mortem usque assistunt continui. Hos preterea Lares etiam privatorum domibus inesse credidere, ut in principio Aulularie ostendit Plautus; eosque familiares seu domesticos vocare deos, et uti custodie corporis apposito diximus, sic et hos custodie domus, eisque in domibus locum communem domesticis omnibus, ubi scilicet ignis area quam in medio aule veteres faciebant dedere. Ibique eos venerabantur sacris, ritu veteri. Quod quidem nondum apud nos abolitum est. Nam etsi error ille insipidus abierit, stant adhuc nomina, et quedam veterum sacrorum vestigium sapientia. Habemus autem Florentini et sic forsitan nonnullae aliae nationes, ut plurimum, in aulis domesticis, ubi fit communis ignis totae familiae domus, ferrea quedam instrumenta ad lignorum igni appositorum sustentationem apposita, quae Lares vocamus, et in sero precedente Kalendarum Ianuariarum die a patre familias omnis convocatur familia, et repleto lignis igne stipes magnus apponitur, cuius caput unum igne crematur, in reliquo insidet ipse pater familias ceteris circumstantibus, et vino sumpto bibit ipse pater primo, et inde capiti stipitis incensi superinfundit, quod vini superfuerat in calice, et deinde

cum in circumitu potaverint ceteri, quasi perfecta solennitate ad officia consurgunt sua. Hec sepe puer in domo patria celebrari vidi a patre meo catholico profecto homine. Nec dubitem, quin adhuc celebrentur a multis, ratione potius consuetudinis a maioribus sumpte, quam aliqua ydolatria superstitione deceptis.

CAP. LXVI.

De Evandro Mercurii filio, qui genuit Pallantem et Pallantiam.

Evandar Arcadum rex, ut ait Paulus, filius fuit Mercurii ex Nicostrata. Homo fortitudine et ingenio insignis. Dicit enim Servius eum Ycerillum quendam immane hominem occidisse, uti Hercules Gerionem, eumque, ob eius singularem probitatem, unum inter multos Hercules numeratum. Et idem Servius dicit hunc Pallantis regis Arcadie fuisse nepotem, et cum patrem suum occidisset virum scilicet Nicostrate, suadente ipsa Nicostrata, que vates erat, dimissa Arcadia in Ytaliam venit, et pulsus Aboriginibus tenuit ea loca, in quibus postea Roma condita est, et oppidum modicum in monte Palatino fundavit, ibique Herculem ex Hispania redeuntem cum pompa superati Gerionis suscepit. Qui illum ab insultibus Cachi latronis liberavit. Inde post eversionem Troie Eneam novas sedes querentem recepit, et adversus Turnum iuvit, misso in bellum cum eo Pallante filio, quem

senex a Turno occisum misere flevit. Mercurii autem ideo filius dictus est, quia esset inter ceteros eloquentissimus homo, ut asserit Theodontius.

CAP. LXVII.

De Pallante Evandri filio.

Pallantes Evandri regis fuit filius, ut sepissime in Eneida testatur Virgilius. Hic iuvenis celebri virtute, spectabilis Enee amicitia iunctus, congregatis auxiliis illum adversus Turnum secutus est, a quo in acie vulneratus occubuit, et ab infelici patre sepultus est. Huius autem corpus, ut refert Martinus, eo in libro qui Martiniana vocatur, imperante Romanis Henrico tercio imperatore, haud longe ab Urbe a quodam agricola altius solito fodiente agellum, compertum est adhuc adeo integrum, ut nuperrime videretur infossum, et statura adeo ingens, ut murorum civitatis altitudinem longitudine superaret; et quod longe magis mirandum refert, sic in illo hyatus illati a Turno vulneris apparebat permaximus, ut longitudinem quatuor pedum excederet, addens supra caput eius lucernam perpetuo igne ardentem compertam, nec ullo poterat extinguere spiritu vel liquore, tandem facto in fundo foramine extincta est. Insuper dicit sepulcro tale fuisse epythaphium scriptum: Filius Evandri Pallas, quem lancea Turni militis occidit more suo, iacet hic.

CAP. LXVIII.

De Pallantia Evandri filia.

Pallantia, ut dicit Servius, filia fuit Evandri, qui asserit hoc a Varrone narrari; quam, ait, Herculem viciassee, et ex ea genuisse Latinum regem Laurentum. Hanc tandem, cum moreretur, dicit sepultam in monte, qui de suo nomine Palatinus appellatus est.

CAP. LXIX.

De Pane Mercurii filio.

Pan, non is qui Arcadie dictus est deus, sed alius, Mercurii fuit filius et Penelopis, ut in libro De naturis deorum scribit Cicero. Et dato dicat Lycophron Penelopem Ulixis coniugem cum pro-catoribus omnibus concubuisse, Ulixe non redeunte, et ex uno Pana filium suscepisse, sunt qui velint hinc fictioni locum datum, et intelligere contigisse alicuius eloquentia Penelopem in concubitum eius venisse, et ex eo filium peperisse. Qui, eo quod eloquentia quesitus videatur, Mercurii filius dictus est. Ego autem alias dixi, arbitrari non possum pudicitiam tam celebrem, uti Penelopis fuit, alicuius eloquio vel opere alio fedari aut flecti potuisse. Fuere quidem et alie mulieres nomine secum, sed forte non pudicitia coequales, et sic ex aliarum una nasci potuit Mercurio Pan filius.

CAP. LXX.

***De Vulcano XXXVII^o Iovis filio, qui genuit Erictonium,
Cachum, Ceculum et Tullium Servilium.***

Vulcanus Iovis et Iunonis fuit filius, ut omnes fere poete testantur. Hic, eo quod claudus et deformis esset, quamcito natus est, a parentibus in Lemnum insulam est deiectus, et, ut ait Theodontius, a symiis educatus est. De hoc in Buccolico carmine dicit Virgilius: Cui non risere parentes, Nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubile est etc. Huic uxorem fuisse affirmant omnes, sed que ea fuerit non eque demonstratur a cunctis. Cingius enim, ut Macrobius in libro Saturnaliorum refert, dicit Maiam uxorem fuisse Vulcani; Pyso autem dicit fuisse Maiestam. Omerus primo et inde Virgilius et poete Latini reliqui Venerem fuisse scribunt. Sane cum certum sit plures fuisse Vulcanos, possibile est hos omnes verum dicere, cum cuius Vulcani fuerint coniuges Maia seu Maiesta non dicant. Quod autem Vulcani Lemnensis Venus fuerit coniunx, satis pro comperto teneri videtur. Hunc insuper Iovis fabrum dicunt, et apud Lyparas et Vulcanum insulas ad facienda fulmina et deorum arma Cyclopes obsequiosos et officinas habere testantur. Et ab eo quicquid artificiose compositum est factum volunt, ut Achillis et Enee arma, monile Hermionis, et corona Adriane, et huiusmodi. Hunc preterea dicunt, ostenso illi a sole adulterio Veneris coniugis sue et Martis, ambos invis-

bilibus catenis coeuntes alligasse. Vocant illum etiam Mulciberrum, et filiorum plurium faciunt patrem. Volentes ergo ex dictis sensum elicere, sciendum est primo Vulcanum hunc Iovis et Iunonis fuisse filium, et apud Lemnum regnasse, et Venerem habuisse coniugem, eamque cum armigero comperisse iacentem, ut supra dictum est, ubi de Marte, et hoc quantum ad historiam. Quantum autem ad alium sensum, est ante alia advertendum apud nos duplicem ignem esse. Primus est elementum ipsum ignis, quod non videmus, et hoc persepe poete Iovem vocant. Secundus autem elementatus est ignis causatus a primo, et hic duplex est. Primus enim est qui in aere ob velocissimum circularem motum in nubibus accenditur, et hic, dum illas exeundo frangit, coruscationes et tonitrua facit, et maximo cum impetu in terras impellitur. Secundus autem is ignis est quo utimur, ex lignis aliisque combustibilibus a nobis ex silicibus duris eductus et fomentis educatus atque servatus. De his tribus hac in fictione sit mentio. Nam primus Iuppiter est, ex quo et rebus aereis et terreis, que pro Iunone intelligende sunt, duo reliqui oriuntur. Ex his uterque claudus est; nam si fractionem nubis inspexerimus, non recte gradientem ignem, sed nunc in partem istam, nunc in illam declinantem videbimus, et sic claudicantem dicemus. Equo modo et nostri ignis flammam nunquam equali sese in altum extollentes gradu videbimus, sed more claudi nunc altius nunc depressius appetunt altiora. Ex his primus de celo in terram, ut premonstratum est deicitur, nec illi parentes arrident,

quia, quam cito creatus est, eicitur. Et sic nec in mensa dignatus est. In Lemnum autem ideo deiectum volunt, quia persepe in insulam illam cadant fulmina. Quod autem dea non illum cubili dignata sit, paulo post ubi de <Eritheo> dicetur causa. A symiis autem nutritus est is, qui penes nos est. Est enim symia animal, hoc habens a natura, ut, quicquid videat hominem facientem, et ipsa conetur facere, et quoniam homines arte et ingenio suo in multis naturam imitari conantur, et circa actus tales plurimum oportunus est ignis, fictum est symias, id est, homines nutrisse Vulcanum, id est ignem fovisse. De quo, ut eius oportunitas cognoscatur, sic in libro Ethymologiarum scribit Ysidorus: Absque igne nullum metalli genus fundi estendique potest. Nichil enim pene quod non igne efficiatur, alibi enim vitrum, alibi aurum, alibi argentum, alibi plumbum, alibi mineum, alibi pigmenta, alibi medicamenta efficit; igne lapides in ere solvuntur, igne ferrum gignitur et domatur, igne aurum perficitur, igne cremato lapide cementa et parietes ligantur; ignis lapides nigros coquendo candificat, ligna candida urendo effuscat, carbones ex pruina fulgida nigros facit, de lignis duris fragilia, de putribilibus imputribilia reddit, stricta solvit, soluta restringit, dura mollit, mollia dura reddit. Hec Ysidorus. Volunt insuper hunc Iovis esse fabrum et aliarum rerum omnium artificiosarum compositorem, ut intelligatur quicquid artificiosum fit ignis suffragio fieri, qui, in quantum artificiosus, dicitur Vulcanus ab aliquo insigni artifice sic dicto denominatus. Officine autem eius cur apud Lyparam et

Vulcanum insulas esse dicantur, liquido patet; insule enim ignem evomentes sunt, et earum nomen fictioni favet, Vulcanie quippe nuncupantur, sed non a Vulcano Iovis filio dicte sunt, quin imo a Vulcano quodam, qui in Emalio natus illas tenuit. Nec solum eum fabrum armorum aut iocalium ignem seu Vulcanum esse voluere, sed et hominum conventionibus et sermonis initio causam prestitisse volunt, ut in libro De architectura Vitruvius videtur asserere, dicens: Homines veteri more in silvis et speluncis et nemoribus nascebantur, ciboque agresti vescendo vitam agebant. Interea quodam in loco a tempestatibus et ventis dense crepitantibus arbores agitate, et inter se terentes ramos ignem excitaverunt, et eo flamma vehementi perterriti, qui circa eum locum fuerunt, sunt fugati. Postea requie data propius accedentes, cum animadvertissent commoditatem esse magnam corporibus, ad ignis teporem ligna adicientes et id conservantes, alios adducebant, et nutu monstrantes ostendebant quas ex eo haberent utilitates. In eo hominum gressu cum profundebantur, aliter e spiritu voces cotidiana consuetudine vocabula ut obtigerant constiterunt. Deinde segregando res sepius in usu ex eventu fari fortuitu ceperunt, et ita sermones intra se procreaverunt. Ergo cum propter ignis inventionem conventus initio apud homines et consilium et convictus esset natus, et in unum locum plures convenirent, habentes a natura primum preter reliqua animalia, ut non proni, sed erecti ambularent, mundique et astrorum magnificentiam aspicerent, in manibus et articulis quam vellent rem

faciliter tractarent, ceperunt in eo cetu alii de frondibus facere tecta, alii speluncas fodere sub montibus, nonnulli yrundinum nidos et edificationes earum imitantes, de luto et virgultis facere loca que subirent. Hec Vitruvius. Non autem insignis homo iste Pentatheucum legerat, circa cuius initium longe alium sermonis autorem Adam omnia nominantem legisset. Et alibi Caym non domos tantum, sed civitatem etiam construentem novisset. Sed de hoc alias. Cur autem Vulcano Cyclopes obsequiosi dati sint, supra ubi de Cyclopibus explicatum est. Vulcanus autem faber iste ideo dictus est, ut ait Servius, quasi volicanus, quod per aërem volet. Rabanus autem dicit: Vulcanus volans candor. Mulciber autem dicitur, ut ait Albericus, quasi mulcens ymbrem, eo quod, cum nubes altiora petierint calore, in pluvias resolvuntur. Ego autem Mulciberum dici puto quia molliat era.

CAP. LXXI.

De Erichthonio Vulcani filio, qui genuit Pocrim, Orithiam et Pandionem.

Erichthonius, quem Eritheum appellat Omerus, filius fuit Vulcani et Minerve; ex creatione cuius talis fertur fabula ab antiquis. Quod cum Vulcanus fulmina Iovi adversus Gigantes pugnanti fecisset, petiit eidem loco premiū, ut liceret sibi cum Minerva concubere. Quod ipse concessit, data Minerve licentia ut

suam verginitatem, si posset, viribus tueretur. Dum ergo Minerve cubiculum intrasset Vulcanus, et Minerve acriter se defendenti vim inferre conaretur, actum est, ut voluntate nimia percitus Vulcanus in pavimentum semen effunderet, ex quo aiunt Erichthonium natum; eique serpentinos dicunt fuisse pedes, ad quos contegendos etate proventus currum primus excogitavit, ut dicit Virgilius: Primus Erichthonius currus et quattuor ausus Iungere equos etc. Huius autem fictionis intentum Augustinus in libro De civitate dei sic detegit. Dicit enim apud Athenienses templum fuisse Vulcano et Minerve commune. In quo comperitus est infans dracone circumvolutus, qui cum eum magnum virum futurum iudicio Atheniensium portenderet eum servaverunt, et eo quod parentes essent incogniti, his quibus dicatum erat templum, in quo compertus erat, Vulcano scilicet et Minerve dederant in filium. Hic preterea, ut dicit Anselmus, in libro De ymagine mundi, in celum inter alias celestes ymagines assumptus, Serpentarius dictus est.

CAP. LXXII.

De Pocris Erychthonii filia et coniuge Cephalis.

Pocris filia fuit Erychthonii seu Erithei et coniunx Cephalis, Ovidio teste dicente: Quattuor ille quidem iuvenes totidemque

crearat Feminee sortis, sed erat par forma duarum, E quibus Eo-
lides Cephalus te coniuge felix, Procri, fuit etc. Que huius fuerit
fortuna , que mors, post hec ubi de Caphalo scribitur.

CAP. LXXIII.

De Orythia Erychthonii filia et coniuge Boree.

Orythia Ericthei seu Erichthonii fuit filia, ut Eusebius in libro
Temporum testatur. Hanc Trax Boreas Astreli filius rapuit et sibi
matrimonio copulavit. Que ille Zethum et Calaym filios peperit.

CAP. LXXIV.

***De Pandione Erychthonii filio, qui genuit Prognem et
Phylomenam.***

Pandion, ut Lactantio placet, filius fuit Erychthonii Athe-
narum regis, sibi que successit in regno, ex quo preter regni tem-
pus quod iuxta Eusebium annis quadraginta fuit, nil est, nisi quia
duos habuerint filios et totidem filias. Ex quibus, bello fessus,
quod diu adversus Tracas gesserat, cum in pacem venisset,
unam, Prognem scilicet, Thero Tracum regi dedit in coniugem;
alterius autem, Phylomene scilicet, infortunium flevisse potuit,
de quibus supra latius.

CAP. LXXV.

De Progne et Philomena filiabus Pandionis.

Prognés et Phylomena, ut satis late dicit Ovidius, filie fuerunt Pandionis Athenarum regis. Harum Prognes Thereo regi Tracie dedit in coniugem, et ipsa ex eo peperit Ythim filium. Phylomenam autem secundam Pandionis filiam, dum ad Prognes Thereus deduceret, stupravit, eique linguam abstulit; ex quo secutum est, ut Ythis a matre occideretur, et patre daretur in cibum, et inde Prognes mutaretur in irundinem, Phylomena in avem sui nominis, Thereus in upupam, ut de omnibus plenius supra ubi de Thereo.

CAP. LXXVI.

De Cacho Vulcani filio.

Cachus filius fuit Vulcani, ut dicit Virgilius: Hic spelunca fuit, vasto sumnota recessu Semihominis Cachi facies quam dira tegebat Solis in accessum radiis, semperque recenti Cede tepebat humus, foribus affixa superbis Ora virum tristi pendebant pallida tabo. Huic monstro Vulcanus erat pater: illius atros Ore vomens ignes, magna se mole ferebat etc. Ex hoc fertur, quod Hercules ex Hispania redeuntis, et cum Evandro hospitantis boves noctu cauda traxit in antrum suum; quos cum diminutos mane

cerneret Hercules, nec quorsum errassent posset advertere; videbat enim vestigia pedum ab antro ad armenta venientia, cum reliquis recedebat, sed cum mugirent ob relictos socios abeuntes, respondentes mugitui qui clausi tenebantur, cognita est Cachi fraus. In quem dum verteret Hercules, vi ex antro illum eduxit, et clava interemit, et boves reassumpsit. Alii vero volunt a Cacha sorore Cachi, fratris furtum Herculi revelatum, et ob id meruisse ibidem diu ara sacrisque venerari. Hunc ideo Vulcani filium dictum dicit Servius, quia adiacentia omnia crebra combustionem consumeret. Quem Albericus dicebat nequissimum Evandri fuisse famulum seu servum, quod nomen ipsum sonat; nam cacos Grece, Latine malum sonat. Sub fictione autem fabule videtur Solino ubi De mirabilibus hystoriam esse. Dicit enim habitasse Cacus eo in loco cui Saline nomen est, ubi postea trigemina porta urbis facta. Deinde dicit, Celium dicere, quod cum a Marsia rege Tharconi Tyreno legatus ivisset, et ab eo Megali Frigio servandus esset traditus, ab eodem cum amplioribus subsidiis, unde venerat, reductus, regnum circa Vulturum et Campaniam occupaverunt, et dum tentarent adversum Evandrum et Arcades, duce Hercule, qui tunc forte aderat, Cacus oppressus est. Megalis autem ad Sabinos secessit, quos augurandi disciplinam docuerat.

CAP. LXXVII.

De Ceculo Vulcani filio.

Ceculus, si Maroni fides prestanda est, filius fuit Vulcani. Dicit enim de eo sic: Nec Prenestine fundator defuit urbis, Vulcano genitum pecora inter agrestia regem Inventumque focis omnis quem credidit etas, Ceculus etc. Ex hoc talis fertur fabula. Duo fuere fratres, quibus unica fuit soror, que dum secus ignem sederet, favilla casu eius in gremium ex torrente fervido evolavit, ex qua mulierem concepisse aiunt, et peperisse puerum, quem Vulcani dixere filium, eumque ob lippitudinem oculorum dixere Ceculum. Qui die quadam forsan infestatus improperatione, quia non Vulcani filius esset, oravit Vulcanum, ut si eius esset filius demonstraret; nec mora Vulcano agente aiunt missum fulmen, a quo omnes qui non credebant exusti atque perempti sunt; ex quo vere Vulcani filius a superstitibus habitus est. Ego existimo fictionis huius rationem esse talem: Ceculum scilicet Prenestem proprio nomine nuncupatum, et ab egritudine oculorum Ceculum, et idem esse cum Preneste Latini regis filio, de quo supra; et ob evolatam favillulam in gremium pregnantis matris adoptatum Vulcano, eumque hostes suos igne et incendio castigasse, et Prenestem fundasse civitatem, et viribus Turnum adversus Eneam iuvisse.

CAP. LXXVIII.

De Tullio Servilio Vulcani filio, qui genuit Tullias duas.

Tullius Servilius Vulcani fuit filius ex Cresa Corniculana, ut in libro Fastorum testatur Ovidius, dicens: Namque pater Tulli Vulcanus, Cresa mater, Persignis facie, Corniculana fuit. Et paulo post: Iussa foco captiva sedet; conceptus ab illa Servius, a celo semina gentis habet etc. Hunc preterea dicit Ovidius a fortuna dilectum, eamque solitam ad eum ire per fenestram palatii et secum esse, ubi postea facta est porta que a fenestra illa Fenestrale nomen accepit. Huius fabule intentum ex hystoria per Titum Livium stilo egregio enarrata summetur. Quam ut paucis complectar verbis, dico, quod capto Corniculano a Tarquinio Prisco Romanorum rege inter alias captivas iuvencula quedam, eo quod nobilis videretur, a Tarquinio in domum regiam deducta est. Que pregnans peperit Tullium Servilium. Quo adhuc infantulo et in cunis dormiente descendit ab alto igniculus et capiti suo insedit, nullam inferens lesionem. Quem cum vidisset Tanaquil regina auguriorum perita, suasit viro puerum cum diligentia servandum, magnum enim futurum familie sue commodum. Hinc servatus cum strenuus evasisset, Tarquinii filiam sumpsit in coniugem, et vulnerato Tarquinio a filiis Anci Marci, et a regina ex vulnere mortuo clam servato, ea iubente parvulis adhuc existentibus filiis Tarquinii, Servius occupavit regiam. Qua occupata et morte patefacta Tarquinii, Servius illi suffectus est rex. Cui cum due essent ex coniuge filie, illas filiis Tarquinii Prisci dedit uxores.

Ipse autem cum multa bona fecisset Romanis, a Tarquinio Superbo genero suo, filie impulsu, occisus est, cum regnasset annis xliiii. Illa igitur flammula de qua supra locum dedit fabule, ut filius fingeretur Vulcani, quod ostendit Ovidius dicens: Signa dedit genitor, tunc cum caput igne corusco Contigit, hincque omnis flammeus egit apex etc. Quod autem a fortuna dilectus fuerit monstravere successus. Hunc Plinius, in libro Virorum illustrium, filium dicit fuisse Publii Cornicularii et Ocreatie captive.

CAP. LXXIX.

De duabus Tullis filiabus Tullii Servilii.

Tullie due, Tito Livio autore, filie fuere Tullii Servilii, et coniuges Arruntis et Lucii, Prisci Tarquinii <filiorum>. Maior quippe Tullia severi atque impatientis animi, et ad quecunque facinora proclivi, Arrunti mitissimo iuveni contigit. Iunior vero, que piissima mulier erat, Lucio acris et ambitiosi cordis iuveni data est. Ardebat Tullia maior desiderio regni, segnemque virum contumeliis infestabat, et suam damnabat fortunam, quod non Lucio data esset. Tandem actum est, ut morerentur Arruns et iunior Tullia, quam ob rem evestigio maior convenit cum Lucio, et patiente potius quam approbante Servio, matrimonio iuncti sunt; cepitque illico improba mulier viri animum irritare verbis, et ad regnum stimulis impellere; ex quo factum, ut die quadam curiam

intraret Lucius, et pro rege sederet, et venientem Tullium pelli faceret, et indi sequi atque trucidari. Quod cum audisset Tullia, consenso vehiculo, letabunda ad salutandum virum regem cucurrit. Rediens autem domum, cum servii cadaver media in via prostratum videret auriga, atque subsisteret, ne illud transiens vehiculo premeret, obiurgatus a Tullia, eo presso, transivit. Hec peperit Lucio filios, inter quos Sextum Tarquinium, ob cuius illatum in Lucretiam Collatini coniugem per violentiam stuprum, Lucius filiique secum in exilium acti sunt et ipsa cum eis. Que apud Gabios trucidatum Sextum audisse potuit, et vidisse virum apud Cumas Campanie tabida in senectute marcentem. Quis autem mulieri finis fuerit, non legi.

Genealogie deorum gentilium liber XII^{us} explicit.

**GENEALOGIE DEORUM GENTILIIUM SECUNDUM
IOHANNEM BOCCACCIIUM DE CERTALDO
LIBER XIII INCIPIT FELICITER.**

In arbore precedenti, cuius in radice describitur Iuppiter tertius, ponuntur tam in ramis quam in frondibus posteritates Herculis et Eoli filiorum dicti Iovis tertii.

Prohemium.

Gurgitis vasti atque nimium estuosi portio longe maior cur-
suque difficilior, vero prestante deo, post puppim relictā, cum
iam canī montium vertices oppositi litoris se tenui quadam
ostentatione in remotis ostenderent, ceperat videri michi mare
placidum et nullis fere impeditum obicibus, et undas solito laxio-
res prestare, et spe atque aviditate contingendi litoris, in quo
quies promittebatur futura, et ob superatos labores vectrici mee
laurea, ultro remis ferebar et velo. Sed ecce, dum a Tyberis hostio
lenis aura me detulisset in Euboicum salum, stetissentque coram
Cadmeie Thebe, et, quas preterieram non advertens, Eolie insule
in mentem venissent, sensi mecum, quid superesset agendum,
eum scilicet describendum monstruosarum rerum domitorem
egregium, ceteros mortales viribus excedentem; nec non et fu-
rentis populi regem, cuius persepe opere fere naufragus factus

sum, et eorum inde numerosas satis posteritates annectere, ex quo paululum tepuit fervor ille, qui me avidum deferebat in litus, et substiti, et dum mecum voluerem, facile non esse eos labores describere, quibus preter Herculem nemo suffecisset mortalium, eumque regem, cuius famuli orbem videbantur posse concutere, existimavi quiescendum fore et aliquali ocio languidas iam vires in nervum revocare, ne inter egregios Alcidis sudores deficerem, aut, ubi minime vellem, debilis deferrer ab Eolo. Et sic, nondum Iovis tercii enumerata integre prole, iterum, o rex inclite, steti tanquam incertum devenissem terminum. A quo iam factus robustior, surgens in residuum itineris, navicule vela concedo, orans more solito, ut is faveat meque laboris deducat in finem, cui facillimum fuit ex nichilo cuncta componere.

CAP. I.

De Hercule XXXVIII^o Iovis tertii filio, qui genuit XVII filios, quorum hec sunt nomina: Oxeas, Creonhiades, Tyriomachus, Diicohontes, Ythoneus, Cromis, Agilis, Ylus, Sardus, Cynrus, Dyodorus, Tlipolemus, Thessalus, Aventinus, Thelephus, Lydus, Lamirus.

Hercules, ut scribit in Anphytrione Plautus, filius fuit Iovis et Alcmene. Que, ut quidam volunt, hac lege nupsit Amphytrioni,

ut mortem fratris sui a Theloboeis occisi ulcisceretur; in qua expeditione, ut ubi supra ait Plautus, cum versaretur Anphytrion, Iuppiter in Alcmenam ardens, Anphytrionis militantis forma sumpta ante lucem, quasi ab expeditione rediens accessit ad eam, que cum eum virum suum crederet, cum eo concubuit, ex quo concubitu, esto ex Anphytrione pregnans esset, concepit, ad quam conceptionem nolunt noctem unam suffecisse, quin imo aiunt tribus in unam iunctis lasciviendi spatium adultero Iovi concessum, quod a Lucano scribitur: Thebas Alcumene, quadum frueretur, Olympi Rector Luciferum ter iusserat Hesperon esse etc. Et sic in tempore geminos peperit, ex Amphyrione viro Yphicleum, ex Iove autem Herculem. Preterea et aliam fabulam ad huius nativitatem spectantem recitat Omerus, quam, quia supra ubi de Euristeo filio Steleni scripsimus, hic reiterare superfluum esset. Hunc veteres maximis extollunt laudibus, et eum quantum ad corporis staturam maximum ferunt, adeo ut nolint eius altitudinem superasse quenquam, et eam septem fuisse pedum, quod Solinus probare videtur ubi dicit: Licet ergo plerique diffiniant nullum posse excedere longitudinem pedum septem, quod intra hunc modum Hercules fuit etc. Et cum Iunonis noverce inimicitias eum passum velint, et Euristeo regi famulatum prestitisset robore corporeo, et ingenio ceteros antesse confirmant. Cuius labores precipuos fere omnes duodecim tantum fuisse confirmant, cum XXXI, esto non omnes equos, fuisse

comperiam. Primo quidem, dum adhuc esset infantulus et in cunis cum fratre iaceret, a Junone odiis insecutus, dormientibus parentibus, ad eum devorandum serpentes duo missi sunt. Quibus visis, terrefactus Yphicleus ex cunis decidit et eiulatu suo parentes excitavit. Qui surgentes Herculem invenere cepisse manibus serpentes et eos occidisse. De quibus in tragedia Hercules Furentis sic ait Seneca poeta: Infantis etas? monstra superavit prius Quam nosse posset. Gemina cristati caput Angues ferebant ora, quos contra obvis Reptavit infans igneos serpentum Oculos remisso pectore ac placido intuens; Artos serenis vultibus nodos tulit Et tumida tenera guttura elidens manu etc. Secundo apud Lernam paludem cum ydra immani monstro certamen habuit, cui cum essent capita septem, et uno exciso, septem illi renascerentur illico, exquisita vitalium origine illam consumpsit. De qua sic Seneca tragedus ubi supra: Quid? Seva Lerne monstra, numerosum malum, Non igne demum vicit et docuit mori? etc. Tertio cum Nemeus leo esset toti regioni terribilis susceptus a Molorco pastore, qui loco proximus erat ubi leo, adversus eum animosus accessit, et captum atque enectum excoriavit et, ob virtutis insigne, loco palli corio eius postea semper usus est, unde Ovidius: His elisa iacet moles Nemea lacertis etc. Quarto adversus Theumesium leonem, nulla ex parte minus horribilem Nemeo, audaci processit pectore, prostratumque iugulavit. Cuius facti in Thebaide meminit Statius, dicens: Illius in speciem, quem

per Theumesia Tempe Anphytrionides fractum iuvenilibus armis Ante Cleonei vestitur prelia monstri etc. Quinto autem aprum Menalium cuncta vastantem cepit. Ex quo Seneca ubi supra: Solitumque densis hispidum Erimanti iugis Arcadia quater nemora Menalium suem etc. Et, ut dicit Lactantius, hunc aprum vivum detulit Euristeo. Sexto cervam eneas habentem pedes et aurea cornua, Menali nemoris hospitam, quam nemo poterat cursu contingere, ipse cursu superavit atque cepit. De qua sic Seneca ubi supra: Menali pernix fera, Multo decoro preferens auro caput Deprensa cursu est etc. Septimo arcu Stynphalidas occidit aves, Arpyas scilicet, de quibus sic idem Seneca: Solitasque pennis condere obductis diem Petiit ab ipsis nubibus Stynphalidas etc. Octavo taurumprehendit, Atticam regionem vastantem. Aiunt enim Mynoem bellum adversus Athenienses initurum orasse Iovem, ut sibi victimam se dignam sacrificaturo concederet. Qui illi candidum preparavit taurum. Mynos autem tauri pulchritudine delectatus, alio sumpto, illum armentis suis prefecit, quare turbatus Iuppiter egit, ut illum Pasyphes coniunx amaret, et ex eo prolem susciperet. Hunc victor Theseus in Atticam detulit, ubi insolens factus provinciam omnem vexavit. Postremo ab Hercule captus occubuit. Cuius mentionem ubi supra Seneca faciens, dicit: Taurumque centum non levem populis metum etc. Nono Acheloum superavit, cuius facti fabula ubi supra de Acheloo. De quo Ovidius: Vosne, manus, validi pressistis cornua tauri? etc. Decimo Dyomedem regem Tracie, cui mos erat

hospites suos occidere et iumentis suis in cibum apponere, ipse superavit et occidit, et eisdem iumentis manducandum apposuit; unde idem Seneca: Quid stabula memorem diri Bistonii regis etc. Undecimo cum Busiris rex, Neptuni et Lybie filius, oras omnes Nylo adiacentes predator ingens infestaret, et forenses hospites suis mactaret diis, accedens Hercules, eo superato, illam regionem pacatam reddidit, unde Ovidius: Ergo ego fedantem peregrino templa cruore Busirim domui etc. Duodecimo Lybiam petiit et Antheum terre filium lucta superavit apud Summittum Africe civitatem, ut dicit Lactantius. De quo Ovidius idem dicit: Sevoque alimenta parentis Antheo eripui etc. Huius fabulam scripsisse memini ubi de Antheo ipso. Tertio decimo columnas in occidente posuit, de quibus Pomponius Mela in Cosmographia ait: Deinde est mons peraltus, quem ex adverso Hispania attollit obiectus, hunc Abilam, illum Calpim vocant, Columnas Herculis utrumque. Addit fama nominis fabulam, Herculem ipsum iunctos olim perpetuo iugo diremissee colles, atque ita exclusum antea mole montium Oceanum, ad que nunc inundat admissum etc. Nec hoc etiam Seneca tacuit ubi supra, dicens: Utrumque montes solvit abrupto obice Et iam ruenti fecit Oceano viam etc. Quartodecimo aurea mala sustulit puellis Hesperiiis, dracone pervigili interempto. Ex quo sic ait Seneca: Post hec adortus nemoris opulenti domos Aurifera vigilis spolia serpentis tulit etc. Quintodecimo adversus Gerionem trianimem bellum

habuit, eoque superato atque interempto. Hispanum atque egregium pecus in Greciam usque maxima cum pompa deduxit, unde Seneca: Inter remotos gentis Hesperie greges Pastor triformis litoris Carchesii Peremptus, acta est preda ab occasu ultimo, Nothum Cytheron pavit Oceano pecus etc. Sextodecimo baltheum regine Amazonum Euristeo regi reportavit, ea superata. De quo idem Seneca: Non vicit illum celibis semper tori Regina gentis vidua Thermodonthie etc. Septimodecimo Cacus Aventini furem etiam interemit; unde Boetius ubi de Consolatione: Cacus Evandri satiavit iras. Octavodecimo Centauros insolentes volentesque Hyppodamiam nuptiarum die surripere Perithoo, Hercules acri bello superavit. Ex quo Ovidius: Nec michi Centauri potuere resistere etc. Nonodecimo Nessum Centaurum sibi sub specie obsequi Deyaniram coniugem surripere conantem occidit, ut patet latius supra ubi de Nesso. Vigesimo Albionem et Bergionem iter impediens suum, haud longe ab hostio Rodani a Iove lapideo adiutus ymbre, superavit, ut in Cosmographia testatur Pomponius. Vigessimoprime Hesyonam Laumedontis filiam, pactis eius nuptiis, a cetho marino monstro liberavit. Dicit enim Theodontius quod, turbatis Apolline et Neptunno, eo quod Laumedon ex constructis muris Troianis non impendisset promissum, Troianis pestis immissa est; ad quam effugiendam oraculum responsum est, ut singulis diebus virginem scopulo marino monstro venienti apponerent. Quod cum

sorte fieret, Hesyoni tetigit, que, ut dictum est, ab Hercule liberata fuit. Vigesimo secundo Troiam delevit et Laumedontem occidit, seu quia e litore Troiano, Ylam perquirens, prohibitus sit, seu quia non daretur Hesyona promissa, seu quia equos divino semine procreatos negasset poscenti, ut Servio placet. Vigesimo tertio Lacinium latronem, extremam Ytalie oram latrociniis infestantem, occidit Iunonique templum constituit, quod Iunonis Lacinie appellavit. Vigesimo quarto, ut Omerus testatur in Yliade, Iunonem in papilla telo trisulco vulneravit. Quod fecisse dicit Leontius, eo quod ab Euristeo rege audisset eam sibi laborum omnium causam fore. Vigesimo quinto celum humeris toleravit. Cuius causam fuisse dicit Anselmus, ubi De ymagine mundi, quod cum Gigantes deos impugnarent, diique omnes in unam celi partem convenissent, tantum ponderis ingesserunt, ut celum videretur minari ruinam; quod ne caderet Hercules una cum Athlante supposuit humeros. Vulgatior tamen fabula est, fesso Athlanti atque optanti humerum mutare, Herculem interim humerum supposuisse suum; unde Ovidius eum queritantem describens, dicit: Hac celum cervice tuli etc. Vigesimo sexto Hercules descendit ad Inferos, et ibi, ut in Yliade dicit Omerus, Ditem vulneravit. Vigesimo septimo Theseum pavitantem, Perithoo mortuo, liberavit ab Inferis et eduxit ad superos. Vigesimo octavo Alchistam Admeti regis Thesalie coniugem retraxit ad virum. Dicunt enim quod cum infirmaret Admetus, imploras-

setque Apollinis auxilium, sibi ab Apolline dictum est eum mortem evadere non posse, nisi illam aliquis ex affinibus atque necessariis suis subiret. Quod cum audisset Alchista coniunx non dubitavit vitam suam pro salute viri concedere. Et sic, ea mortua, Admetus liberatus est, qui plurimum uxori compatiens Herculem oravit, ut ad Inferos vadens illius animam revocaret ad superos, quod et factum est. Vigesimo nono Cerberum tricipitem, introitum illi negantem, barba cepit atque deiecit, eumque triplici cathena ligavit et in lucem traxit, ut patet, ubi de eo supra scriptum est. Trigesimo ab Inferis rediens Lycum Thebarum regem, eo quod Megere coniugi vim voluisset inferre, interemit, ut in tragedia Herculis Furentis dicit Seneca. Sic et in furiam versus filios occidit et coniugem, Olympiaca insuper certamina ipse constituit in honorem Pelopis. Postremo, ut in finem eius aliquando veniamus, trigesimum primum laborem superasse non potuit; nam cum cetera superasset monstra, amoris muliebri succubuit. Dicit enim Servius, quod cum Euritus rex Etholye ei spondisset in coniugem Yolem filiam, dissuasione filii, eo quod Megeram occidisset, petenti denegavit. Quam ob rem, capta civitate et Eurito occiso, Yolem obtinuit. Huius enim amore ardens, ea iubente, leonis spoliis et clavam deposuit, sertis et unguentis et purpura anulisque usus est. Et quod turpius, inter pedissequas amate iuvenis sedens, penso suscepto, nevit. Unde in Thebaide dicit Statius: Sic Lydia coniunx Anphytrioniadem exutum horrentia terga Pendere Sydonios humeris ridebat amictus

Et turbare colos et timpana rumpere dextra etc. Verum tamen Ovidius in maiori volumine et hic Statius non Yolem Etholam, sed Omphalem Lydiam fuisse, que illum colo nere iusserit. Sane possibile est utrumque verum, cum multa fuerint Hercules, et sic variis apud varias mulieres varie potuit contigisse. Dum autem tam illecebri teneretur amore, memor Deianira muneris sibi a Nesso Centauro olim concessi, verum credens quod ille firmaverat moriens, Herculem in sui concupiscentiam revocare volens, misit illi clam Centauri vestem, quam cum non advertens induisset, et circa venationem laboraret, sudore resolutus sanguis venenatus per poros ampliatos calore in precordia lapsus est, eumque in dolorem adeo intolerabilem accendit, ut mori deliberaret, et constructo in Oeta monte rogo, sagictis et pharetra concessis Phyloteti Phyantis filio, in eum conscendit, incendique iussit, et sic fessam animam exalavit. Hunc Seneca in tragedia Herculis Oethei in celum a Iove susceptum dicit, eique Iunoni noverce conciliato desponsatam Hebem iuventutis deam et Iunonis filiam asserit. Omerus vero in Odissea dicit eum ab Ulixē apud Inferos conventum et locutum. Dicit tamen non eum quem videbat Ulixēs Herculem verum esse, sed eius ydolum. Hic insuper quantum vivens mortales fortitudine sua fecit attonitos, tantum vel amplius mortuus decepit insanos. Nam tanta veneratione sui mentes invasit, ut pro excellentissimo numine haberetur. Nec sola hoc errore Grecia decepta est, sed et Rome et orbi toto ve-

nerabilis factus, templis, statuis et sacris illi constitutis, sanctissime, imo stultissime, divino cultu honoratus est. Sed iam quid sibi fictiones velint advertendum est, et ante alia quid sonet Herculis nomen. Dicebat autem Leontius Herculem dici ab era, quod est terra, et cleos, quod est gloria, et sic Hercules idem quod gloriosus in terra; vel Heracles ab heros et cleos, et sic gloriosus heros. Paulus autem dicebat Herculem dici ab erix, quod lis, et cleo gloria, et sic gloriosus litium. Rabanus autem in libro De origine rerum dicit, quod cum crederent Herculem deum virtutis, eum dici quasi heruncleos, quod Latine virorum fortium famam dicimus. Et scribit idem Rabanus a Sexto Pompeo scribi Herculem fuisse agricolam. Hunc tamen Greci Hiraclim vocant, propter quod nos Heracles non Hercules dicere deberemus, sed cum sic dicatur antiquata consuetudine a Latinis videtur vicium excusari. Hoc tamen nomen Hercules unius tantum hominis proprium fuisse reor, eius scilicet qui Thebis ex Alcmena natus est, cum multorum appellativum fuisse credatur. Nam Varro cum xliii homines Hercules cognominatos numerasset, dicit omnes qui fecerunt fortiter Hercules vocabantur; hinc igitur est quod legimus Herculem Thyrintium, Argivum, Thebanum, Lybim et huiusmodi. Ex quo summetur non omnes prescriptos labores unius tantum fuisse homines, sed plurium, quos quoniam abusio nominum miscuit, cui appropriari debeant de omnibus non habetur, nec etiam que prius seu que postea facta fuerint, et hinc uni tantum et mixtim dantur Herculi; nec ex tot impossibile

secundum Pompeium unum fuisse agricolam, non enim solis nobilibus liberalibus natura est, quanquam nobilium opera fortuna faciat clariora. Fuisse autem primo Yphicleum genitum, et inde alio coitu Herculem, morum et operum diversitas adinvenit; nam cum remissus homo esset Yphicleus, Anphytrioni datus est, et ideo primogenitus dictus, quia videretur astrologis constellatio illa, que tunc erat, dum arbitrati sunt eum gigni potuisse, conveniens moribus suis, et subsequens Herculi, et hinc Hercules secundogenitus, et quia esset iniuriarum ultor et religionum atque legum introductor Iovi datus est filius. Ego autem credo filium fuisse Anphytrionis, et eodem concubitu cum Yphicleo genitum, esto mathematicorum perspicacitas nequeat rationem aliam cernere, cur gemini fuerint moribus dispares preter constellationum diversitates. Sic Esau et Iacob, sic et alii plures etiam evo nostro fuere gemini, non diversis temporibus, sed uno et eodem coitu concepti, ut arbitratur Augustinus ubi De civitate dei, et ipsam diversorum operum rationem, nondum satis nota est, nisi deo, dato multa possint dici, que forsitan viderentur convenientia veritati. Triplicem autem noctem conceptioni huius attributam puto ab operibus humanis sumptum; non enim adeo in brevi tempore edificia magna perficimus, sicuti pauperum domunculas faceremus, et ideo quasi sic natura circa productionem magnorum hominum, et plurimum ponat temporis et laboris, ubi in productione aliorum hominum nox una suffecisse videtur, Herculi, qui ceteros debebat excedere, tres date sunt. Eum autem Iunonem

habuisse adversam ideo fictum credo, quia Euristeus rex, qui illi dominabatur, quem pro Iunone regnorum dea possumus hic summere, eum forsán, ob eius inclitam virtutem, suspectum habens, ne aliquid novi moliretur in regno, continuis in expeditionibus semper amotum tenuit, et sic illi potestas regia adversata est. Labores Herculi ascriptos iam plurium fuisse diximus, et sic fictiones quorundam supra enucleate sunt, ubi his contingere, qui ex numero talium crediti sunt. Et nonnulli etiam simplicem hystoriam referunt, et ob id ex multis pauci supersunt poetico velamine tecti, ad quod auferendum venientes; dicit Theodontius in quibusdam Grecorum codicibus legisse Herculem Anphytrionis fuisse filium et non Iovis, et noctu ad cunas eius atque fratris geminos accessisse serpentes, ut existimatum est domesticos et lactis odore tractos, cuius avidi sunt, et cum Yphiclei timentis plangore exiti parentes accessissent ad cunas, invenere Herculem vigilantem et impavidum illos, ut poterat, manibus amoventem, quod permaximum fuit existimatum, et tanta ex hoc infantis indoles assumpta est, ut non solum crederetur eum futurum mirabilem hominem, sed etiam illum dei filium arbitrari insipidi ceperint. Ex quo sibi locum fecit fabula, eum scilicet ex Iove conceptum, quem ex viro mulier honesta conceperat. Secunda Herculis gloria est ydram septicipitem occidisse, cuius figmenti rationem talem recitat Albericus. Dicit enim ydram locum fuisse aquam e diversis locis evomentem, a qua civitas et circumvicinia omnia vastabantur, cuius uno clauso meatu erumpebant multi.

Quod cum videret Hercules loca multa in circuitu exussit, et sic aque clausit meatus. Ego autem arbitror aliquem strenuum fuisse virum, qui averterit aquas ex diversis scaturiginibus loca palustria atque fetida facientes, hoc pacto, ut exquisito earum principio, illud in partem aliam versum, paludem Lerneam siccam liquerit, quam vocavere ydram, quia more ydre circumflecteretur et serperet, ac etiam ydros Grece aqua est; et quia locus ubi ante palus siccus relictus est, ideo ydram finxere exustam. Eusebius autem in libro Temporum de hac ydra aliter dicit sentire Platonem, quem ait asserere Ydram callidissimam fuisse sophystam. Nam Sophystarum mos est, nisi quis advertat, adeo prepositiones suas tradere, ut uno soluto dubio multa consurgant. Sed astutus philosophus, dimissis accessoriis, ad internitionem principalis conatur, quo remoto, cetera removentur. Eum Acheloum superasse, supra ubi de Acheloo scriptum est, et declaratio fictionis appositae. Similiter et Anthei fabula ubi de Antheo; et de malis Hesperidum ubi de eisdem. Circa Gerionis figmentum dicit Servius, Gerionem regem fuisse Hyspanie tricipitem, seu trimembrem, sic ideo extimatum, quia tribus insulis prefuerit Hyspanie adiacentibus, Balearibus, scilicet maiori et minori, et Ebuso. Bicipitem etiam canem habuisse dicit, volens ob hoc intelligi, quia et terrestri et navali certamine plurimum potuerit. Ad quem ait Herculem olla ferrea delatum eumque superasse. Per ferream ollam intelligens fortem navem et ere munitam, qua vectus Hercu-

les accessit ad eum. Alii autem eum dixere trianimem, quod Rabanus intelligit eum duos habuisse fratres adeo secum concordēs, ut in unoque eorum sua et reliquorum anime inesse viderentur. Iustinus autem de eo sic ait: In alia parte Hyspanie, que et insulis constat regnum penes Gerionem fuit. In hac tanta pabuli letitia est, ut, nisi abstinencia interpellata sagina fuerit, pecora corrumpantur. Inde dicta armenta Gerionis, que illis temporibus sole opes habebantur, tante fame fuere, ut Herculem ex Asya prede magnitudine allexerit. Porro Gerionem ipsum non triplicis nature, ut fabulis fuisse ferunt, sed tres tante concordie extitisse, ut uno animo omnes regi viderentur, nec bellum Herculi sua sponte intulisse, sed cum armenta sua rapi vidisset, amissa bello repetisse. Hec Iustinus. De Caco Aventini fure supra ubi de eodem dictum est. De leonibus duobus, et Menalio apro, quoniam hystoriographa creduntur, nil dicendum superest. Et de Stinphalidis avibus, ubi de Arpyis habetur. Sic et de tauro, ubi de Mynoe rege. Et de Dyomede et Busyride et columnis hystorie sunt. Nec minus de baltheo regine Amazonidum. Et de superatis Centauris, etiam ubi de eis dictum est. Et de Nesso Centauro, et superatis Albione et Bergione, et de Hesyona, de quibus omnibus ubi supra de eis singularis est sermo. Delesse eum Troiam notissima hystoria est. Nec occidisse Lacinium sonat aliud, quam latronis interitum. Celum tolerasse humeris improprie dictum est. Ab Athlante quidem ea tempestate insigni astrologo doctus, eo seu

volente quiescere, seu moriente, ipse locum eius tenuit et laborem in docendo supercelestium corporum cursus subintravit. Vulnerasse trisulco telo Iunonem, sapientis describit opus. Nam divitias et sublimes potestates prudens despicit et vilipendit triplici ratione. Sunt enim temporalia in regendo anxia, in servando suspicionibus et curis plena, et statu dubia et caduca, et sic trisulco telo vulneratur ab Hercule Iuno. Ad Inferos autem descendisse et Ditem etiam vulnerasse, illud idem sonat, quod de Iunone dictum, cum divitiarum deus sit Dites, qui totiens vulneratur, quotiens despiciuntur divitie, ut non nullos fecisse philosophos legimus, eo quod illas studiorum arbitrarentur hostes. Theseum vero liberasse hystoria potius est quam fictio. De Alchista ad Admetum ab Inferis revocata dicit Fulgentius, quod cum Alchiste pater volenti eam in coniugem, hanc legem apposuisset, ut duas dispares bestias apponeret currui, Admetus Apollinis et Herculis munere leonem iunxit et aprum, et sic accepit Alchistam. Dicit ergo Admetum in modum mentis positum, et eum Admetum dictum, quasi quem adire poterit metus; hic Alchistam in coniugem desiderat. Alce autem lingua Attica presumptio dicitur; ergo mens presumptionem sperans sibi coniungi, duas feras suo currui iungit, id est sue vite duas virtutes adsciscit, animi et corporis, leonem ut virtutem animi, aprum ut virtutem corporis. Denique et Apollinem et Herculem sibi propitiat, id est virtutem et virtutem. Ergo presumptio semetipsam ad mortem pro anima obicit, ut Alchista. Quam presumptionem,

quamvis in periculo mortis deficientem, virtus ab Inferis revocat, ut Hercules fecit. Ego autem aliter sentio; Admetus anima rationalis est, cui tunc Alchista, id est virtus, nam alce Grece, Latine virtus, iungitur, dum a leone et apro, id est ab appetitu irascibili et concupiscibili currus eius, id est vita qui circumitionibus consumatur, trahitur, id est agitur. Virtus enim non ob aliud iungitur, nisi ut ab ea passiones frenentur, et sic pro salute anime adversus passiones virtus se ipsam opponit, que, si aliquando fragilitate nostra succumbit, a revocata fortitudine relevatur. De Cerbero ad superos tracto, supra ubi de Perithoo satis dictum est. Lycum regem ab eo occisum cum reliquis ad hystoriam tendunt. Herculem autem mortuum constat, ut scribit Eusebius, anno regni Atrei et Thyestis sexagesimo tertio, eo quod in morbum pestilentem incidisset, et ob remedium dolorum se iecisset in flammis. Et hic Thebanus fuit Hercules Anphytrionis filius. Morte autem functus est anno etatis sue lii, anno vero mundi IIII IIII°. Eum in celum transportatum dicunt, eo quod inter alias celestes ymagines descriptus sit ab astrologis, quia et ipse fuit astrologus. Iuventutem autem sumpsisse in coniugem, ideo fictum est, quia quantumcunque pereat corpus viri egregii fama nomenque eius iungitur perpetue iuventuti. Iunone autem conciliatus, ideo dicitur, quia qui hominem exuit, nec a concupiscentia regnorum, nec ab imperante aliquo mortali amplius vexari potest.

CAP. II.

De Oxea, Creonhiade, Tiriomaco et Diicohonte filiis Herculis.

Oxeas, Creonhiades, Tiriomacus et Diicohontes filii fuerunt Herculis ex Megera filia Creontis Thebani. Ex quibus tres, Creonhiadem, Tiriomacum et Diicohonta Omerus in Odissea filios Herculis ex Megera fuisse dicit, et occisos ab eo in reditu ab Inferis post occisum Lycum. Seneca autem poeta in tragedia Herculis Furentis duos nominat, Oxeam et Creonhiadem, et eos ab Hercule redeunte interemptos dicit, et ideo ego quattuor posui, de quibus nil aliud comperisse memini.

CAP. III.

De Ythoneo Herculis filio.

Ythoneus, ut placet Lactantio, filius fuit Herculis ex Paphia. Ex quo Statius, qui illum in bello Thebano favisse dicit Ethyocli, sic ait: Ducit Ythoneos et <alalcomenea> Minerve Agmina etc. Et alibi, Ythoneos: ut ipse supra: Aonia divertis Ythone. Ythone autem civitas est Boecie in qua hic regnavit. Alibi autem dicit Lactantius quod Statius hic; Ythone Minervam cognominat ab oppido, quod in Macedonia est, ubi antiqua eius sedes est.

CAP. IV.

De Cromi Herculis filio.

Cromis Herculis filius fuit, ut Lactantius testatur, dicens: Constat Cromim Herculis fuisse filium, et equos habuisse Traces, quos Hercules occiso Dyomede abduxerat, humanis carnibus vesci consuetos. Verum Statius huius rei assertor antiquior dicit: It Cromis Yppodamusque, alter satus Hercule magno, etc. scilicet Cromis. Et paulo infra: Mox Cromis Yppodamum mete interioris ad orbem Viribus Herculeis et toto robore patris etc. Hic cum Adrasto rege accessit in bellum Thebanum.

CAP. V.

De Agile Herculis filio.

Agilis, ut placere videtur Lactantio, filius fuit Herculis, cum dicat Tyrintiam pubem intelligi deberi eos, qui cum Agile Herculis filio in bello fuere thebano.

CAP. VI.

De Ylo Herculis filio.

Ylus Herculis et Deianire fuit filius, ut testari videtur Seneca poeta, in tragedia Herculis Oethei, eidem loquente Deianira: Si

vera pietas, Yle, querenda est tibi, Iam perime matrem etc. Et paulo post: Herculem eripui tibi etc. Et post hec infra: Natus Alcide times etc. Hic cum reliquis, qui ex Alcide mortuo superstites fuere pulsati ab Euristeo rege. Athenas confugit et ibidem una cum eis templum Misericordie seu Clementie construxit, in testimonium auxilii sibi impensi ab Atheniensibus et refugium in posterum deiectorum.

CAP. VII.

De Sardo Herculis filio.

Sardus Herculis fuit filius, ut dicunt Rabanus et Anselmus, quem volunt cum multitudine a Lybia discessisse et insulam Sardinie occupasse, et que Ycus vocabatur a Grecis, de suo nomine Sardinia nuncupasse. Solinus vero, ubi De mirabilibus, dicit eam a Thimeo Sandalio dictam, et a Crysippo Vunivam, et quod Sardus Hercule procreatus, nomine mutato, eam vocavit Sardiniam.

CAP. VIII.

De Cyrno Herculis filio.

Cyrnus Hercules fuit filius, ut placet Rabano. Qui asserit ab eo insulam, quam hodie Corsicam dicimus, habitatam primo, et Cyrrum a suo nomine nuncupatam.

CAP. IX.

De Dyodoro Herculis filio, qui genuit Sophonem.

Dyodorus, ut in libro Antiquitatum Iudeorum scribit Iosephus, Hercules fuit filius, asserens Aferam et Iafratem filios Abraham ex Cethura ab Hercule in Affricam subsidium suscepisse, eique Echeam filiam Iafram dedisse in coniugem, et ipsum ex ea suscepisse Dyodorum, cuius Sophon fuit filius. Et sic apparet hunc antiquissimum fuisse Herculem, qui Dyodorum genuit.

CAP. X.

De Sophone Dyodori filio.

Sophon, ut asserit Iosephus in libro Antiquitatis Iudaice, filius fuit Dyodori et regnavit in Affrica, atque ut idem scribit Iosephus, barbari Lybice regionis ab isto Sophone Sophaci nominati sunt.

CAP. XI.

De Tlypolemo Herculis filio.

Tlypolemus, ut in Yliade placet Omero, filius fuit Herculis ex Astyochia, quam rapuit ex Ephyri civitate Laconie. Qui grandis factus, ut idem dicit Omerus, occidit avunculum suum senem nomine Lycemmonem a Marte progeniem ducentem, et fabricatis navibus cum multitudine gentium, fratres fugiens et affines, intravit mare, et Rhodon abiit, ibique habitavit, et Rhodiis etiam imperavit. Inde euntibus Grecis in Troianam expeditionem, et ipse etiam venit, ut satis patet per Omerum in libro desuper dicto.

CAP. XII.

De Thessalo Herculis filio, qui genuit Phydippum et <Anthiphum>.

Thessalus, ut in Yliade dicit Omerus, filius fuit Herculis, genuitque filios duos cum quibus in Troianam expeditionem cum Grecis ceteris fuit in armis.

CAP. XIII.

De Phydippo et Anthipho Thessali filiis.

Phydippus et Anthyphus Thessali fuere filii, de quibus in Yliade sic ait Omerus: τῶν αὖ Φεΐδιππός τε καὶ Ἄντιφος ἡγησέυσθην ὕλγε δὴ Ἡρακλεΐδαο ἄνακτος etc. [Que latine sonant]: Hos autem Phidippusque et Anthiphus duxerunt Thessali filii duo Herculei regis. Dicit Leontius, quod Herculei, in carmine Omeri appositum patronimicum est Thessali, et ideo Thessalum Herculis dicit fuisse filium. Hi quidem Phydippus et Anthyphus patrem secuti cum Grecis apud Troiam fuere.

CAP. XIV.

De Aventino Herculis filio.

Aventinus filius fuit Herculis et Rhee, ut ostendit Virgilius, dicens: Victorque ostentat equos satus Hercule pulchro, Pulcher Aventinus clipeoque insigne paternum Centum angues, centumque gerit serpentibus ydram Collis Aventini silva quem Rhea sacerdos Furtivum partu sub luminis edidit auras, Mixta deo mulier etc. Hic Turno favit adversus Eneam. Et hunc dicit Theodontius eum esse quem Latinum volunt ex Fauni filia susceptum.

CAP. XV.

*De Thelepho Herculis filio, qui genuit Euripilum et
Ciparissum.*

Thelephus, ut dicit Lactantius, filius fuit Herculis ex Auge procreatus, et ab ea cum fuisset in silvis expositus a cerva lactatus est. Hic, ut Leontius asserit, in Lycia Chitensibus imperavit, moriensque duos filios dereliquit.

CAP. XVI.
De Euripilo Thelephi filio.

Euripilus filius fuit Thelephi, ut in Odissea testatur Omerus, dicens: Ἀλλ' οἶον τοῦ Τηλεφίδην κατενηρατο χαλκῶ, Ἥρω Ευρύπυλον· πολλοὶ διάμφ' αὐτὸν ἐγαῖροι Κήτειοι κτείνοντο γυναιῶν εἵνεκα δώρων etc. [Que latine sonant]: Sed solum Thylephidem interfecit ferro heroem Euripilum, multique circum ipsum socii Chithii interfecti fuerunt muliebrium causa donorum. Dicit Leontius vineam auream a Iove Troio datam ob precium Ganimedidis rapti, que per successionem devenit ad Priamum. Qui cum audisset virtutem Euripili circa bellica, misit eam matri eius, ut ipsa eum sibi auxiliarem mitteret. Que, dono suscepto, statim misit. Ipse vero a Mneoptholemo cum multis ex Chitiis, quibus post patrem imperaverat, occisus est apud Troiam.

CAP. XVII.

De Cyparisso Thelephi filio.

Cyparissus, ut ait Lactantius, filius fuit Thelephi. Hunc, dicit Servius, Silvanus silvarum deus amavit. Qui cum haberet mansuetissimam cervam eamque summe diligeret, illam Silvanus inadvertenter occidit, quam ob rem Cyparissus summe dolens mortuus est. Silvanus autem illum in arborem sui nominis vertit. Huic fictioni convenientia nominis, et quia continue gemit, dedere causam.

CAP. XVIII.

***De Lydo et Lamiro filiis Herculis, qui Lydus genuit
Lanium.***

Lydus et Lamirus, ut Paulus asserit, filii fuere Herculis ex Yole Euriti regis filia suscepti. Ex quibus nil aliud quam nuda nomina reliquisse videtur antiquitas, preter quod ex Lido Lanium genitum idem Paulus affirmat.

CAP. XIX.

De Lanio Lydi filio.

Lanius, prout predictus asserit Paulus, Lydi fuit filius, ex qua matre vel quid egerit, nil omnino retulit.

CAP. XX.

De Eolo XXXVIII^o Iovis filio, qui genuit Macareum, Canacem, Alcionem, Mesenum, Critheum, Salmoneum, Yphiclum, Sisyphum, Cephalum et Athamantem.

Herculis magnifici descripta prole, superest ut de Eolo rege ventorum sermo fiat. Quem Theodontius, et post ipsum Paulus aiunt Iovis fuisse filium et Sergeste, filie Yppotis Troiani, et sic uterinum Acestis fratrem. Plinius autem in libro Naturalis historie dicit eum cuiusdam Heleni filium fuisse et ventorum invenisse rationem. Hic tamen, ut eisdem placet, regnavit apud insulas, que sunt propinque Sicilie, Ytaliam versus. Quas quidem Eolias ab hoc Eolo, non nulli Vulcanias a Vulcano olim eorundem rege nuncupant. Quarum potior Liparis est. Hunc poete regem ventorum seu deum dicunt, ex quo eius describens regiam et officium Virgilius dicit: Eoliam venit; hic vasto rex Eolus antro Luctantes ventos tempestatesque sonoras Imperio premit ac vinclis et carcere frenat. Illi indignantes magno cum murmure montis Circum claustra fremunt, Celsa sedet Eolus arce Sceptra

tenens mollitque animos et temperat iras. Ni faciat maria ac terras celumque profundum Quippe ferant rapidi secum verrantque per auras: Sed pater omnipotens speluncis abdidit atris Hoc metuens molemque et montes insuper altos Imposuit regemque dedit, qui federe certo Et premere et laxas sciret dare iussus habenas etc. Attamen ipse Eolus, Virgilio teste, regnum et ventorum imperium a Iunone tenere fatetur, dicens: Tu michi quodcunque hoc regni, tu sceptrum Iovemque Concilias, tu das epulis accumbere divum Nymborumque facis tempestatumque potentem etc. Preterea dicit Omerus in Odissea, cum huic essent filii sex et totidem filie, easque masculis dedisset in coniuges, ad eum Ulixem vagum devenisse, eique Eolum ventos omnes in corio bovis argentea cathena alligatos preter Zephyrum dedisse. Harum fictionum causas tales non nulli assignant. Dicit enim Solinus ubi De mirabilibus, Strogilem unam ex insulis Eoliis esse, et eam a solis exortu minime angulosam, et a ceteris liquidioribus differentem flammis, cum fere omnes flammam evomant. Qua ex causa fit, quod ex eius fumo potissime incole presentiscunt, qui nam flatus in triduo sint futuri. Quo factum est, ut Eolus ventorum crederetur deus, cum asserat Paulus eum nondum advertentibus aliis primum fuisse, qui murmurationibus atque motibus flammarum aliquandiu adeo consideratis, ut, dum eas audiret aut videret, confestim quis ventus esset in partibus illis futurus, prediceret, non aliter quam si ipsi emittendi esset imperium. Et ideo

huius erronee credulitatis convalescens fama, sibi ab ignaris impetravit, ut ventorum extimaretur deus. Sunt tamen qui velint hac in fictioni Virgilio, Eulum sublimi in arce residentem rationem esse, sedem habentem in cerebro; ventos vero illecebres appetitus in antro humani pectoris tumultuantes, qui, ni ratione frenentur, in exitiale precipitium deferant emittentem necesse est, quin imo non nunquam mundum omnem lanient et discerpant. Novisse enim potuimus, quid secutum sit ex male laxata libidine Paridis; quid ex stolidi presumptione Xerxis Persarum regis, quid ex ambitione Marii, quid ex avaritia Crassi, et aliorum plurium. Hi quidem appetitus ab Eolo, id est a deo dantur Ulixi, id est unicuique homini, bovino in corio, id est in corpore nostro mortali atque laborioso, argentea alligati catena, id est sonanti atque lucida coerciti doctrina. Zefirus solus emittitur seu non religatur, et hoc ideo quia temperatus est ventus, ut per hoc sentiamus, quam temperate emittenda sint desideria, ut nec nobis nec aliis noceamus; socii autem Ulixis, id est sensus corporei, existimantes thesaurum, id est lucrosum secundum concupiscentiam vivere, corium solvunt, id est rationis frenum, et impetuose in lascivias suas ruunt, a quibus, qui sic faciunt, a vicinitate portus, id est salutis in mare retrahuntur, id est in amaritudinem et tribulationes, que ex concupiscentiis innumere consequuntur. Tangit preterea Virgilius artificiose naturalem ventorum causam. Oriuntur quippe in cavernis agente aeris motu, et ex-

euntes per aerem efferuntur, et sic a Iunone regnum tenere fate-
tur, id est ab aere, absque quo ventus creari non potest. Et cum
se extollunt in altum, Iovi conciliantur, in quantum proximiores
regioni ignis efficiuntur, et mensis deorum, id est superiorum
corporum, accumbunt, et perseverante aeris dispositione con-
grua ad eos producendos, ipsi etiam perseverant. Sunt insuper
qui volunt duodecim filios Eoli duodecim ventos esse, prout eos
fore dicit Aristotiles in Metheoris, et ex his volunt sex esse, qui
suo spiritu habeant agere, ut terra ad producendum fructum vi-
res emittat seu disponat. Sex vero qui illam ad suscipiendum pre-
paratam faciant. Et sic agentes masculi et quos patientes faciunt
femine. Eolo fuisse filios fertur, sed cum plures sint Eoli, ut in
sequentibus apparebit, nec satis liquido appareat, quis horum pa-
ter fuerit, huic omnes attribuiam.

CAP. XXI.

De Macareo et Canace filiis Eoli.

Macareus et Canaces, ut in Epistolis ostendit Ovidius, Eoli
fuere filii; et cum se minus honeste amarent uterenturque con-
sanguinitatis commoditate, concepit ex Macareo Canace, et pe-
perit filium. Quem dum clam e regia per nutricem emitteret ut
aleretur, infelix infans se suo vagitu patofecit avo. Qui filiorum

incensus scelere, iussit innocuum exponi canibus, et per satellitem Canaci gladium misit, ut eo pro meritis uteretur. Quid ex ea secutum sit, nescio. Macareus autem aufugit. Et sunt qui velint, hunc Macareum eum fuisse, qui postea Apollinis Delphici sacerdos factus in mortem Pyrri Achillis filii Horesti concessit assensum.

CAP. XXII.

De Alcione filia Eoli et Coniuge Ceys.

Alciones filia fuit Eoli, ut per Ovidium patet, dum dicit: Neve tuum fallax animum fiducia tangat, Quod socer Yppotades tibi sit, qui carcere fortes Contineat ventos etc. Huic enim coniunx fuit Ceys rex Trachinne, Luciferi filius. De quibus ambobus et infelici eorum casu supra ubi de Ceyce dictum est.

CAP. XXIII.

De Miseno Eoli filio.

Misenus Eoli fuit filius, ut ait Virgilius: Misenum Eolidem, quo non prestantior alter Ere ciere viros Martemque accendere cantu. Hectoris hic magni fuerat comes, Hectora circum Et lituo pugnans insignis obibat et hasta. Postquam illum vita victor spoliavit Achilles, Dardanio Enee sese fortissimus heros Addiderat

socium, non inferiora secutus. Sed cum forte cava dum personat equora conca, Demens, et cantu vocat in certamina divos, Emulus exceptum Tryton, si credere dignum est, Inter saxa virum spumosa immererat unda etc. Qui ergo fuerit, quid illi officium, et que mors in precedentibus demonstratur. Eum autem mortuum, ab Enea tumulatum idem scribit Virgilius, dicens: Et ingenti mole sepulcrum Imponit, suaque arma viro, remumque tubamque Monte sub aereo, qui nunc Misenus ab illo Dicitur eternumque tenet per secula nomen etc. Nunc quoniam simpliciter a Virgilio dicta vera non sunt, quid sit sub cortice fictionis conditum advertendum. Fingit ergo Misenum Eoli filium, eo quod fuit tubicina, nam tube sonus nil aliud est, quam spiritus per fistulam ab ore emissus, sicuti et ventus est aer impulsus, et per terre fistulas e cavernis emissus; et quia ventorum Eolus deus dicitur, quasi eorum autor, sic a similitudine operis Misenus eius dicitur filius. Eum autem a Tritone Neptuni tubicina tractum atque demersum in undas sunt qui credant a Virgilio inventum ad tegendam Enee iniquitatem, quem sepe pium vocat, eo quod putent ipsum apud lacum Averni ab ipso Enea, sacrum illud infaustum Inferis faciente, occisum, sicuti Alpenor in eodem loco occisus est, cum nequeat illud perfici absque humano sanguine. Quod autem illi sepulcrum fecerit, facile credi potest in premium sublata vite. Nec dubium quin apud Baias sit mons parvus, cui adhuc Misenus nomen est, an illi a sepulto homini datum sit, an potius a monte homini, ut fictioni melius conveniret, nescio.

CAP. XXIV.

***De Crytheo Eoli filio, qui genuit Ensonem, Pherytam et
Amithaonem et Alcimedontem.***

Crytheus filius fuit Eoli, ut in Odissea scribit Omerus. Huic fuit coniunx Tyro filia Salmonei regis fratris sui, ex qua ipse suscepit Ensonem, Pherytam, Alcymedontem atque Amythao-nem.

CAP. XXV.

***De Ensone Crythei filio, qui genuit Iasonem et
Polymilam.***

Enson Crythei fuit filius ex Tyro, ut supra dictum est. Qui cum genuisset Iasonem insignem eo evo toti Grecie iuvenem, et is missus a Pelia in Colcos, et inde victor aureum reportasset vel-lus, et Medeam Oethe regis filiam sibi coniugem in Thesaliam deduxisset, ut Ovidius asserit, ab eadem virtute herbarum, cum senex esset iuvenis factus est. Cuius fictionis talis potest esse sen-sus. Ensoni scilicet ex insperato reditu filii tam difficilis expedi-tionis gloriosi, tam grandis letitia addita est, ut etas, que tendebat in mortem, in etatem retrocessisse floridam videretur.

CAP. XXVI.

*De Iasone Ensonis filio, qui genuit Thoantem, Euneum,
Phylomelum et Plutum.*

Iason Ensonis fuit filius, Ovidio teste, ex quo talis recitatur hystoria. Fuit Iasoni patruus Pelyas rex Thesalie, cui oraculo iussum erat, ut singulis annis Neptuno patri sacrificium exhiberet, ut ait Lactantius, dumque cerneret eo celebrante quenquam nudo pede ad sacrum venientem, de proximo se morituum sciret. Contigit inde, ut, eo sacrum faciente, Iasonem festinantem ad sacrum in limo Anauri fluminis calciamentum alterius pedis liquisse. Quod videns Pelyas, filiis timens, suasit Iasoni, ut Colcos iret aureum vellus quesiturus, eum non rediturum existimans, cum audisset opus esse humanis viribus insuperabile. Qui expeditione assumpta, fabricata est illi navis longa ab Argo in sinu Pegaso, et Argos ab autore denominata, nobiles Grecie iuvenes fere omnes convocavit, inter quos Hercules fuit. Fuere preterea Orpheus, Castor, <Pollux>, Zethus, Calays, alique plures splendidissimi genere et virtute iuvenes, quos ob nobilitatem semideos appellat Statius in Thebaide dicens: Iam tum prima cum pube virentem Semideos inter pinus me Thessala reges Duceret etc. Qui a nomine navis Argonautae appellati sunt. Quibus congregatis, ex sinu Pegaso navem solvit, et inde secundo urgente vento in Lemnum delatus est. Ibi autem cum mulieres viros omnes interfecissent suos, virorum imperium aspernate, re-

gnaretque Ysiphiles Thoantis olim regis filia, eis, ut testatur Statius, superatis, Iason ab Ysiphile hospitio susceptus est et thalamo. Tandem cum redargutus ab Hercule Ysiphilem pregnantem liquisset, devenit in Colcos. Ibi, cum florida iuventute et formositate valeret, a Medea Colcorum regis filia amatus est. Cui cum clam se maritum futurum spopondisset, ab ea doctus est, quo pacto <eripedes> tauros et domare et iugo subigere posset, occidere draconem pervigilem, et eius dentes sulcis immittere, et ex dentibus surgentes armatos in perniciem suam concurrere sineret, et hoc peracto qualiter illi ad aureum vellus iter pervium esset. Qui cum iuxta monitus peregisset omnia, in predam devenit optatam, et ea sublata clam cum sociis et Medea fugam arripuit. Sane unum omnes non tenuisse iter in reditu satis constat, cum Hercules et reliqui fere omnes ad Propontidem et Hellespontum venisse legatur, cum Iasonem scribant veteres <Hystri> hostium intrasset, et inde ad eam usque partem devenisse, in qua divisus Hyster in Adriaticum fertur, et eam intrasse, et in Adriaticum devenisse. Quod Aristotiles ubi De mirabilium auditu asserit, dicens, quod, esto ibi loca innavigabilia sint. Iasonem navigabilia fecisse per Cyaneas tendentem; et ad probationem huius itineris dicens, quia loca illa, per que Iasonem iter fecisse traditur, admirandorum plena et crebra per eadem a Iasone altaria inveniri composita, et in una Adriatici maris insula Diane templum a Medea dedicatum. Preterea et oppidum Pola, quod

in nostrum usque evum perseverat, a Colcis colonis primo habitatum. Hec meo iudicio navigationem non probant, imo potius possent firmare, que alii fuisse arbitrantur, Iasonem scilicet, quamdiu potuerit, navi peregrisse iter; inde, obstantibus navigationi montibus portantibus sociis navem humeris. superasse montes, et in Hystrum Cisalpinum devenisse flumen, et aras et altaria que narrantur peragrandō fecisse. Sed quodcunque tenuerit iter, constat aureo cum vellere in patriam remeasse, et illud, ut Lactantius dicit, Creonti Corinthiorum regi detulisse. Is autem cum ex Medea duos suscepisset filios, eiusque opera iunior factus fuisset Enson, et a filiabus trucidatus Pelyas, seu criminum enormitate, seu alia ex causa fecerit, eam repudiavit, et, ut dicit Lactantius, Glaucem assumpsit uxorem. Seneca poeta vero, in tragedia Medee, eum assumpsisse Creusam Creontis regis Corinthiorum filiam ostendit. Ob quam indignationem cum maleficiis Medee regiam et novam coniugem, ut asserit Seneca, vidisset exustam, ab eadem oculis suis vidit quos ex ea suscepit filios gladio laniari. Et hinc subsequi potest quod Lactantius asserit, eum Glaucem accepisse. Tandem cum ob suum crimen Medea, que ab Egeo in coniugem suscepta fuerat, aufugisset ab eo, iterum a Iasone Thesalia pulso, ut aiunt, suscepta est. Et cum ea Colcos iterum transfretavit, Oethamque senem Medee patrem, regno pulsum, reduxit in regnum, et multa insuper per Asyam egit magnifica in tantum, ut ibidem dei ritu coleretur, et

suo nomini templa construerentur plurima. Que postea Alexandri Macedonis iussu, forsan eius glorie invidentis, demolita sunt. Qualis tamen illi fuerit finis, aut ubi, legisse non memini. Huius hystorie tam succincte recitate quedam sunt poetica fictione velata, que, si possumus, aperienda sunt. Legitur enim primo eum tauros eneas habentes pedes, efflantes naribus ignes domuisse, quos ego reor regni Colcorum proceres insuperabiles viribus, elatique spiritus fuisse, quos non bello, sed oratione atque circumventionibus superatos puto, et in suam Medeeque sententiam tractos populares ad seditionem disposuisse, et ceso per fraudem dracone pervigili, id est prefecto custodie regni, et ob eius mortem, quasi seminatis dentibus, id est dissensionum causis, adversum se ipsos armarentur Colci, et in bellum perseverantes adeo fatigarentur, ut demum a Iasone subigerentur facile atque divitiis nudarentur, et aureo vellere, id est grege habente preciosissimum vellus. Hunc arbitratur Plinius primum fuisse qui longa navi navigaverit.

CAP. XXVII.

De Thoante et Euneo Iasonis filiis.

Thoas et Euneus filii fuere Iasonis ex Ysiphile, ut satis per Statium patet in Thebaide. Creditum quippe est eam pregnantem

ex Iasone ad Colcos eunte remansisse, et, ut comprehendi potest, cum gemellos peperisset, neque fas esset apud Lemniades masculos alere, eam illos alendos alibi transmisisse, et cum ob detectum servati patris facinus regno pulsa fuisset et a pyrratis capta atque Lygurgo regi Nemeo vendita, aut tanquam serva tradita, nunquam postea illos vidit. Qui cum adolevisent, et cum Adrasto rege in Thebanum bellum irent, audirentque eam in silva Nemea casus recitantem suos Adrasto, illam e vestigio matrem cognoverunt, et ire Lygurgi regis ob male servatum Opheltem filium eam surripuerunt. Quid autem ex eis postea actum sit michi incertum est.

CAP. XXVIII.

De Phylomelo Iasonis filio, qui genuit Plutum.

Phylomelus, ut scribit Rabanus in libro De originibus rerum, filius fuit Iasonis, nec de eo habetur aliud, nisi quia Plutum genuit.

CAP. XXIX.

De Pluto filio Phylomeli, qui genuit Pareantem.

Plutus, ut scribit Ysidorus ubi De ethymologiis, filius fuit Phylomeli. De quo nil aliud, nisi quia genuit Pareantem.

CAP. XXX.

De Pareante filio Pluti.

Pareantes filius fuit Pluti, ut scribit Ysidorus ubi supra. Qui ibidem ait eum Paron insulam tenuisse, eamque et eius oppidum Paron de suo nomine nuncupasse, cum primo Mynioia vocaretur.

CAP. XXXI.

De Polymila Ensonis filio.

Polymilas, ut Leontius asserit, filius fuit Ensonis. Qui Leontius dicit Ensoni preter hunc nullum fuisse filium. Verum ego plus fidei antiquate fame exhibeo, qua habemus Iasonem Ensonis fuisse filium, quam auctori novo; est tamen possibile Iasonem fuisse binomium.

CAP. XXXII.

De Alcymedonte Crythei filio, qui genuit Epytropum.

Alcimedontem filium fuisse Crytei, Leontius dicit, asserens a Phereclide recitari ab Alcymedonte moriente Epytropum parvum filium suum Pelye fratri suo derelictum. Quem cum mater Chyroni nutriendum dedisset, grandis a Pelia Colcos missus est.

CAP. XXXIII.

De Epytropo Alcimedontis filio.

Epytropus secundum Leontium filius fuit Alcymedontis. Qui, ut refert Pherecides, a matre Chyroni Centauro alendus traditus est, et cum adolevisset in patriam rediens Pelye patruo paternam petiit hereditatem, a quo Colcos missus est vellus aureum quesiturus.

CAP. XXXIV.

De Pheryta Crythei filio.

Pheryta filius fuit Crythei ex Tyro susceptus, ut in Odissea testatur Omerus.

CAP. XXXV.

***De Amythaone Crythei filio, qui genuit Melampum et
Byantem.***

Amythaon, ut in Odissea Omeri legitur, Crythei fuit filius ex Tyro susceptus. Hunc Omerus dicit bellicosissimum fuisse hominem, neque de eo amplius, nisi quod Melampum genuerit et Byam.

CAP. XXXVI.

*De Melampo Amythaonis filio, qui genuit
Theodamantem.*

Melampus, olim augur ingens, filius fuit Amythaonis, ut in Thebaide testatur Statius, dicens: Sacra movere deum. Solers tibi cura futuri, Anphyrae, datur, iustaque Amythaone cretus, Iam senior, sed mente virens, Pheboque Melampus Associat passus, dubium cui dexter Apollo Oraque Cyrrea satiarit largius unda etc. De hoc autem Melampo sic scribit Lactantius: Qui Pritus Abantis filius, Argivorum rex, inimicam felicitatis sue habuit fecunditatem coniugis. Tres enim ex ea sustulit filias, et ad tempus nuptiarum usque perduxit, sed incontinenens virginum lingua infelicitatis edidit causas. He enim feruntur solemmniter templum Iunonis intrasse et se pretulisse dee, quibus offensa Iuno illas mutavit in vaccas et cupiditatem querendi silvas immisit. Quod eo usque passe sunt, donec a Melampo curate sunt, ut supra ubi de eis legitur. Et sic unam ex eis in coniugem et regni partem lucratus est. Fuit quidem Melampus iste herbarie artis peritissimus, ut veteres tradidere, et Theodamantem filium superstitem liquit. Placet Eusebio in libro Temporum eum Abantis evo, qui pater Priti fuit claruisse. Quod non multum differt ab eo, quod a Lactantio recitatur.

CAP. XXXVII.

De Theodamante filio Melampi.

Theodamas filius fuit Melampi, Statio teste, qui dicit: Insignem fama sanctoque Melampode cretum, Theodamanta volunt etc. Fuit hic Theodamas augur egregius, adeo ut, absorto terre hyatu Amphyrao apud Thebas, Adrastus et reliqui principes, qui secum Thebas obsidebant, eum absorpti loco substituerent.

CAP. XXXVIII.

***De Byante seu Bya Amythaonis filio, qui genuit
Manthyonem et Anthyphatem.***

Byas Amythaonis fuit filius, ut Theodontius dicit. Ex quo Omerus hystoriam refert, qualiter Pyro Nelei filia illi nupta sit. Que quidem supra ubi de Pyro scribitur plene, nec aliud de eo legitur, nisi quod cum coniuge habitaverit apud Pylum Nelei civitatem, et quod ex ea suscepit filios duos, Manthyonem et Anthyphatem.

CAP. XXXIX.

De Manthylene Byantis filio, qui genuit Clythonem et

Polyphidem.

Manthyon, ut in Odissea scribit Omerus, filius fuit Byantis ex Pyro, nec ex eo aliud refert, nisi quod genuerit Clythonem et Polyphidem.

CAP. XL.

De Clythone Manthyonis filio.

Clython Manthyonis fuit filius, ut in Odissea testatur Omerus, ubi dicit, quod cum esset forma et decore conspicuus, eum ab Aurora raptum, nec ultra usquam comparuisse. Dicit tamen Barlaam hunc ad Orientales partes abiisse, et ibidem de reditu in patriam non curans, quibusdam populis imperasse, et ob id fictum eum ab Aurora raptum.

CAP. XLI.

De Polyphide Manthyonis filio, qui genuit Theoclymenem.

Polyphides filius fuit Manthyonis, ut Omerus dicit in Odissea, ubi eum egregium fuisse vatem asserit, et Anphyrao in bello Thebano ab hyatu terre absorpso substitutum ab Argivis, ubi

Staius Anphyrao suffectum dicit Theodamantem Melampi filium. Hic Theoclymenem genuit.

CAP. XLII.

De Theoclymene Polyphidis filio.

Theoclymenes, ut in Odissea placet Omero, filius fuit Polyphidis, et cum moraretur in Argo civitate et haberetur augur insignis, ibi hominem interfecit. Ob quam causam cum inde discessisset, et in Pylon civitatem venisset, exinde cum Thelemaco filio Ulixis abiit in Ytachiam.

CAP. XLIII.

De Antyphate Byantis filio, qui genuit Oycleum.

Antyphates, ut asserit Omerus in Odissea, filius fuit Bye ex Pyro coniuge susceptus. Nec ex eo aliud habetur, nisi quia genuit Oycleum

CAP. XLIV.

De Oycleo Antyphatis filio, qui genuit Amphyaraum.

Oycleus, eodem Omero teste, filius fuit Antyphatis et Amphyaraum vatem genuit. Quem non nulli Lyncei regis Argivorum ex Ypermestra filium fuisse arbitrantur.

CAP. XLV.

*De Amphyarae Oyclei filio, qui genuit Almeonem,
Amphylocum et Catillum.*

Amphyaraus, quicquid alii dicant, Oyclei fuit filius, ut in Odissea testatur Omerus et Statius in Thebaide, dicens: Tandem prorumpere ad actus Oyclides etc. Hic autem inter ceteros augures veteres clarior habetur. Qui cum Adrastus Argivus rex bellum adversus Thebanos initurus esset, montem una cum Melampo visurus, quid futurum esset Argivis, si bellum adversus Thebanos assumerent, ascendit, et cum inter alia vidisset se, si in bellum iret, non rediturum in patriam, latebras petiit, et Euridici coniugi sue, ex qua iam quosdam susceperat filios, tantum tanquam fidissime latebras suas patefecit. Sane cum instarent Argivi principes, ut in Thebanos irent, eumque solum perquirerent, nec invenire possent, contigit ut Euridices Argie filie Adrasti et coniugis Polinici videret monile, quod olim Vulcanus Hermioni privigne sue et coniugi Cadmi dono dederat, et illud desideraret,

et inde cum Argia in compositionem veniens, monili suscepto, Anphyaraum patefecit, ut in Thebaide plenius describit Statius. Sic igitur Amphyaraus coniugis fraude detectus, cum aliis Argivorum principibus non rediturus ivit in bellum. In quo, dum die quadam armis et curru insignis prelium intrasset atque acriter in Thebanos pugnaret, repente terre motu facto ingenti, et ea in parte, in qua consistebat, voragine telluris patefacta absorptus est, maxima superstitum turbatione. Hunc Statius armatum vivumque in conspectu Ditis descendisse describit, et poetico more multa perorasse dicit, que ad propositum nil afferunt. Fuit tamen ea tempestate tanta veteribus cecitas, ut quem dei iudicio a terra absorptum cernerent, amicum dei, imo deum etiam existimarent, eique ea in parte, in qua absorptum noverant, tanquam deo templum construerent, et aras dicarent, et sacra conficerent, et ritu dei illum colerent. Huius autem inventum in libro Naturalis historie dicit Plinius fuisse ignispicam, quod utrum credam, nescio. Memini enim legisse apud Caldeos Nembroth opus fuisse, qui per multa secula precessit Anphyaraum.

CAP. XLVI.

De Almeone Amphyarai filio.

Almeon Anphyarai vatis et Euridicis fuit filius. Huic Anphyaraus in bellum ire coactus nequitiam in se Euridicis aperuit, eique

future mortis sue vindictam reliquit. Qui, defuncto patre, memor precepti, tempore sumpto, ut patriam pietatem servaret in matrem impius factus est; eamque peremit.

CAP. XLVII.

De Amphyloco Amphyrai filio.

Amphylocus, ut in Odissea dicit Omerus, filius fuit Anphyarai ex Euridice susceptus, nec de eo legitur amplius.

CAP. XLVIII.

***De Catillo Amphyrai filio, qui genuit Tyburtinum,
Catillum et Coracem.***

Catillus, ut ait Solinus in libro Mirabilium, filius fuit Anphyarai, de quo sic scribit: Catillus enim Anphyarai filius post prodigiam patris apud Thebas interitum, <Oyclei avi> iussu cum omni fetu ver sacrum missus, tres liberos in Ytalia procreavit, Tyburtum, Coram, et Catillum. Qui, depulsis ex oppido Sycilie veteribus Sycanis, a nomine Tyburti fratris natu maximi urbem vocaverunt. Hec ille.

CAP. XLIX.

De Tyburtino, seu Tiburto Catilli filio.

Tyburtinus, seu Tyburtus, filius fuit Catylli secundum Solinum, et ab eo, quia natu maior esset, Tybur civitas a fratribus denominata est. Plinius autem, ubi De hystoria naturali, dicit Tyburtus multo ante Romam originem habuisse, et apud eos dicit extare tres ylices, Tyburtino eorum conditore vetustiores, apud quas inauguratus traditur. Tradunt autem eum, scilicet Tyburtinum, filium fuisse Anphyarai, qui apud Thebas obiit una etate ante Yliacum bellum.

CAP. L.

De Catyllo Catylli filio.

Catyllus filius fuit Catylli filii Anphyarai, ut Solinus asserit ubi supra. Qui, sicut Cato fecit testimonium, Archas fuit, et classis Evandri prefectus et Tyburis conditor.

CAP. LI.

De Corace primi Catylli filio.

Corax, ut Solinus De mirabilibus mundi dicit, filius fuit Catylli, eius scilicet qui filius fuit Anphyarai, et una cum Tyburtino et Catyllo fratribus urbem cepere Syculorum, haud longe a Roma,

quam, ut supra dictum est, a Tyburtino fratre maiore Tyburim vocaverunt.

CAP. LII.

De Salmoneo Eoli filio, qui genuit Tyro.

Salmoneus, ut dicit Lactantius, filius fuit Eoli, et apud Elydem regnavit, homo insolens et importabilis. Qui cum non esset regia sublimitati contentus, conatus est se deum esse suis ostendere et, fabricato eneo ponte in sublimi, adeo ut Elydis partem desuper tegeret, super eo currus agitari faciebat, qui, tam suo strepitu, quam pontis erei sonoritate, in tam grandem sonum veniebat, ut tonitruum videretur. Quod cum ex improvise faceret ad instar tonitruum, subditos exterrebat. Preterea ex excelso ignitis facibus in similitudinem fulminum iaculabatur, stantibus satellitibus eius intentis ut fulminatus quilibet, si face iniecta non perisset, gladiis iussu suo occideretur. Et hac fatuitate se Iovem fulminantem arbitrari volebat. Verum deus non diu vesaniam hanc passus est, quin imo eum vero fulmine percussus deiecit ad Inferos, ut ait Virgilius dicens: Vidi et crudeles dantem <Salmonea> penas, Dum flammis Iovis et sonitus imitatur Olympi etc. Huic unica tantum filia Tyro superstes fuit.

CAP. LIII.

De Tyro filia Salmonei.

Tyro, ut in Odissea placet Omero, filia fuit Salmonei regis Elydis, et ex ea iuxta Enypheum fluvium Neptunus, transformatus in speciem eiusdem fluminis, cum illam oppressisset, duos suscepit filios, Neleum et Pelyam, ut supra de eis dictum est. Que postea nupsit Crytheo filio Eoli, et ei peperit, Ensonem, Pheritam et Amythaonem.

CAP. LIV.

De Yphiclo filio Eoli, qui genuit Podarcem.

Yphyclus, ut ait Leontius, Eoli fuit filius, et cum potens esset, boves Tyro filie Salmonei et matris Nelei, qui Neleo debebantur, surripuit atque detinuit, donec Byantis generi Nelei, aut Melampi auguris fratris sui opere restituerit. Nam hic est, qui cum non posset filios procreare, habuit a Melampo seu a Bia, ut serpentis venenum potaret, quo potato, confestim Podarcem genuit. Dicit Leontius venenum serpentis herbam esse, ex qua si gustaverit serpens illico morietur, sterilibus autem confert.

CAP. LV.

De Podarce filio Yphiclei.

Podarces, ut Leontius asserit, Yphiclei fuit filius, nec de eo aliquid plus habemus.

CAP. LVI.

De Sysipho Eoli filio, qui genuit Glaucam et Creontem.

Sysiphus Eoli fuit filius, ut satis per Ovidium patet dicentem: Reddit, ubi Eolidem saxum grave Sysiphon urget etc. Et Oratius in Odis dicit: Sysiphus Eolides laboris etc. Ubi advertendum Sysiphos fuisse duos, et sic Eolos de necessitate fuisse plures, quamquam duos tantum fuisse dicat Lactantius. Sed primo de Sysiphis videamus. Sysiphus primus contemporaneus fuit Danao Argivorum regi, seu saltem Lynceo Egysti filio, qui Danao successit in regno. Nam utrumque testatur Eusebius in libro Temporum. Dicit enim eum Ephyram civitatem, quam postea Corynthus Horrestis filius a se Corinthum appellavit, Danao regnante condidisse, anno scilicet mundi III dccxx viiii. Nec multo post dicit secundum alios, eum scilicet Sysiphum, condidisse eam Ephyram, anno decimoquinto regni Lyncei, qui fuit annus mundi III dccxciiii, et hic Corynthiorum rex dictus est, id est Ephyre. Nam qui Corynthiorum reges dicti sunt, longe postea inceperunt, scilicet circa annum mundi IIII c, regnante Latinis Enea Silvio et

Atheniensibus Melenthone patre Codri, et fuit rex eorum primus Aletius. Et sic iste eius Eoli fuit filius, cuius et Crytheus et Salmonaeus et Yphicleus, et alii horum contemporanei. Et huius fuit coniunx Meropes filia Athlantis, de qua Ovidius: Septima mortali Merope tibi, Sysiphe, nupsit etc. Et huius fuere filii qui sequuntur, Glaucus et Creon. Fuit et alter Sysiphus, et hic Eoli pariter filius, ed de hoc superiores auctoritates testantur potius quam de quo dictum est. Et hic Egeo Athenis regnante fuit. Nam ut, dicit Lactantius, cum inter duo maria, scilicet Yonium et Egeum, montem positum, qui Ithsmos dictus est, Sysiphus crudeli latrocinio occupasset, hac pena mortalium pascebatur, ut homines pregravans ingenti saxo necaret. Servius vero dicit, quod dum transeuntes cepisset residens in scopulo ad lavandos sibi pedes advocabat, intentosque officio calce illos ex prerupto precipitabat in mare. Hunc autem dicit Omerus moram traxisse in Ephyra, civitate Argivorum, que postea Corynthus dicta. Alii insuper dicunt, quod hic secretarius fuerit deorum, et quia secreta mortalibus revelasset apud Inferos damnatus est hac pena, ut semper saxum ingentis ponderis evolvat, ut ait Ovidius: Aut petis aut urgis ruiturum, Sysiphe, saxum etc. Hunc Theseus ut supra, ubi de eo scripsimus, occidit. Qui si filius Eoli fuit, esse non potuit eius Eoli, cuius superior Sysiphus, qui longe fuit antiquior. Nec potuit esse Eoli regnantis apud Lyparam, cum hic iam mortuus esset antequam ille nasceretur. Et sic videtur tres fuisse Eolos, quos indifferenter poete ventorum deos, seu omnes unum

ventorum deum nominant. Huius Sysiphi sunt qui credant Ulixem fuisse filium, ut ubi de eo dictum est. Saxum autem sursum ducere et demum ad inferiora dimittere, dicit Macrobius super Somnium Scipionis intellegi debere eum inefficacibus laboriosisque conatibus vitam terere, quod profecto predonum est.

CAP. LVII.

De Glauco filio Sysiphi, qui genuit Bellorophontem.

Glaucus, ut in Yliade ait Omerus, filius fuit Sysiphi regis Ephyre. Nam in persona Glauci, huius Glauci nepotis, aduersus Dyomedem pugnantis apud Troiam omnem genologiam eiusdem Glauci describit ut sequitur.

CAP. LVIII.

De Bellorophonte Glauci filio, qui genuit Laodamiam, Ysandrum et Yppolocum.

Bellorophon, ut in predicta Glauci oratione ad Dyomedem, filius fuit Glauci predicti. Fuit equidem Bellorophon iste iuuenis inclito decore conspicuus, et insignis virtutis eximie. Hunc regem Ephyre fuisse dicit Omerus, qui a Pryto rege Argivorum regno privatus, apud eum, eo iubente, divertit. Cuius uxor Anthya, seu secundum Lactantium Stenoboes, formositate eius

capta, in suam compellavit libidinem, renuentemque, quod ei vim voluisset inferre, Pryto accusavit. Qui indignatus cum nolisset occidere eum, licteras, in quibus iubebatur occidi, Aryobati socero suo deferendas tradidit illi. Bellorophon autem in Lyciam veniens, ab Ariobate, ut moreretur, ad occidendam Chymeram missus est. Erat enim Chymera monstrum, ut ubi supra de ea dictum est. Bellorophon autem, equo Pegaso sumpto, evolavit ad illam, atque occidit. Inde cum esset Ariobati adversus Solimisos bellum, de virtute Bellorophontis confidens, illum misit in pugnam; qui eque Solimisos expugnavit atque fugavit. Tercio adversus Amazonas insultantes in eum, arma arripi iussit. Bellorophon autem superatas in terminos redire coegit. Que cum vidisset rex, eius misertus est, et Achymenem filiam suam Anthye sororem, illi, ut dicit Lactantius, dedit in coniugem cum parte regni, ex qua ipse suscepit Ysandrum, Yppologum, et Laodamiam. Stenoboes autem, seu Anthya, cum rescisset eum a patre honoratum se ipsam interemit. Et, ut placet Servio, ob hoc crimen Pryti filie in insaniam devenere. Ex eo vero quod hic fictum est, sic sentit Fulgentius. Dicit enim Bellorophontem, quasi <bulephorunta>, quod nos Latine sapientie consultatorem dicimus, qui libidinem spernit, id est Anthyam; anthyon enim Grece, contrarium Latine dicitur. Que Anthya Pryti coniunx est, qui pryto Panphyla lingua sordidus dicitur. Et cuius uxor libido, nisi sordidi est? Et bona consultatio, id est Bellorophon qualem equum se-

det, nisi Pegasus? quasi pegasion, id est fontem eternum. Sapientia enim bone consultationis eternus fons est. Ideo pennatus, quia mundi naturam universam celeri cogitationum theoria collustrat. Preterea Bellorophon Chymeram occidit. Chymera enim quasi chymeron, id est fluctuatio amoris, quam tricipitem dicit Fulgentius, et ideo tricipitem, quia tres amoris sint actus, hoc est, incipere, perficere et finire. Dum enim amor noviter venit, ut leo feraliter invadit, quod capra in medio sit vel fingatur, perfectio libidinis est, ea videlicet causa, quod hoc animal sit in libidinem valde pronum. At vero quod postremo draco dicitur, quia post perfectionem vulnus det penitentie venenumque peccati etc. Sed quicquid dicat Fulgentius, hoc habet hystoria, Chymeram montem esse Lycie in summitate flammam <evomentem>, demum leones paululum inferius <nutrientem> inde capreas <alentem> et postremo in radicibus serpentum <abundantem>. Que cum illum redderent inhabitabilem, et circum adiacentibus noxium, Bellorophon, ut alibi dictum est, his nocuis sublati, habitabilem fecit. Preterea videtur placere Plinio in libro Naturalis historie ab hoc primo equo vehi compertum.

CAP. LIX.

De Laodomia Bellorophontis filia et Sarpedonis matre.

Laodomia filia fuit Bellorophontis et Achimenis coniugis eius. Hec autem, cum virgo formosa esset, Iovi placuit, qui cum ea concubuit, et, ut dicit Omerus, ex eo Sarpedonem peperit, qui postea rex Lycie fuit.

CAP. LX.

De Ysandro Bellorophontis filio.

Ysander, ut Omerus scribit in Yliade, filius fuit Bellorophontis et Achymenis. Et cum esset bellum inter Lycios et Solimisos, adversus Solimisos acriter pugnans occisus est.

CAP. LXI.

De Yppoloco Bellorophontis filio, qui genuit Glaucum.

Yppolocus, ubi supra dicit Omerus, Bellorophontis fuit filius. Ex quo nil aliud recitat, nisi quod Glaucum genuerit.

CAP. LXII.

De Glaucō Yppoloci filio.

Glaucus Yppoloci fuit filius, ut ipsemet in Yliade interroganti Dyomedi dicit. Nam cum iste Troianis venisset adiutor, et die una aliquamdiu adversus Dyomedem pugnasset, cum eo tandem in colloquium venit, et inter alia qualiter a Sysipho per Glaucum et per Bellorophontem et Yppolocum natus sit, recitavit. Ob quam recitationem memor factus Dyomedes veteris amicitie predecessorum suorum, secum convenit, ne amplius invicem pugnam inirent. Et hinc inde datis sumptisque muneribus discesserunt. Iste tamen Glaucus in prelio postea occisus est.

CAP. LXIII.

De Creonthe Sysiphi filio, qui genuit Creusam.

Creon rex fuit Corynthiorum et Sysiphi filius, ut Medee verbis, in tragedia eiusdem, Seneca poeta demonstrat, dicens: Non veniat unquam tam malus miseris dies, Qui prole feda misceat prolem inclitam, Phebi nepotes Sysiphi nepotibus etc. Credo hic intelligi Creontem hunc Sysiphi latronis fuisse filium, et ob id Medea tanquam ex turpi genere procreatos Sysiphi nepotes hic respuit suis filiis consanguineos futuros.

CAP. LXIV.

De Creusa Creonthis filia desponsata Iasoni.

Creusa, ut satis proximo supra patet, filia fuit Creonthis Corinthiorum regis et desponsata Iasoni. Quam ob rem indignata Medea, cantaminibus suis ignem inestinguibilem scrineolo inclusit, illudque firmatum tanquam iocale aliquod ad eius gratiam filiis promerendam eidem Creuse per filios parvulos misit. Que cum visura quid muneris mitteretur, scrineolum aperuisset, evolavit ex illo ignis confestim, qui Creusam regiamque Creontis exussit omnem, cum iam Medee filii premoniti discessissent.

CAP. LXV.

De Cephalo Eoli filio, qui genuit Hesperum.

Cephalus Eoli fuit filius, ut de eo loquens carmen sonat Ovidii, ubi dicit: Aspicit Eolidem ignota ex arbore factum etc. Huic fuit uxor Pocris Erichthei regis filia. Eam tamen dicit Servius Yphili fuisse filiam. Fuit et hic ab Aurora dilectus, que, ut dicit Servius, illi dedit canem vocatum Lelepam et hastilia duo, omnia que vellet contingentia, eo quod venationibus delectaretur. Cui cum eius postularet amplexus, respondit Cephalus, se ius iurandum habere cum coniuge mutue castitatis. Cui Aurora: castimoniam Pocris queso transformatus experiaris. Qui cum se merca-

torem finxisset, et munera ingentia promississet, eam in suum desiderium flexit, et turbatus, se maritum concessus est. Ovidius vero dicit quod, cum Aurora Cephali uteretur amplexu, et hic nil preter Pocrim amaret, ab Aurora indignante dictum: Siste tuas, ingrater, querellas, Pocrin habere, dixit, quodsi mea provida mens est, Non habuisse voles etc. Quibus auditis cepit Cephalus de pudicitia coniugis suspicari, et experturus in mercatorem se transtulit, et domum veniens suam, cum omnia castitati congruentia cerneret, a ceptis desistere voluit. Tandem perseverans in proposito, muneribus pactus est eius concubitus. Quo facto se esse Cephalum demonstravit. Pocris autem criminis conscia, erubescens, in silvas abiit, et adhesit Diane, cepitque una cum ea venari. Cui Diana canem dedit et iaculum. Porro cum precibus illam ad se revocasset Cephalus, ab ea canem et iaculum habuit. Ipse autem venationibus vacans, more solito fervescere sole secedebat in umbras, auram refrigerii causa cantu vocans. Rusticus autem quidam nympha vocari putans Pocris retulit. Que zelo percita, ut videret quenam esset, que vocata accederet, inter virgulta vallis se abscondit, et cum audisset Cephalum blanda voce Auram vocantem, movet se paululum, ut videret, quod vidisse nolisset. Cephalus viso virgultorum motu, feram ratus, iniecit iaculum, et inadvertens vulneravit uxorem. Que in ulnis eius suscepta, orans ne Aura loco sui duceretur uxor a Cephalo, expiravit. Anselmus autem videtur credere hanc Auram fuisse feminam, et scribit Cephalum ex ea suscepisse Hesperum filium.

Quod et Theodontius arbitratur, et sic erit hystoria et non fictio, quod narratur.

CAP. LXVI.

De Hespero Cephali filio.

Hesperus, alter a superiori, filius fuit Cephali et Aure seu Aurore, ut dicit Anselmus ubi De Ymagine mundi. De quo, nomine excepto, nil aliud reperitur.

CAP. LXVII.

De Athamante Eoli filio, qui genuit Phrysum, Hellem, Learcum et Melicertem.

Athamas rex filius fuit Eoli, ut satis per Ovidium patet. Ex quo <talem> Servius hystoriam refert. Dic enim quod Athamas habuit Neyphilem uxorem, ex qua suscepit Phrysum et Hellem, verum cum insania Liberi patris concitata in silvas abiisset, Athamas filiis eius Ynoem Cadmi filiam superinduxit novercam. Que, uti novercarum mos est, privignis exitium machinata, cum matronis egit, ut frumenta ferenda corrumperent; quo peracto, famas valida subsecuta est. Tandem cum ad consulendum Apollinem misisset Athamas, Yno eum, qui missus fuerat, dolose corrupit, egitque, ut referret ab oraculo dictum, Neyphilis filios ad

famem auferendam immolandos, quos et ipsa accusaverat, quod frumentum incendissent. Athamas autem invidiam plebis timens, Phrysum et Hellem publice arbitrio commisit noverce; clam autem illis salutare concessit remedium, egitque ut Phrixus aureum abduceret arietem. Qui Iunonis nutu monitus, una cum Helle sorore sua illum conscendens mortem evitavit et abiit. Inde superaddit Ovidius Iunonem excitasse ab Inferis Furias in Athamantem, quae venientes in aulam, in qua forte tunc erat Athamas, eum colubribus iniectis in tantam deduxerunt insaniam, ut dum videret Ynoem ad se cum duobus filiis venientem, leenam illam crederet, et filios suos leene catulos; quam ob rem emissio clamore ingenti in eos irruit, et Learcum ex filiis alterum ex ulnis matris excerptum totis viribus illideret saxo. Quod Yno videns territa, cum Melicerte filio altero fugiens, se ex rupe, quae Leucotoea dicitur, precipitem dedit in mare. Quid tandem de Athamante factum sit, nullum extat vestigium. Iunonem, regnorum et divitiarum deam, Thebanis infestam sepiissime poete dicunt propter crebram regum apud eos mutationem; ex qua profecto populis mala consequuntur plurima. Verum quod ad Athamantem spectat, dicit Barlaam Ynonis odium in privignos egisse, ut opere cuiusdam arietis nutritoris Phrisii, Phrysius ipse cum sorore Helle cum omni ornatu regio et thesauro aufugerent, quod Yno dolens non tantum Athamantem infestabat iurgiis, quod regnum spoliasset divitiis et splendore regio, sed omnes regni procures in eum tanquam in regni desolatorem incenderat,

quibus impulsus Athamas et in Ynoem accensus, non in eam solum, sed in filios, quos ex ea suscepit, die quadam, more furientis irrupit, et secutum exinde est, quod supra dictum est.

CAP. LXVIII.

De Phryso et Helle filiis Athamantis.

Phrysus et Helles filii fuere Athamantis regis et Neyphilis, in quos dum Yno noverca machinaretur mortem, ipsique, ut dicit Lactantius, per insulam ferrentur incerti, eis a matre aries aurei velleris apparatus est. Servius autem, supra, dixit a patre, eaque iubente illum conscenderunt ambo Colcos usque petaturi salutem. Quos cum per mare deferret aries, contigit, ut Helles perterrita caderet in pontum, et confestim a vertigine raperetur aquarum; ex quo secutum est, ut eternum illi ponto cognomen imponeret. Nam ab ea demersa de cetero semper Hellespontus illa maris particula, in qua periit, appellata est. Phrysus autem incolumis devenit ad Oetham Colcorum regem, et cum ab eo comiter fuisset susceptus, iuxta matris imperium arietem sacravit Superis. Alii Marti tantum consecratum volunt. Et, ut scribit Pomponius Mela, iuxta Phasis fluminis hostia oppidum a Themistagora Milesio conditum est, et Phasim denominatum, penes quod Phrysi templum, et lucus fuit nobilis aurei velleris ariete.

Phryso tandem Oetha filiam dedit in coniugem, puto ego Calciopem. Verum cum, oraculo dicente, audisset, ut sibi caveret ab Eoli prole, sciretque Phrysum Eoli nepotem, esto illi filiam in coniugem dedisset, et iam Phrysus ex ea filios suscepisset, sibi magis timens, quam genero parceret, ad evitandum periculum illi prenuntiatum, Phrisum interficit incautum. Quod autem hic fabulosum videtur et, si supra secundum opinionem Barlae expositum sit, libet aliorum sensum apponere. Sunt ergo qui dicant Phryso et Helli navem ad fugam fuisse paratam, cui aries aureus esset insigne. Eusebius autem dicit a Palefato affirmari arietem vocatum fuisse Nutritorem, per quem a novercalibus insidiis liberati sunt. Sed quid ergo diis seu Marti consecratum fuit a Phryso, si navis tantum aut nutritor aries fuit? Ego autem quod dicit Barlaam, aut verum aut veritati proximum reor. Et quod a matre illi sit aries apparatus, sic potest intelligi. Diximus enim supra eam non mortuam, sed in silvas aufugisse, que vivens potuit tanquam conscia filio revelasse thesauri locum, et sic arietem aureum preparasse. Marti autem ideo consecratus est aries, ut intelligamus reges congregare thesauros et servare, ut eis opitulantis volentes bellum possint inferre, aut a se instante opportunitate repellere. Scribit insuper Eusebius hoc, secundum quosdam, fuisse regnante Athenis Erichtheo, Argis vero Abante anno mundi III dcccxx; secundum autem alios, regnante Argis Pryto, anno vero mundi III dcccxlīii.

CAP. LXIX.

De Cythoro Phrysi filio.

Cythoros filius fuit Phrysi, ut in Cosmographya testatur Pomponius Mela. Dicit enim circa Parthemium amnem inter alias esse Cythosorum civitatem, a Cythoro Phrysi filio positam. Hic cum aliis Phrysi filiis, ut dicit Lactantius, Phryso occiso, intravit mare, ut ad Athamantem avum aufugeret, sed naufragio vexatus, ab Ensone Iasonis patre una cum fratribus susceptus est, nomina tamen fratrum non vidimus.

CAP. LXX.

De Learco et Melicerte filiis Athamantis.

Learcus et Melicertes filii fuerunt Athamantis ex Ynone Cadmi filia, ut supra dictum est. Hi, ut premonstravimus, parvuli periere; nam Eearcus saxo illis a patre obiit; Melicertes autem, cum se una cum eo Yno mater dedisset in undas, absorptus est. Aiunt tamen Venerem, misertam eorum, orasse Neptunum, ut numero deorum maris illos iungeret, quod factum est. Et ob id Yno Leucotoe vocata est a rupe, ex qua se deiecit in mare, Latine tamen Amatuta dicitur. Melicertes vero Palemon dictus est, qui Latine sonat Portunus, et veneratione precipua templis et sacris

ritu deorum culti fuere iamdudum. Servius autem dicit Melicer-tem a Boetia navigio Ithsmos adisse, eumque demum ab Ethyope rege susceptum et Ithsmia sacra, que in honorem Nep-tuni celebrabantur, facta Melicerthia. Et hinc est quod a Nep-tuno numero marinorum deorum ascripti sunt. Theodontius ad-dit causam dicens, quod cum Yno forma valeret et etate, et Me-licertes speciosissimus esset puer, et fugientes navigio devenis-sent ad Sysiphum, qui et Ethyops a non nullis vocatus est, ipsum Ethyopem in libidinem pronom eorum abusum fuisse concu-bitu, et in premium eius eos maris fecisse deos, et sic apparet Venerem pro eis interpellasse. Et alibi dicit idem Theodontius Ethyopem illos profugos portui prefecisse, eisque in cotidianos sumptus proventus omnes ex portu dedisse, et hinc illis nomina immutata.

CAP. LXXI.

Cur auctor Alexandrum Macedonem et Scipionem Africanum inter Iovis filios non apponat.

Poteram, si placuisset, tam amplissimi tercii Iovis proli duos illustres addere viros, Alexandrum scilicet Macedonem Asie do-mitorem, et Publium Cornelium Scipionem, cui concessum est et Hyspanias ab Affris occupatas recuperare, et ipsos Affros Ro-

manis subigere. Verum quoniam iam horum evo in dissuetudinem abisse videtur stultitia vetus illa, qua gloriabantur insignes fictionibus generi deorum ascribi, et illa advenerant secula, in quibus per virtutem claritas quereretur, hac extulisse illos fictione potius quam splendor, videretur ridiculum, omittendos censui. Preterea quod ambitione queritur atque fraude, aut taciturnitate respuitur, non satis iuste conceditur. Passus enim primo Alexander est fabulari Iovem anguis in specie cum Olympiade matre mixtum, et se genitum ex concubitu illo. Inde iam non contentus titulorum multiplicium, quos fortuna audacie sue favens splendori addiderat suo, quod satis vulgi fabula non videbatur quesitum, fraude Iovem in patrem sibi querere conatus est, sacerdotibus ad hoc Amonis Lybici subornatis. O insipidum incliti iuvenis desiderium! malle potius se ex adulterio quam ex connubio genitum, malle matrem habere incestuosam potius quam pudicam, malle draconis se filium credi, quam Phylippi clarissimi regis, et potius spurium quam legitimum arbitrari. O mortalium mentium, non solum inanis, sed detestanda gloria; is qui continue in oculis amicorum patiebatur mortalia, per mendaciorum fascinationes ab eisdem se immortalem existimari cupiebat insipide. Sed quid tandem? Hanc ob causam reicitur merito, ne fraude gaudeat, qui virtute poterat laudari. Scipio autem, etsi murmure vulgi diceretur a Iove in specie serpentis in cubiculo matris versato genitus, et ob id, et quoniam noctu eunti in Capitolium nunquam latrarent canes occurrentes, et eius etiam

operantibus meritis videretur augeri fabule fides, et si non negaverit, cum sapientissimus esset, confiteri nunquam voluit. Quam ob rem cum frivolo honori tacite renuntiasset videatur, non est meum illum eidem expresse concedere. Et sic cum nusquam alios Iovis compererim filios vel nepotes, et sibi fecerit prosapia finem, ego eque libello conficiam.

**GENEALOGIE DEORUM GENTILIIUM SECUNDUM
JOHANNEM BOCCACCIIUM DE CERTALDO
LIBER XIII EXPLICIT, ET INCIPIT LIBER XIII
EIUSDEM FELICITER.**

In quo auctor, obiurgationibus respondens, in hostes poetici nominis invehit.

Prohemium.

Orci domos opacas et celo remotissimas, animarum sontium sedes, esto titubanti gradu, divina tamen luce previa perambulavimus, et maris amplissimi non solum scabrosa litora, quin imo et insulas, vario sub sole iacentes, indefessa navigatione per circumitum quesivimus omnes, ac insuper eius profundissimos gurgites adeo perspicaci quadam indagatione sulcavimus, ut Neptunni ceruleas edes atque Prothei senis, et nynpharum choros et thalamos, ac etiam eiusdem pelagi beluas et agmina piscium, et fluminum viderimus capita. Post hec et urbes pleclaras, et umbrosa nemora, silvas invias, celsos montes et lubricas valles, atque abscondita rupibus antra, nec non et equora tractu longissima, ac solitudines ipso horrendas nomine peragravimus. Et quasi sumptis Dedali pennis, audaci quodam volatu in celum usque meditatione delati, Iovis aureum thronum, Solis auream

domum, deorum atria, templa ingentia gemmis et auro conspiciua, et consistorum Superum mira luce splendidum atque venerabile, et siderum claritates perpetuas et eorum flexus atque reflexus et admirabili compositos ordine motus prospeximus; et undique, o clementissime rex, iuxta promissum veteris naufragii, prout concessum est, desuper fragmenta collegimus, et in unum corpus, quaecunque sit, pro viribus ingenii nostri redegimus; adeo ut a Demogorgone, quem primum deorum omnium errantes prisci dixere, initio sumpto, per eiusdem successiones ordinate ad extremum usque Iovis tercii filium Eolum, eiusque Eoli Athamantem, et Athamantis Learcum et Melicertem filios deduximus, omni diligentia adhibita, ut tuum desiderium impleretur. At inde, ne in aliquo tuis votis videretur omissum, aut quos comperimus ex antiquis, aut quos mea sententia approbavi fictionibus cunctis sensus apposuimus, ut ipse, prestante deo, visurus es. Quibus sic peractis, quasi in quesitam a principio stationem seu sinum venerimus, suadebat quietis desiderium, ut in litus ex navigio prosilirem, et, sacro gratiarum deo exhibitori rite peracto, laborum victrici cimbe lauros apponere, et inde in exoptatum ocium ire. Attamen consilium longe probabilius menti desuper infudit deus. Monemur enim autoritate prudentum, ut ex preteritis, quid futurum sit, coniectura prenoscamus. Agitare quippe procellis infestis non nunquam in perniciem usque, nisi premunita sint, permaxima etiam consuevere navigia: quid ergo navicule futurum arbitrandum est, si medio in salo soluta et absque

gubernatore linquatur? Non ergo parvus adhuc superest labor, proresiis quippe alliganda est continenti et ancoris fundanda validis, ac etiam, quibus possumus, tegenda tutamentis est, ne ab ignitis strepentis etheris fulminibus exuratur, seu ab imbris mixtis grandine diluatur, aut a stridulo Aquilone, turbido Austro, furenti Euro, Lybico aliisque nullo perflantibus ordine scopulis aut litori illidatur, vel forsitan ab undis fluctuantibus absorbatur et pereat, quam sudore plurimo per Euripos et sonantia saxa, per maris estus et mille pericula incolumem itineris in finem usque deduximus. Que quidem tunc peregrisse reor, dum obiecta iam dudum aut obicienda in poesim et poemata ab hostibus poetici nominis rationibus veris retudero. Novi equidem et memini, quot et que ignari iam dixerint, non habentes in contrarium respondorem; et hinc, dum hoc perlegent opus, invidia infestante, quid in poetas et quid in me dicturi sunt, satis percipio. Labori igitur huic extremo, qui duobus voluminibus terminabitur, auxilium desuper fundat ipse pater optimus, qui rerum omnium alpha et ω , principium est et finis.

CAP. I.

Alloquitur auctor regem.

Veniet, opitulante Christo Ihesu, quoniam sic michi propositum est, o rex illustris, opus hoc, antequam alibi gradum flectat,

in sacras celsitudinis tue manus, ut, cuius iussu factum est, se primo illius exponat iudicio et eidem pro viribus prestat obsequium. Quod postquam benigne susceptum conspexeris omne, et sublimi ingenio tuo partes eius quascunque discusseris, existimo miraberis, quod in tam protensum volumen postulatum tue claritatis evaserit, quantumcunque ob librorum penuriam multis in locis non satis integrum putem. Et forsán legens latentes nuper sub rudi cortice sensus nunc productos in lucem, non aliter, quam si ex igneo globo recentes scaturire latices videas, mirabundus aspicias, teque ipsum modesta quadam delectatione laudabis, quod iam dudum de poetis vera arbitratus sis, eos scilicet non fabulosos simpliciter fuisse homines, ut invidi quidam volunt, sed eruditissimos quidem atque divino quodam animo et artificio preditos. Verum, collectis omnibus, qualis de opere toto tua existimatio futura sit, non satis certum habeo; hoc tamen mecum cogito te de corpore et membris, sola agente iustitia, sanam et integram laturum sententiam, ac etiam opinor, quia minus apta regia caritate tua redargues, et commendabis, que laudanda comperies. Magnum quippe, imo maximum hoc michi erit, et iam spe ipsa letor et gaudeo! Ceterum, cum iam visum illud in amicorum manus visendum tradideris, et tua licentia prodibit in medium, reor, non equa sic ab omnibus ponderabitur lance; nec novum hoc erit sub sole, trahit sua quemque voluptas. Preterea livor edax, letalis viventium pestis, adeo occupavit a primævo hominum pectora, ut rarissima, eo exurente, equa in quem

mavis prestantur iudicia. Quam ob causam in eum surgent rabido latratu plurimi, et quas comperient partes minus acri soliditate firmatas, morsu impio auferent et discerpent. Adversus quos, quorum ex veteri more iam verba et obiectiones ariolor, ut iam dixi, ne longus labor resolvatur facile et, ignitis agentibus spiculis, evolet in cinerem et favillam, oportunis responsionibus occurram necesse est. Oro tamen, ut et ipse, o rex optime, cui laboravi diu, una mecum generosum pectus opponas, securus, si feceris, hostes laboris nostri tanquam fumus in auras evanescent.

CAP. II.

Pauca adversus ignaros.

Concurrent, ut fit, ad spectaculum novi operis non solum vulgus ineptum, sed et eruditi convenient homines; et postquam undique prospectaverint, non dubitem, quin aliqui viri Sint probitate venerabiles et integre mentis atque scientie, qui, tua sequentes vestigia, commendanda laudabunt, et affectione quadam sacra minus probanda redarguent. Quibus ego benedicere, gratias agere, obsequium prestare, et eorum tenebor conlaudare iustitiam. Sed longe numerosior multitudo, corona in circumitu facta, in rimas minus bene compacti operis et quascunque mendas, si que erunt, impinget oculos, avidior vidisse, quid mordeat

quam invenisse, quid probet. Adversus hos michi superest bellum, michi arma sumenda sunt, et melioribus rationibus ut conculcem, necesse est. Sane non in totum simul agmen, nam circumventus forsitan opprimerer facile, sed distinctis aciebus, ut asuescant certamini manus et paulatim conterantur hostes, in debilius primo corripienda sunt iacula. Sunt hi, ut reliquum sinamus vulgus, homines quidam insani, quibus tanta loquacitas est et detestabilis arrogantia, ut adversus omnia quorumcunque probatissimorum hominum presummant clamoribus ferre sententiam, eos flocci facere, vilipendere et, si queant, turpi damnare sermone. Qui postquam boatu sonoro, quasi maximum suum predicent decus, se ydiotas confessi sunt, veluti nil amplius in suam ignaviam inici possint, summum bonum comesationibus, libidinibus, et inerti ocio vacare existimantes in ganeis atque lupanaribus spumantia vino pre se tenentes pocula et externa eructantes crapula, eruditorum hominum vigiliis, meditationes et studia, honestosque labores et modestiam spurcido ore damnare et suis obscenitatibus fedare conantur; ex quo fiet, ut, hoc viso opere, ridentes dicant: O insipidus homo, quantum dulcissime quietis, quantum temporis optimi perdidit, quantum frivoli laboris impendit, quot membranas amisit et incassum versiculos exaravit! Nonne satius fuerat amasse, potasse, dormisse, et tam grande tempus voluptatibus trivisse, quam has scripsisse nugas? Profecto, qui se prudentes haberi volunt, stultissimum genus hominum est, nam, perduto lucubrationibus tempore, antequam

diem unam letam sentiant, damnando probanda, in mortem concidunt equam cunctis. O sanum, o venerabile iudicium ex lenorum bachanalibus, ex senatu gnatonicorum, ex ganeis manducorum atque bibionum, ex meretricantium emissum fornicibus! Sed quid multa? Horum ego vituperationes illustrium virorum splendorum laudes arbitror, cum turpitudinis participem a turpibus laudatum existimem. Vadant igitur tales et cauponibus, lanistis, cetariis atque meretriculis gannientes applaudant, et somno vinoque marcentes, suas illis laudes ingerant et sapientes viros, eorumque labores in sua luce permittant, cum nil ignaro indecentius homine, nil indocto fastidiosius, ante quidem diem miserum atque caducum mortalitatis sue corpus, infelicis anime fecere sepulcrum. Hi quippe tam fetida olent infamia, ut rudientes asinos, grunnientes sues, mugientesque boves, sapientes possint cum patientia audire, eos audire non possunt. Eant iterum tales, et ventri deserviant, et, nedum alios reprehendere, sed apparere, si quando sobrii sunt, in conventu hominum erubescant!

CAP. III.

Adversus eos, qui, cum non sint, sapientes cupiunt apparere.

Prospectabit et hoc opus species hominum altera, moribus forte minus redarguenda priore, sed prudentia profecto non

maior. Et hi sunt, qui, ante visum scholarum limen, se, quia quandoque philosophorum quorundam audivere nomina, putant esse philosophos, seu si non putent, ut ab aliis credatur, exoptant, et quadam ficta gravitate verborum et morum ponderositate, visis aliquando non nullis libellis vulgarium, non nisi de apicibus rerum verba faciunt; et, ut existimentur, quod cupiunt, apud eruditissimos viros versantur, moventes persepe de sublimibus dubia, ut puta, qualiter tribus personis una tantum sit deitas, vel nunquid possit deus sibi similem facere, aut cur non ante per mille milia seculorum creaverit deus orbem, quam fecerit, et huiusmodi. Et dum responsa prudentum percipiunt, factis ratiunculis quibusdam frivolis in contrarium et auditis doctorum replicationibus atque conclusionibus, quasi non satis illis satisfactum sit, quatientes, si videantur, paululum caput, et torquentes cum cachinno faciem, et circumstantes etiam intuentes, non aliter quam si indulgeant reverentie respondentis, pretereunt. Et tandem, quod ex ore probatissimorum hominum intellectus eorum tenuis et remissus excepit, servavitque memoria, apud muliercularum textrinas, seu potius, si prestetur, in triviis, ignaro ascultante popello, uti ipsum deum consuluerint, post longum suspirium blaterantes emittunt, volentes ex hoc percipi, quod non absque labore plurimo, quod dixerint, ingenio et speculatione sua ex penetralibus divine mentis evulsum sit. Et ut omnino insipidis sapientes appareant, ampliatis sermonibus, non tamen eodem verborum contextu, quin imo nunc huc nunc illuc

per varias materias saltitantes, nec de aliqua concludentes, sed se auditoresque implicantes suos, ceu plenissime liberales artes noverint, quarum persepe nomina non noverunt, Priscianum, Aristotilem, Ciceronem, Aristarcum, Euclidem, atque Ptholomeum, aliosque circa has insignes viros stomacosa quadam dicacitate neglexisse demonstrant, se tractos aientes ad sublimiora theologie dulcedine. Sic et de moribus hominum et gestis heroum, ac de sacris legibus et institutis legumque latoribus. Et, si quando contingat poesis aut poetarum intrare colloquium, tanto cum fastidio illos et poemata, uti integre viderint omnia et despicienda cognoverint, damnant, vituperant, flocci faciunt, et a se eicere ostendunt, ut vix tolerare possint etiam imprudentes; et balbutientes aiunt Musas, Helyconam, Castalium fontem, et Phebi nemus, et huiusmodi delirantium hominum nugas esse et puerorum ad grammaticam esse preludia. Ex quibus fatuitatibus satis iam scio, quid, monstrum istud spectantes, in me, quid in opus meum, quid in poetas dicturi sint. Verum reor horum vecordie compatiendum potius quam rationibus obsistendum, nam, cum se ipsos non intelligant, longe minus alios intellecturi sunt; ignari sunt, et luce veritatis carentes, sensualitate duce se trahi permittunt. Quibus caritate mea, non eorum merito dixisse velim, ut, alienis omissis officiis, exerceant sua, et si hac glorie cupiditate agitantur, ut sapientes existimentur, scholas intrent, audiant preceptores, libros evolvant, vigilant atque discant, et palestras disputantium solertes visitent, memores, ne festini in doctoratum

evolent, pictagorici instituti, quo cavebatur, ne quis scholas eius intrans locuturus de philosophicis os aperiret, antequam per quinquennium audisset. Quod cum laudabiliter fecerint, et in bene meritum titulum venerint, si libet, in medium prodeant, predicent, disputent, redarguant et castigent, atque acri spiritu suis redargutoribus instent; aliter autem fecisse, non ostentatio sapientie, sed dementie est.

CAP. IV.

Quedam in iuris peritos, paucis de paupertate laudibus inmisticis.

Sunt et insuper homines quidam toga, aureis bullis et ornatu fere regio insignes, nec minus incessu et morum gravitate atque oris facundia spectabiles, magnis postergati clientum catervis, et ingenti auctoritate conspicui. Hi quidem sunt clarissimi legum preceptores et tribunalium presides, a quibus si rite exerceantur iura, frenantur hominum illecebres mores, extollitur innocentia, et, quod suum est, unicuique poscenti conceditur, quibus reipublice nervus non solum suis in viribus servatur, sed perenni iustitia augetur in melius; venerabilis ergo et precipuo honore dignissimi sunt! Sane quantumcunque aliorum purgent sua prudentia notas, una tamen labe fere polluti sunt omnes; auri cupiditate laborant, nec aliquid seu aliquem laude dignum putant, ni

fulgeat auro. Hos ego venturos existimo cum reliquis, ut prospectent, nunquid aliquid criminis operi nostro possint suis inferre legibus; nec me fallit, si morem sequentur veterem, quid obiecturi sint. Consuevere quidem, relictis rostris et pretoria exeuntes, et potissime, dum curis paululum soluti in conventum amicorum veniunt, si contingant inter loquendum fieri mentio poetarum, illos extollere laudibus, quoniam eruditissimi atque eloquentissimi fuere viri; tandem post multa absconditum sub melle venenum, non letale tamen, emittunt dicuntque eos parum fuisse prudentes, in quantum, tempus omne terentes, facultatem secuti sunt, ex qua post longos labores nulle consequuntur opes, super addentes ob hoc pauperrimos homines fuisse poetas, nullo splendore spectabiles, nullis opibus, nullo famulatu insignes, volentes ex his intellegi, quia non divites fuere, nullius pretii eorum extimanda facultas sit. Que quidem verba una cum abscondita conclusione facile audientium animos <intran>, cum omnes in avaritiam prони simus, et stulta credulitate arbitremur summum bonum possidere divitias. Hac ergo impulsī peste, autumo, si laborem inspexerint nostrum, eos post multa dicturos opus scilicet pulchrum, sed supervacaneum, et inutilem sudorem meum, eo quod minime tendat, quo ceterorum mortalium labores intendunt; et sic non solum adversum me apparebit eos dixisse sententiam, sed ex consequentia quadam tanquam summum et detestabile malum una cum opere poetas cum paupertate dam-

nasse videbuntur. Pia quippe, et humanitati conformis atque opinionioni vulgari, hec videtur obiectio, et gratiarum actione dignissima, dummodo ex fonte caritatis exundaret in medium; verum, quoniam ex offuscato appetitus inepti iudicio sumit originem, ridenda est atque abicienda, et eorum prurigini compatiendum. Et quoniam dignitati talium insuper deferendum est, ne se posterगतos existiment, obiectionem eorum verbis amplioribus in suos ortus vertendam puto. Confitebor igitur sponte, quod dictum est, poesim nullas afferre substantias, et poetas pauperes fuisse, si pauperes dici debent, qui ultro sprevere divitias; stolidos autem fuisse non confitebor, eo quod poesis studium secuti sint, cum prudentissimos arbitrarer, si verum deum catholice cognovissent. Nunc reassumendo, ne confessione mea tam ultro-ne videar absolute obiectioribus tanquam victoribus aream liquisse certaminis, et obiectionem primam deducamus in medium. Dicunt igitur splendidi legum interpretes poesim nullas afferre divitias, volentes ob id, ut satis percipi potest, eam ab imitandis excludere, quasi nullius inter scientias reliquas sit momenti. Equidem, ut iterato dixerim, certum est poesim nullas afferre divitias; non tamen assentio, ut isti volunt, hoc sua ignobilitate contingere, verum quia speculativarum disciplinarum non sit officium tale aut intentum, sed mechanicorum artificum seu feneratorum, quorum in hunc finem omnis tendit intentio, qui, ut cito veniat, nil gratis penitus operantur. Sic, et causidici, qui hinc ex delictis hominum, inde ex legum peritiis sibi officinas

construunt, in quibus venalis lingue malleo numismata cudunt, et aurum ex miserorum lacrimis verbositate conficiunt, quod poesis, genere memor originis, omnino abhorret et renuit. Ex quo si damnanda aut parvi pendenda est, nullius una secum pretii erit philosophia, rerum magistra, et cuius opere entium causas discimus; nullius eque theologia, cuius demonstrationibus rite deum cognoscimus, quibus nullum unquam querendi thesauros fuisse studium audiui. Si nesciunt isti, poesis maioribus vacat, nam, cum celos inhabitet divinis inmixta consiliis, paucorum hominum mentes ex alto in desiderium eterni nominis movet, et sua pulchritudine in sublimes cogitationes impellit, tractisque inventiones peregrinas ostendit, atque ex ingeniis egregiis sermones exquisitos emittit. Et, siquando, placidis vocata precibus et sublimi sede descendit in terras, sacris comitata Musis, non celsa regum palatia, non molles deliciosorum domos exquirat habitatura, verum antra atque praecepta montium, umbras nemorum, fontes argenteos, secessusque studentium, quantumcunque pauperrimos et luce peritura vacuos, intrat et incolit; quod alibi forsitan plenius ostendetur, exigente materia. Et sic, cum etherea sit atque perennis, nullum sibi cum perituris commercium est, splendoresque manu factos, tanquam futiles et inanes, parvi facit et renuit, ac suis contenta bonis non curat aggregare divitias. Post hec ex iam dicta positione subnectunt, minus prudentes fuisse poetas, qui tale secuti sunt dogma, ex quo nulle sequacibus consequantur opes. Quibus ut responsum sit, reor plurimum

prudētis opus circa eligēda consistere, et ideo hos convenire velim, quis in eligēdo prudētiōr merito habēdus sit, iuridicus an poeta. Edepol prudētiū actum puto elegisse trahentē ad sublimia mentem, quā ad terrestria deprimentē, stabilem quā casurā, <que> longevum bonum prestat, quā quē brevissimum exhibet. Elegere poete scientiā, inter sydera, inter deorum sedes ornatusque celestes suos continua meditatione trahentē; nunquid hoc verum sit, testimonium reddant ipsa vatum poemata, impulsu trahentis eleganti stilo poetarum descripta calamo. Causidici vero, legum facultatem secuti, sola scriptorum valent memoria non ex ingenio, sed ex literis legum latorum iura reddentes; nec putandum est, ut satis videri potest, eos insistere circa excelsa aut semota nature, ut puta, nunquid recta aut transversa via sol ab Yndis petat Hispanos, qui imo, nunquid hereditario iure seu enphiteotico potius vel precario Titus vel Sempronius occupet agellum, nunquid certum debitum aut usurarium dicendum sit, nunquid ardens femina solvi posset a frigido viro. Magna sunt et egregia hec et ex gremio nature sublata! Preterea poesis, quā pauperes preelegere poete, stabilis est et fixa scientia, eternis fundata atque solidata principiis, ubique et omni tempore eadem, nec ullis unquam concussa motibus. Leges autem non sic; non equo iure vivit cum Ethyope Sauromata, non eadem legum autoritas bello laborantibus atque leta pace quietis. Nec non augent, sepe minuuntque plurimum potestatis instituta municipalia legibus constitutionesque regnorum;

facit illas indictum iustitium mutas. Senescunt etiam et moriuntur aliquando, nam non nulle iam dudum in pretio fuere permixto, que evo nostro aut neglecte sunt, aut omnino abolite; et sic non idem semper sunt, ut comperta poesis. Ex quibus, ne plura dicam, satis patet facultatem legum non scientiam esse dicendam; et quantum presit scientia facultati, prudentes noverunt tam veteres, quam moderni. Insuper longevum bonum prestat imitatoribus poesis, si bonum dicendum est, quod omnes optare videmur, vitam scilicet fama saltem, si non detur aliter, in longum evum deducere; nam, ut liquido constat, fere immortalia sunt cum nomine componentis carmina poetarum. Iuriste vero, etsi paululum splendeant vestibus, sepiissime moritur cum corpore nomen. Breve est valuisse per seculum, si secula numerentur Homer! Et, ut in optatum veniam, nulli videbitur dubium erudito prudenter elegisse poetas, ubi minus iurisperiti in electione fuere prudentes, insipientes effecti, dum, quod suum est vitium, conantur in inmeritos retorquere. Pauperrimos fuisse poetas, ex eodem, quo supra, fonte aurientes, pleno effundunt ore, et potissime, cum ipsi ditissimi sint legiste, quasi infamis sit et detestabilis paupertas. Manifestissimum equidem est iurisperitos ex alienis lacrimis, ex alienis erumnis, ex alienis periculis et persepe miseris, ut iam dictum est, auri multum conflasse, et inde palliatos, fimbriatos, varia tectos pelle, aureis coruscos clavis, longa post tergum clientum comitante caterva, cum sic mortalium velit dementia, incedentes. Sic poetas non ignavia sua, sed

innocentia et quia volunt, pauperes fuisse negari non potest, sed, quod isti minime volunt, spectabiles insigni atque perenni claritate fuere; quod exemplis ostendisse non erit difficile. Certum habemus Homerum adeo inopem extitisse, ut non esset illi, luminibus capto, unde sumptus puero duci posset impendere. Sed expecta paxillum et videbis, nunquid hec fuerit ornata paupertas. Superato Dario, potentissimo atque ditissimo Persarum rege, ab Alexandro Macedone, eius in medium venere iocalia, inter que capsula aurea comperta est, artificio et ornatu pretiosissima Hec tam regis quam procerum consensu unanimi non Alexandri iocalibus, sed Homeri voluminibus servata est. Quis unquam tam splendidus faleratis iuristis honor impensus est? Sarsinate Plauto bonorum fortune pauperior nemo fuit. Egestate quippe, ut honeste ventrem pascere, ad molas manuarias pretio fatigabatur die; noctes in componendis comediis ducebat insomnes, quarum numerositas et artificium egit, ut laurea, victorum atque triumphantium imperatorum insigne precipuum, non parvi penderet eius, quantumcunque pauperis, ambire comas. Cuius odor et viriditas in eius nominis decus perseverat usque in hodiernum, ubi legum interpetrum birreta, auro non prohibente, mures et tinee consumpsere. Emnio insuper, Brundusino homini, clarissimo tamen vati, adeo tenues fuere substantie, ut in Aventino unius tantum ancillule contentaretur obsequio; cuius servitorum penuria honorum habundantia restaurata est. Ex quibus, cum de se famosissimus homo sit, unum tantum apposuisse michi sufficiet.

Huius enim, cum diem clausisset, corpus Scipiones, quorum fuerat amicitia usus, suo sepelire sepulcro voluere, non abspernantes Brundusini hominis cineres Corneliorum misceri cineribus. Preterea quis Maronem Virgilium pauperem et lutifiguli filium non audivit? Fuit ille non amplius in bonis quam patrius agellus unus apud vicum Anden, cui dicunt Piectola hodierni, haud longe Mantuam, non absque litigio possessus. Cuius agentibus studiorum meritis, Octaviani Caesaris, orbi toto presidentis, amicitia usus est; a quo, cum iussisset moriens Eneidam igne cremari, ut servaretur poema egregium, omnis legum autoritas pedibus calcata est, et eleganti carmine iussum servari colique. Quis, precor, legistarum, quantumcunque splendentium yndicis lapillis et auro, honor tam magnificus a tam glorioso principe impensus est? Veniebant insuper plurimi leta paupertate et honoribus equis conspicui, sed exemplis finis imponendus est, cum tam his quam premonstratis rationibus satis ostendisse arbitrer poetas prudentes et, quantumcunque pauperes, splendidos etiam fuisse, eosque perenni vivere fama, ubi causidicorum opes et nomina tanquam fumus in auras abiere, nec non eisdem rationibus demonstrasse opus hoc, si valent poemata, minime supervacaneum esse, nec sudores meos frivolos componendo. Nunc autem post hec libet paululum exire limen, si forte queam obloquentium in paupertatem frenare impetum. Est igitur paupertas, quam multi fugiunt tanquam importabile malum, ut vulgo placet, caducorum bonorum paucitas, esto ego existimem eam

animi egritudinem fore, qua etiam habundantes persepe laborant. Prima quippe, si desiderio careat augendi, placida atque optabilis est, et eius infinita sunt comoda; secunda vero pacis et quietis hostis est, misere crucians mentes, quibus inhabitat. Prima poetarum fuit, quos isti pauperes volunt, eis quippe, dum modo esset, quod vite sufficeret, satis erat. Hac enim duce libertatem volentes consequimur, animi tranquillitatem et cum his laudabile ocium, quibus mediis viventes in terris gustamus celestia. Hec in solido sita est, nec fortune, mundana versantis, minas aut iacula timet: fulminet ether desuper, concutiat ventorum impetuosa rabies orbem, inundent campos himbres assidui diluant flumina, sonet classicum, tumultuosa oriantur bella, discurrant predones undique; hec, ruinas ridens et incendia, dulci securitate letatur! Hec oraculo Apollonis in persona Aglai Sofidii, parvi possessoris agelli, thesauris Gigis regis prelata est. Hac delectati, poete ornare virtutibus animum, meditationibus vacare celestium, altisonis carminibus poemata texere, et nomen sibi perpetuum querere potuere. Hac delectatus, Dyogenes, sui evi splendidissimus Cynicorum princeps, divitias, quarum habundantissimus erat, omnes potuit largiri volentibus atque largitus est, doliumque, quasi versatilem domum, quam palatia habitare maluit et lactucas silvestres, suis lotas manibus, manducare, quam Dyonisio adulari, ut tuccetis uteretur regiis; hec voluntaria rerum abiectio et claritas studiorum ad se visendum evocasse

potuere superbum iuvenem atque iam animo orbis tenentem imperium, Alexandrum Macedonem, eius amicitiam exquirentem et frustra munera ingentia offerentem. Hac delectatus, Xenocrates ortulo contentus modico, eiusdem iuvenis animum movisse potuit in desiderium benevolentie sue, quam insigni legatione atque donis regiis postulavit. Hac delectatus, Democritus patrios agros et innumerabiles opes rei publice Atheniensium ultro concessit, satius ducens cum paupertate studiorum libertati letari, quam opum servili cura vexari. Hac delectatus, Anaxagoras, dulcedine tractus philosophie, potuit ingentia predia neglexisse, asserens, quoniam se ipsum perdidisset, si illa colere voluisset. Huius opere Amiclas, pauper nauta, nocte in litore solus clamantem Cesarem, cuius vocem superbi timebant reges, ad hostium gurgustioli atque pulsantem audivit intrepidus. Sic et pauper Arruns, flagrante Ytalia omni civilis belli incendio, inter marmoreos Lune montes, celi, solis luneque prospectans motus, stetit impavidus. Hec non intuentur, qui paupertatem lacerant fugiuntque. Dicant, oro, si oportuisset Homerum de re agraria cum villico litigare, aut de domestica a curatore domus rationem exigere, quando Yliacum excogitasse carmen et nomen suum claritate sydereis floridum in hodiernum usque protendere potuisset? Quando Virgilius, quando reliqui poeticam cum paupertate sectantes? Non ergo illam spreverint amicti purpura, eo quod palliastro tenui tecta procedat, nam rite studentium prima gloria est,

nec solam dicant incedere, aut sordidam squalentemque vocitent. Nescio ego, imo scio, quid referat corpus ornasse vestibus aureis, si mens vitiorum labe sordescit. Est, si non advertitis, paupertas hec celestibus ornata delitiis, quas videre non possunt oculi nebulis avaritiae offuscati. Nec, ut arbitrantur anxia comitatus turba, sola procedit; hanc vates semper, laureis insigniti, prosequuntur, hanc imperatores, palmatis induti tunicis; eam quippe saepe nominatus Homerus, Eschylus, Euripides, Ennius, Terentius, Virgilius, Flaccus alique plures divinis ornavere carminibus. Sic Camilli, Quintii, Curtii, Fabritii, Scipiones, Catonesque, invidia olim et gloria facinorum quam auro ditiores, hanc miris ornavere triumphis, eam excelsis preposuere regibus, Orbisque prefecere imperio. Sic ergo sociatam, sic ornatam solam squalentemque dicent periti iuris incedere? Supererant multa, quae dicerem huius in laudem, nisi in eam, qua laborant plurimi, qui se divites arbitrantur, me desiderium traheret. Secunda igitur paupertas eorum profecto est, qui eam tanquam hostem conantur effugere, non advertentes, dum maiori conatu sequuntur divitias, proruant huius paupertatis in gremium. Precor, quid aliud paupertas est quam summa in habundantia angere desiderio congregandi? Tantalum ne divitem dicam, si cibus circumdatus et poculis fame sitique pereat? Absit, pauperrimus habendus est! Sed concedamus legistis nostris opulentiam Darii, et, quid exinde voluptatis possint assumere, videamus. Si experientiae credimus, assidue ardentique semper premuntur sollicitudine, qui divites

nuncupantur. Si appareat in aere nubecula, confestim pluviam suspicatur, et timet anxius, ne nimia corrumpantur sata; si ventus excitetur, ne evellat arbusta aut edificia impellantur, pavescit; si suscitetur in terris incendium, ne in suas evolet edes, timore labascit; si bellum nascatur, armentis gregibusque superiminere rapinam miser ariolatur: si concordia ex litigiis oriatur, tanquam suum infortunium ingemiscit. Amicorum invidiam, latronum astutiam, raptorum violentiam, affinium insidias, tumultus civicos, secordia vexatus assidua, expavescit. Possem superaddere multa, que non solum divites hos vere pauperes faciunt, sed egenos. In lubrico posita fortune sunt bona, nullo certo firmata subsidio! Desistant ergo in bene meritos insultum facere miseri, et in memoriam revocent, quoniam nec divites nec sapientes faciant, que humeris baiulantur, sed quod sacro servatur in pectore; credantque stolidissimum arbitrari, si oportune essent divitie, tam sevam rerum naturam fuisse aut inmitem deum, ut nudos nos in evolantem vitam transmittere voluissent. Paucis natura hominum contenta est, et hec affatim apposita sunt, nobisque nullo nostro labore concessa, et sic, si velimus, non esse pauperes possumus. Preterea homines virtutibus ornari non palliis. Queso igitur hos morum humanorum frenatores egregios, poetas in pace sinant; nil enim eis cum poetis comune est, quo eorum possit occupari ius. Poete in secessu carmina sua canunt, iuriste turbelis inmixti et frequentia fori apud rostra litigia clamant; illi gloriam et inclitam famam, aurum isti desiderant; illos

taciturnitas atque ruris solitudo delectat, hos pretorium, tribuna-
lia, et litigantium strepitus; illorum pax amica est, horum que-
stiones et litigium. Et si precibus meis acquiescere nolint, acquie-
scent saltem auctoritati Solonis, amplissimi legum latoris, qui, de-
cem perfectis tabulis, secessit, omissis legibus, in poesim, alter
profecto futurus, si longior vita fuisset, Omerus.

CAP. V.

Qui sint, et quam multa quidam poetis apponant.

Est preterea, o serenissime regum, ut tu longe melius nosti,
divino munere domus in terris, composita ad instar celestis con-
cili, sacris tantum studiis dedicata. In hac sublimi in solio ex dei
missa gremio phylosophia, rerum magistra, presidet augusta fa-
cie et divino splendore conspicua, regiis induta vestibus et aurea
insignita corona, nec aliter quam mortalium imperatrix, cum pre-
mat sinistra libellos, dextra regale baiulat sceptrum, et diserto
sermone audire volentes, qui sint laudabiles hominum, mores,
que nature parentis vires quid verum bonum et celestia docet
arcana. Quam si intres, non est dubium, quin sacrarium omni
reverentia dignissimum videas, et, si circumspexeris, quicquid
humana possunt agere studia, quicquid ingenia speculari, quic-
quid comprehendere intellectus, videbis liquido, et adeo mirabe-

ris, ut tecum dicas unum totum continens domum esse, imo ipsam fere divine mentis effigiem. Et inter alia, summa veneratione dignissima, sunt ibi post dominam celsiore in sede locati homines, non multi tamen, mites aspectu atque eloquio et morum etiam gravitate, tanta honestate atque vera humilitate spectabiles, ut credas deos potius quam mortales. Hi iam presidentis dogmatibus pleni, abunde aliis ingerunt, que noverunt. Est et alia multitudo perstrepens variarum quidem hominum spetierum, ex qua non nulli, omni abiecta superbia, vigiles mandatis insistunt, si forte studio queant in altiore devenire gradum. Alii vero sunt, qui, fere rerum principiis auditis, elato animo in vestes imperatricis uncas iniciunt manus, et, acri violentia quibusdam surreptis particulis, et variis insigniti titulis, quos non nunquam venales comperiunt, non aliter quam si mentem omnem divinitatis perceperint, fastu quodam inflati, ex sacra se proripiunt ede, quanto tamen cum detrimento insipientum, prudentes advertunt. Hi autem, adversus quascunque bonas artes coniuratione unanimi facta, ante alia conantur fingere bonum virum, exterminant autem facies suas, ut appareant vigilantes, incedunt insuper deiectis in terram oculis, ut nunquam a meditationibus separari videantur; tardo tamen feruntur gradu, ut sub pondere sublimium speculationum nimio ab insipidis titubare credantur; honesto vestimentorum utuntur habitu, non quia mens honesta sit, sed ut ficta sanctitate decipiant; perrarus est illis sermo gravisque, rogati, non absque premissio suspirio et tempusculo interposito ac

elevatis in celum oculis paululum responsa concedunt, volentes ex his a circumstantibus arbitrari, quia ex longinquo supercelestium sanctorum arcano non absque difficultate verba deducant in labia, que dicturi sunt. Pietatem, sanctitatem et iustitiam profitentur, prophetico persepe utentes verbo, scilicet zelus domus dei comedit me. Hinc ad ostentationem sue admirande scientie procedentes, que non noverunt, omnia damnant, nec frustra; faciunt enim, seu ut non interrogentur, de quibus respondere nescirent, seu ut tanquam vilia et minora et a se cognita despexisse atque neglexisse videantur, et vacasse maioribus. His autem, decipulis captivatis insipientum iudiciis, civitates ambire, secularibus se miscere negociis, consilia prestare, connubia tractare, comensationibus interesse, testantium dictare tabulas, testamentorum executiones assummere, et multa minus philosophos decencia agere presumptuose incipiunt atque proseguuntur. Ex quibus fit, ut in fumosam vulgi famam quandoque deveniant, ex qua tanta tumiditate turgescunt, ut incedentes cupiant a vulgo digito monstrari, et longe magis audire, quia pregrandes magistri sint, videre, quod eis assurgant presidentes in triviis, eos Rabi vocitent, salutent, invitent, preponant, atque preficiant. Ex his, omni consideratione seposita, audent omnia, nec verentur in alienas messes falces inmittere suas; ex quo fit, dum cetera preter sua ignominiose deturpare conantur, interveniat aliquando de poesi et poetis colloquium, quorum audito nomine, tanto repente accenduntur furore, ut igneos oculos illos habere diceres,

nec possunt consistere, fremunt agunturque impetu; demum, quasi adversus eos, non aliter quam in letales hostes coniuratum sit, nunc in scolis, nunc in plateis, nunc in pulpitis, auscultante non nunquam vulgo inertis, in eos insano clamore prorumpunt, ut non de innocuis tantum, sed et de se timeant circumstantes, et aiunt, poesim omnino nullam aut futilem facultatem atque ridiculam, poetas homines esse fabulosos, imo illos, ut despectiori utantur vocabulo, non nunquam fabulones appellant, rura, silvas et montana colentes, eo quod moribus nec urbanitate valeant. Preterea eorum poemata esse dicunt obscura nimis atque mendacia lasciviis plena et deorum gentilium nugis atque ineptiis referta, asserentia Iovem, quendam adulterum et spurcicum hominem, nunc deorum patrem, nunc celorum regem, nunc ignem, nunc aerem, nunc hominem, nunc taurum, nunc aquilam, et huiusmodi inconvenientia: sic et Iunonem et alios infinitos, eos multorum nominum celebres facientia. Mentium insuper seductores clamitant esse poetas ac suasores criminum, et, ut turpiori, si possint, conmaculent nota, predicant eos phylosophorum symias esse; firmantes inde, poetarum libros legisse aut tenere, pregrande piaculum, ac, nulla facta distinctione, autoritate, ut aiunt, fulciti Platonis, eos nedum e domibus, sed ex urbibus esse pellendos, et eorum scenicas meretriculas, Boetio approbante in exitum usque dulces, detestabiles fore atque eiciendas et renuendas omnino! Quid multa? Longum nimis esset omnia in medium

deducere, que illis exitiale odium, infestante invidia, dicenda furentibus parat. Ad hos tam celebres iudices, tam equos, tam mites, tam favorabiles satis credendum est, o princeps inclite, deveniet opus nostrum, quod, scio, circumdabunt more leonis famelici, ut inveniant, quid devorent, et, quoniam omne poeticum est, non expecto mitiorem sententiam, quam irati fulminent in poetas, nec scio, quibus spiculis pectus opponam nisi eis, que vetus odium demonstravit; illa conabor repellere. O bone deus, sis tam indiscretis, tam inconsideratis clamoribus obvius, et horum dementium obsiste furori! Et tu etiam, rex optime, quoniam ad triarios ventum est, generosi pectoris tui viribus assis, fer opem militanti tibi, nunc animis opus est, nunc pectore firmo! Acuta et venenata, nec modici roboris tela istorum sunt, nam, si inepte sint iudices, alias tamen valent; et ideo horreo et tremesco, nisi deus primo, qui non deserit sperantes in se, et tu inde faveris. Tenues michi vires sunt, et ingenium debile, sed spes ingens subsidii, qua fretus, in eos irruam, comitante iustitia.

CAP. VI.

Poesim esse utilem facultatem.

Gymnasium pusillus intraturus homo has adversus giganteas moles, firmantes autoritate, qua possunt, aut nullam aut futilem

facultatem fore poesim, si perconter ante alia, quidnam sit poesis, seu circa quod eius versetur officium, nil aliud fecisse reor, quam, in scirpo quesisse nodum. Sed quoniam faciendum est, queso, ut id aperiant hi facultatum omnium preceptores egregii, ut appareat, circa quod nostrum velit versari certamen. Scio, obstinata fronte, nullo unquam perfusa rubore, ridentes inquam, quod paulo ante male dictum est. O bone deus assis, et has ridiculas obiectiones adverte, et in melius eorum dirige gressus! Dicunt igitur, damnantes poesim, eam omnino nullam esse. Quod si sic est, scire velim, unde iam dudum tot illustres viri sibi poete quesivere nomen? Unde poematum multa volumina? Unde nomen hoc poesis exortum est, si poesis nichil est? Certe, si responsuri aliquid sint, per ambages ituros reor, cum nil queant iure respondere, quam quod adversum inanem positionem suam sit. Certissimum enim est, ut post hec suo loco monstrabitur, hanc, ut cetere discipline, a deo, a quo sapientia omnis, initium habuisse; et, uti relique, ab effectu nomen sortita est, a quo demum celebre poetarum nomen derivatum, et inde poematum a poetis. Quibus stantibus, non omnino nichil, ut aiebant, videbitur esse poesis. Que si scientia est, quid inquam sophyste clamosi? Credo, paululum retrahent pedem, vel potius, in secundam obiectionis partem ob disgregativam copulam transvolantes, inquam: Si facultas est, futilis facultas est. O ridiculum rancidulum, satius tacuisse fuerat, quam verbis frivolis in errorem sese precipitasse maiorem! Nonne vident ignari ipsum nominis

huius, facultatis scilicet, significatum semper aliqualem plenitudinem demonstrare? Sed de hoc alias. Et queso exprimant elegantes hi viri, quo iure poesis facultas dicenda sit futilis, cum eius instigatione, opitulante divina gratia, tot extant clara volumina, tot memoranda poemata, tot inventa perlucida atque peregrina? Omutescent, equidem, si patietur inanis ostentationis uredo. Sed quid? Omutescent, dico? Mori mallent quam veritatem nedum extremis labiis, sed taciturnitate fateri! In diverticulum aliud irruent, et suo interpretantes iudicio dicent hunc adiectivum futilem intelligendum fore damnosam atque detestabilem, eo quod poemata, a poesi venientia, deorum suorum cantent illecebra et infanda suadeant. Esto possit hec interpretatio reprobari, cum futile non sit, quod est illecebris plenum, poterat tamen equo animo tolerari, si, quod ob eam volunt, posset ratione fateri, cum confitear ultro non nulla fore poemata id, quod asserunt, exprimentia; quam ob rem vicissent, si mala species posset bono derogare generi. Sed deprecor, si Praxitiles aut Phydias, sculptura doctissimi, impudicum sculpserint Pryapum in Yolem nocte tendentem potius quam spectabilem honestate Dianam, aut si pingat Apelles, seu noster Ioctus, quo suo evo non fuit Apelles superior, Martem seu Veneri inmiscentem potius quam Iovem diis ex throno iura prebentem, has artes damnandas fore dicemus? Stolidissimum esset fateri! Lascivientium quippe ingeniorum culpa hec est. Equo modo iam dudum non nulli fuere poete, si tales poete dicendi sunt, qui seu ratione questus, seu ad gratiam

populi promerendam, sic eo exquirente seculo et illecebri suadente lascivia, qui, honestate omissa, in has ineptias corruiere. Que quidem damnande, detestande et abiciende sunt, ut latius post dicetur. Ob hoc tamen quorundam fingentium scelus non est universalis damnanda poesis, a qua tot in virtutes suasiones et poetarum monita atque documenta legimus, ab his, quibus cure fuit celestes meditationes sublimi ingenio, ac summa cum honestate, et stili atque verborum ornatu describere. Sed quid multa? Est non solum aliquid, sed scientia veneranda poesis, et, ut sepius in precedentibus visum est et in sequentibus apparebit, non inutilis, sed succiplena facultas est, sensus volentibus ex fictionibus ingenio premere. Et sic patet, ne longius protrahamus sermones, primo certaminis ingressu, duces hos terga dedisse, eosque modico labore nostro aream liquisse duelli. Sed, quid poesis sit, explicandum est, ut ipsi videant, quam stolide opinentur illam futilem facultatem.

CAP. VII.

Quid sit poesis, unde dicta, et quod eius officium.

Poesis enim, quam negligentes abiciunt et ignari, est fervor quidam exquisite inveniendi atque dicendi, seu scribendi, quod inveneris. Qui, ex sinu dei procedens, paucis mentibus, ut arbi-

tror, in creatione conceditur, ex quo, quoniam mirabilis sit, rarissimi semper fuere poete. Huius enim fervoris sunt sublimes effectus, ut puta mentem in desiderium dicendi compellere, peregrinas et inauditas inventiones excogitare, meditata ordine certo componere, ornare compositum inusitato quodam verborum atque sententiarum contextu, velamento fabuloso atque decenti veritatem contegere. Preterea, si exquirat inventio, reges armare, in bella deducere, e navalibus classes emittere, celum, terras et equora describere, virgines sertis et floribus insignire, actus hominum pro qualitatibus designare, irritare torpentes, desides animare, temerarios retrahere, fontes vincire, et egregios meritis extollere laudibus, et huiusmodi plura; si quis autem ex his, quibus hic infunditur fervor, hec minus plene fecerit, iudicio meo laudabilis poeta non erit. Insuper, quantumcunque urgeat animos, quibus infusus est, perraro impulsus commendabile perficit aliquid, si instrumenta, quibus meditata perfici consuevere, defecerint, ut puta grammaticae precepta atque rethorice, quorum plena notitia oportuna est, esto non nulli mirabiliter materno sermone iam scripserint et per singula poesis officia peregerint. Hinc et liberalium aliarum artium et moralium atque naturalium saltem novisse principia necesse est; nec non et vocabulorum valere copia, vidisse monimenta maiorum, ac etiam meminisse et hystorias nationum, et regionum orbis, marium, fluviorum et montium dispositiones. Preterea delectabiles nature artificio so-

litudines oportune sunt, sic et tranquillitas animi et secularis glorie appetitus, et persepe plurimum profuit etatis ardor, nam si deficient hec, non nunquam circa excogitata torpescit ingenium. Et, quoniam ex fervore hoc, ingeniorum vires acuate atque illustrante, nil nisi artificiatum procedit ars ut plurimum vocitata poesis est. Cuius quidem poesis nomen non inde exortum est, unde plurimi minus advertenter existimant, scilicet a poio pois, quod idem sonat, quod fingo fingis, quin imo a poetes; vetustissimum Grecorum vocabulum Latine sonans exquisita locutio. Nam primi, qui, hoc inflati spiritu, exquisite rudi adhuc seculo cepere loqui, ut puta carmine, tunc omnino loquendi genus incognitum, ut sonorum auribus audientium etiam videretur, illud pensatis moderare temporibus, et, ne delectationem nimia brevitate subtraheret, aut longitudine plurima luxurians tedium videretur inferre, certis mensuratum regulis atque infra diffinitum pedum et sillabarum numerum coercuere. Sane quod ex hoc tam accurato dicendi ordine prosilibat, non dicebatur poesis amplius, sed poema. Et sic, ut iam diximus, tam arti quam artificiato ab effectu nomen consecutum est. Inquient forsani isti obiurgatores perlucidi, et si dixerim scientiam hanc ex dei sinu recentibus adhuc animabus infundi, se nolle verbis meis satis prestare fidei, quibus satis roboris equis animis, que videmus assidue, poterant prestitis, sed adhuc egemus testibus. Si ergo legerint, quid Tullius Cicero, homo phylosophus non poeta, dixerit ea in oratione, quam apud senatum habuit pro Aulo Licinio Archya, in fidem

forsan faciliores devenient. Dicit enim sic: Atque sic a summis hominibus eruditissimisque accepimus. Ceterarum rerum studia et doctrina et preceptis et arte constare, poetam natura ipsa valere, et mentis viribus excitari, et quasi divino quodam spiritu inflari etc. Ergo, ne orationem longius protraham, satis apparere potest piis hominibus poesim facultatem esse, et ex dei gremio originem ducere, et ab effectum nomen assumere, et ad eam insignia atque fausta multa spectare, quibus ipsimet negantes utuntur assidue. Si querant, ubi vel quando, in promptu est; fateantur ipsi quo duce, cuius opere fictiones suas ipsi componant, dum scalas gradibus distinctas in celum erigunt, dum proceras arbores ramorum fecundas eque ad astra producunt, dum montes in excelsum usque circumitionibus ambiunt? Dicent forsitan ut huic a se incognite detrahant, quo utuntur rethorice opus esse, quod ego pro parte non inficiar. Habet enim suas inventiones rethorica, verum apud integumenta fictionum nulle sunt rethorice partes; mera poesis est, quicquid sub velamento componitur et exponitur exquisite.

CAP. VIII.

Qua in parte orbis prius effulserit poesis.

Si, mi rex, qua sub celi plaga, quibus seculis, cuius opere hec primo comparuerit in terris, exquiras, vix credo satis certum

posse dari responsum. Quidam autem extimantes sunt, hanc cum sacris et ceremoniis veterum originem habuisse et sic apud Hebreos exortam, eo quod ab eis primo deo sacrificium oblatum sacre testentur lictere; in quibus legitur Caym et Abel, fratres et primos orbe natos homines, deo sacrificasse; sic et a Noe, undis cataclismi cessantibus, eo arcam exeunte, deo sacrum fuisse confectum; preterea et ab Abraham, superatis hostibus, dum Melchisedech sacerdoti vinum obtulit atque panem. Sane cum ex his quod queritur non summatur, dato vaticinantes potius quam probantes asserant minime arbitrandum sacra hec absque ulla verborum prolatione confecta, subiungunt a Moyse, cum sicco pede una cum populo Israel Rubrum superasset mare integre peractum, cum legamus eum sacra et sacerdotes et tabernaculum, ad instar futuri templi erectum, et orationes, quibus placaretur divinitas, invenisse. Quibus inspectis videbitur non ante Moysis, ducis Israelitarum, tempus poesim apud Hebreos habuisse principium. Qui quidem circa finem vite Marathii, regis Sycionorum, qui diem obiit anno mundi III dclxxx, populum eduxit et sacra confecit. Sunt et alii gloriam hanc Babiloniis largiri volentes. Quos inter Venetus, Puteolanus episcopus, hystoriarum investigator permaximus, erat asserere consuetus dicacitate prolixa, poesim Moyse longe antiquiorem, ut puta Nembroth temporibus ortam; dicebat enim eum primum ydolatrie inventorem, eo quod cum ignem mortalibus accommodum vidisset, ac ex motibus eius atque murmurationibus variis futura

quedam cognosceret, eum deum fore firmabat, et ob id loco dei non solum coluit Caldeisque suasit, verum illi templa construxit, sacerdotes ordinavit, et preces etiam adinvenit. Quibus in precationibus ostendebat eum exquisito usum eloquio, quod possibile est, esto, unde sumpserit, non explicaret liquido. Ego autem, et si sepius legerim apud Assyrios religionis cultum, philosophie studium, et armorum gloriam primo fuisse, non tamen absque alio fide digniori testimonio facile credam apud barbaras et adeo inmanes nationes originem habuisse artificium tam sublime. Greci insuper apud se exortam poeticam autumant, ut totis viribus affirmat Leontius. In quam credulitatem et ego paululum trahor, memor aliquando ab inclito preceptore meo audisse penes priscos Grecos tale huic fuisse principium. Nam cum primo inter rudes adhuc homines non nulli celsioris ingenii cepissent nature parentis opera admirari et inde per meditationes sensim intrare credulitatem, aliquem unum esse, cuius opere et imperio gubernarentur et ordinarentur cunctaque cernerent, et eum unum vocavere deum; deinde extimantes eum non nunquam terras incolere, arbitrati sanctum fore, ut diverticula suo nomini dicata veniens inveniret, ei sacras edes erexere et sumptu permaximo construxere, quas nos templa dicimus hodie. Inde, ut eum erga se propitium facerent, quosdam honores precipuos excogitaverunt, illi statutis temporibus fiendos, quos dixere sacra. Demum, quoniam quantum ceteris prevalere divinitate rati

sunt, tantum pre ceteris honorandam constituendum eius in sacris argenteas mensas et aureas fialas, candelabra et aurea quaecunque vasa; et ex prudentioribus atque nobilioribus populi homines, quos dixere postea sacerdotes, eosque in sacris confiendis non vulgaribus, quin imo preciosissimis vestibus et thyaris atque lituis insignes esse voluere. Tandem, quoniam videretur absurdum mutos tacitosque pontifices deitate exhibere sacra, voluerunt verba componi, per que ipsius deitatis laudes et magnalia monstrarentur, et populi vota exprimerentur, et preces secundum oportunitates hominum porrigerentur eidem. Et quoniam appareret incongruum, non aliter quam si cum villico, aut servulo, seu contubernali amico loquereris, divinitatem alloqui, voluere prudentiores, ut exquisitus loquendi modus inveniretur, quem excogitandum sacerdotibus conmisere. Ex quibus aliqui, pauci tamen, quos interfuisse creduntur Museus, Lynus, et Orpheus, quadam divine mentis instigatione conmoti, carmina peregrina mensuris et temporibus regulata finxere et in dei laudem invenere. In quibus, ut amplioris essent autoritatis, sub verborum cortice excelsa divinorum misteria posuere, volentes ob hoc, ne talium veneranda maiestas ob nimiam vulgi notitiam in contemptus precipitium efferretur. Quod artificium, quoniam mirabile visum est et eo usque inauditum, ut prediximus, ab effectu vocavere poesim seu poetas, quod Latine sonat exquisita locutio, et, qui composuerant, poete vocati sunt; et, quoniam no-

men etiam favet effectui, creditur, ut omittamus additum carminibus cantum et reliqua, apud Grecos originem habuisse poesim. De tempore vero ambigitur plurimum. Dicebat enim Leontius a Barlaam, Calabro preceptore suo, et ab aliis eruditis viris in talibus audisse sepius, temporibus Phoronei, Argivorum regis, qui anno mundi III ccclxxxv regnare cepit, Museum, quem ex inventoribus carminum unum diximus, insignem apud Grecos fuisse virum, et eodem fere tempore floruisse Lynum, de quibus adhuc fama satis celebris est, que eos apud nos etiam testatur sacris prefuisse veterum; et his etiam Orpheus additur Trax, et ob id primi creduntur theologi. Paulus autem Perusinus longe iuniorem poesim esse dicebat, non mutatis autoribus, asserens, Orpheum, qui ex antiquis inventoribus scribitur unus, temporibus Laumedontis, Troianorum regis, claruisse, qui evo Euristei, regis Mecenarum, apud Troianos imperium gessit, circa annos mundi III dccccx, eumque Orpheum ex Argonautis fuisse, et non solum successorem Museo, sed eiusdem Musei Eiumolphi filii fuisse magistrum; quod etiam in libro Temporum testatur Eusebius. Ex quo patet, ut dictum est, longe iuniorem quam diceretur apud Grecos esse poesim. Attamen ad hoc respondebat Leontius arbitrari a doctis Grecis plures fuisse Orpheos atque Museos, verum illum veterem Museo veteri atque Lyno contemporaneum Grecum fuisse, ubi Trax iunior predicatur. Sane quoniam iunior hic Bachi orgia adinvenit et Menadum nocturnos

cetus, et multa circa veterum sacra innovavit, et plurimum oratione valuit, ex quibus apud coevos ingentis extimationis fuit, a posteris primus creditus est Orpheus. Cui opinioni forsán adherendum est, cum quorundam veterum testimonio constet, etiam ante natum Iovem Cretensem non nullos fuisse poetas, cum post raptam a Iove Europam per Eusebium constet claruisse Orpheum Tracem. Cum igitur inter se sic discordantes sint, nec ullum satis validum testimonium ex antiquis autoribus ad roborandas opiniones suas inducant, non satis certum habeo, cui fides prestanda sit. Apparet tamen ex temporibus descriptis, si Leontio credendum sit, apud Grecos prius quam apud Hebreos, et si Veneto, apud Caldeos prius quam apud Grecos comparuisse poesim. Si vero Paolo fidem prestare velimus, sequetur Moysem primo quam Babilonios aut Grecos eiusdem fuisse magistrum. Ego autem quantumcunque Aristotiles dicat, ratione forsán superiori tractus, poetas primos fuisse theologos, existimans eos Grecos intellexisse, quod aliquale adminiculum opinioni Leontii videtur afferre, non credam huius poesis sublimes effectus, sinamus in belua illa Nembroth, sed nec in Museo, seu Lyno, vel Orpheo quantumcunque vetustissimis poetis (nisi, ut arbitrantur aliqui, Museo et Moyses unus et idem sint) primo infusus, quin imo in sacratissimis et deodicatis prophetis, cum legamus Moysem, hoc percitum, ut reor, desiderio, Pentatheuci partem maximam non soluto stilo, sed heroyco scripsisse carmine, Spiritu Sancto dictante. Et sic alios non nullos equo modo magnalia dei

sub metrico velamine licterali, quod poetico nuncupamus, finxisse. Quorum ego, nec forsán insípide, reor poetas gentiles in componendis poematibus secutos vestigia; verum ubi divini homines Sancto pleni Spiritu, eo impellente, scripsere, sic et alii vi mentis, unde vates dicti, hoc urgente fervore, sua poemata condidere. Tu autem, rex inclite, cum nil aliud circa huius originem, quid dicam, habeam, tue serenitatis iudicio sume, quod libet.

CAP. IX.

Composuisse fabulas apparet utile potius quam damnosum.

Asserunt insuper hi boatores magnifici, poetas fabulosos homines esse, et, ut deiectioni seu detestando magis utantur vocabulo, stomacantes illos aliquando vocitant fabulones. Nec dubitem, quin ignaris execranda plurimum talis videatur obiectio, ast ego flocci facio. Non habet aliquorum lingue spurcicies illustrium virorum gloriosum nomen inficere! Doleo, quod videns hos livore percitos in innocuos sese infrenes efferre. Sed quid tandem? Concedo fabulosos, id est fabularum compositores, esse poetas. Nec hoc ignominiosum existimo, nisi uti formasse phylosopho silogismum; nam si ostendatur, quid sit fabula, et que fabularum sint species, et quibus hi fabulonis usi sint, reor

non adeo pregrande piaculum videbitur, ut hi volunt fabulas condidisse. Fabula igitur ante alia a for faris honestam summit originem, et ab ea confabulatio, que nil aliud quam collocutio sonat; quod satis per Lucam in Evangelio demonstratur, dum scribit de duobus discipulis post Christi passionem euntibus in castellum cui nomen Emaus, sic aiens: Et ipsi loquebantur ad invicem de his omnibus, que acciderant, et factum est, cum fabularentur et secum quererent, et ipse Christus appropinquans ibat cum illis etc. Ex quo, si componere fabulas malum est, et colloqui malum erit; quod concessisse stultissimum est! Non enim a natura rerum hominibus tantum loqui concessum est, nisi ut invicem conloquamur, et per verba mentium comunicemus conceptus. Possent tamen obicere hoc ad oportuna, non ad supervacanea fore concessum, fabulas autem supervacaneas esse. Quod negari non posset, si poeta simplicem composuisse fabellam intellexisset. Sed iam diu premonstratum est longe aliud, quam sonet cortex, a fabulis palliatum. Et hinc sic non nulli consuevere fabulam diffinire: Fabula est exemplaris seu demonstrativa sub figmento locutio, cuius amoto cortice, patet intentio fabulantis. Et sic, si sub velamento fabuloso sapidum comperiatur aliquid, non erit supervacaneum fabulas edidisse. Quarum quadruplicem fore speciem credo; et harum prima omnino veritate caret in cortice, ut puta, quando animalia bruta aut etiam insensata inter se loquentia inducimus. Et autor harum permaximus fuit Esopus, vir Grecus antiquitate ac etiam gravitate venerabilis.

Et dato his non solum civile vulgus, sed etiam agrestes utantur, ut plurimum, non fastidivit aliquando suis libris inserere Aristotiles, celestis ingenii vir et Perypatheticorum princeps philosophorum. Secunda autem species in superficie non nunquam veritati fabulosa commiscet, ut si dicamus Minei filias nentes spernentesque orgia Bachi in vespertiliones versas, et Acestis naute socios, rapinam machinantes in Bachum, pisces effectos. Has autem a primevo vetustissimi invenere poete, quibus cure fuit divina et humana pariter palliare figmentis; et qui poetarum sublimiores secuti sunt, in melius evexere, posito non nulli comici depravaverint eas, magis de assensu lascivientis vulgi quam de honestate curantes. Species. vero tertia potius hystorie quam fabule similis est. Hac aliter et aliter usi poete celebres sunt. Nam heroyci, quantumcunque videantur hystoriam scribere, ut Virgilius, dum Eneam tempestate maris agitatum scribit, et Omerus alligatum malo navis Ulixem, ne a syrenarum cantu traheretur, longe tamen aliud sub velamine sentiunt quam monstretur. Comici insuper honestiores, ut Plautus atque Terrentius, hac confabulandi specie etiam usi sunt, nil aliud preter quod lictera sonat intelligentes, volentes tamen arte sua diversorum hominum mores et verba describere, et interim lectores docere et cautos facere. Et hec si de facto non fuerint, cum comunia sint esse potuere vel possent. Nec fastidiant obiectores, hac specie sepiissime Christus deus in parabolis usus est. Quarta quidem species nil penitus in superficie nec in abscondito veritatis habet, cum sit

delirantium vetularum inventio. Ex quibus si hi redargutores eximii primam speciem damnent, quod in sacris licteris legimus, ligna scilicet silvarum de constituendo sibi rege habuisse colloquium, damnandum etiam veniet. Si vero reprobetur secunda, omne fere sacrum Veteris Testamenti volumen veniet reprobandum (quod absit), cum eodem passu in eodem scripta cum editionibus poetarum videantur incedere; et hoc quantum ad componendi modum. Nam, ubi absit hystoria, neuter de possibilitate superficiali curat, et quod poeta fabulam aut fictionem nuncupat, figuram nostri theologi vocavere. Quod nunquid ita sit, videant iudices equiores, equo ponderantes libramine superficiem licterarum visionum Ysaie, Ezechielis, Danielis, et aliorum sacrorum hominum et poetarum postea fictionum, et, si in ritu contegendi aut detegendi videant discrepantes, damnationi consentiam. Si terciam, quod nequeunt, dixerunt esse damnandam, nil aliud erit quam eam sermonis speciem damnasse, qua sepiissime usus est Christus Ihesus, dei filius, salvator noster, dum esset in carne, quamquam non eo, quo poete, vocabulo sacre vocitent lictere, quin imo vocavere parabulam; non nulli exemplum dicunt, eo quod ratione dicatur exempli. Quod autem quarta damnetur, cum a nullo satis congruo videatur principio moveri, neque alicuius artis vallari suffragio, aut in finem ordine deduci debitum, non magni facio, non enim in aliquo cum fabulis poetarum conveniunt, esto credam redargutores hos arbitrari poeticas ab illis

in nullo differre. Nunc queso, nunquid Sanctum Spiritum fabulonem, nunquid Christum deum dicturi sunt, qui ambo sub eadem divinitate fabulas edidere. Non credam, si sapiunt. Ego autem, si liberet in sermonem longum excedere optime nominum diversitatem non obesse, si stili qualitates conveniant, demonstrarem; sed ipsi videant. Fabulis quippe, quas isti ob vocabulum ita despiciunt, non nunquam legimus incitatos insano fervore animos fuisse sedatos et in mansuetudinem redactos pristinam; ut puta, dum a Memnio Agrippa, gravissimo viro, romana plebs a patribus dissidens a Sacro monte in patriam per fabulam revocata est. Fabulis fessis illustrium virorum circa maxima animis vires persepe restitute sunt, quod non tantum exemplo veteri, sed assiduis demonstratur. Cernimus enim principes, et maximis occupatos rebus, quasi rerum natura docente, post regnorum suorum sublimes dispositiones in melius, ut fessas in nervum revocent vires, convocare, qui iocosus confabulationibus recreent animos fatigatos. Fabulis laborantibus sub pondere adversantis fortune non nunquam solamen impensum est, quod apud Lucium Apuleium cernitur. Quem penes Carithes, generosa virgo infortunio suo apud predones captiva, captivitatem suam deplorans, ab anicula fabule Psycis lepiditate paululum refocillata est. Fabulis labantium in desidiam mentium in meliorem frugem impetus revocatos iam vidimus. Et, ut de minoribus et me ipso sinam, audivi iam dudum illustrem virum Iacobum de Sancto Severino, Tricarici et Clarimontis comitem, dicentem se a patre

habuisse suo, Robertum, Karoli regis filium, postea inclitum Ierusalem et Syclie regem, tam torpentis ingenii puerum fuisse, ut non absque maxima demonstrantis difficultate prima licterarum elementa perciperet, et, cum fere de eo hac in parte amici desperarent omnes, pedagogi ingenium eius, solerti astutia rimantis fabellis Esopi in tam grande studendi sciendique desiderium tractus est, ut brevi non tantum domesticas has nobis liberales artes didicerit, verum ad ipsa usque sacre phylosophie penetralia mira perspicacitate transiret; talemque de se fecisse regem, ut a Salomone citra regum <neminem> doctiorem mortales agnoverint. Quid multa? tanti quidem sunt fabule, ut earum primo contextu oblectentur indocti, et circa abscondita doctorum exerçantur ingenia, et sic una et eadem lectione proficiunt et delectant. Non ergo tam erecta cervice, tam fastidiosa sententia nauseantes hi livorem et ignorantiam suam evomant in poetas; suas, si satis sani sunt, primo curent illecebras, quam alienos splendores maledictorum nebulis offuscare conentur. Videant, videant censores hi, quibus et quam perniciosus ad excitandum muliercularum risum non nunquam utantur scomatibus, et, dum se ipsos purgaverint, aliorum purgare conentur fabellas, memores Christum mandasse, ex accusatoribus is primus, qui innocens esset, primum summeret lapidem in adulteram mulierem.

CAP. X.

*Stultum credere poetas nil sensisse sub cortice
fabularum.*

Sunt ex his non nulli tante temeritatis, ut, nulla autoritate suffulti, non vereantur dicere, stolidissimum arbitrari clarissimos poetas sensum aliquem suis supposuisse fabellis, quin imo illas fecisse ostensuri, quam magna possent eloquentie sue vires, et potissime, dum, eis agentibus, crederentur ab insipidis falsa pro veris. O iniquitas hominum! O ridenda stoliditas! O ineptum facinus! Dum alios deprimunt, se putant ignorantes extollere. Quis preter ignaros dicat, fecerunt fabulas poete vacuas et inanes, solo valentes cortice, ut eloquentiam demonstrarent, quasi circa vera vis eloquentie non possit ostendi? Male profecto noverunt Quintiliani sententiam, cuius maximi oratoris opinio est, circa falsa nullum eloquentie nervum posse consistere. Sed de hoc alias. Quis enim, ut ad hos veniam, tam demens tamque vecors erit, qui, legens in Buccolicis Virgilii: Namque canebat uti magnum per inane coacta. Una cum non nullis in hanc sententiam sequentibus carminibus; et in Georgicis: Esse apibus partem divine mentis et haustus cum applicitis ad hoc; et in Eneida: Principio celum et terras camposque liquentes, cum annexis, ex quibus merus phylosophie succus exprimitur, non videat liquido Virgilium fuisse phylosophum, et arbitretur eruditissimum hominem ob ostentandam eloquentiam suam, qua profecto plu-

rimum valuit, Aristeum pastorem in penetralia terre ad <Cyrenem> matrem deduxisse, aut Eneam, ut patrem videret, ad Inferos, absque abscondito sub fabuloso velamine intellectu scripsisse? Quis tam sui inscius, qui, advertens nostrum Dantem sacre theologie implicitos persepe nexus mira demonstratione solventem, non sentiat eum non solum phylosophum, sed theologum insignem fuisse? Et si hoc existimet, qua fultus ratione arbitrabitur eum bimembrem gryphem, currum in culmine severi montis trahentem, septem candelabris et totidem sociatum nynphis, cum reliqua triumphali pompa, ut ostenderet, quia rithimos fabulasque sciret componere? Quis insuper adeo insanus erit, ut putet preclarissimum virum atque christianissimum, Franciscum Petrarcam, cuius vitam et mores omni sanctitate laudabiles vidimus ipsi, atque, prestante deo, diu videbimus, et quo neminem magis redimentem non dicam tempus, sed quoscunque temporis labentis athomos noscimus, expendisse tot vigilias, tot sacras meditationes, tot horas, dies et annos, quot iure possimus existimare impensos, si Buccolici sui carminis gravitatem, si ornatum, si verborum exquisitum decus pensemus, ut Gallum fingeret Tyrreno calamos exposcentem, aut iurgantes invicem Pamphyllum et Mitionem et alios delirantes eque pastores? Nemo edepol sui satis compos assentiet; et longe minus, qui viderunt, que scripserit soluto stilo in libro Solitariae vite et in eo, quem titulavit De remediis ad utramque fortunam, ut alios plures omittam! In quibus, quicquid in moralis philosophiae sinu potest sanctitatis

aut perspicacitatis assumi, tanta verborum maiestate percipitur, ut nil plenius, nil ornatius, nil maturius, nil denique sanctius ad instructionem mortalium dici queat. Possem preterea et meum Buccolicum carmen inducere, cuius sensus ego sum conscius, sed omittendum censui, quia nec adhuc tanti sum, ut inter prestantes viros misceri debeam, et quia propria sunt alienis linquenda sermonibus. Taceant ergo blateratores inscii, et omutescant superbi, si possunt, cum ne dum insignes viros, lacte Musarum educatos et in laribus philosophie versatos, atque sacris duratos studiis, profundissimos in suis poematibus sensus appossuisse semper credendum sit, sed etiam nullam esse usquam tam delirantem aniculam, circa foculum domestici laris una cum vigilantibus ybernis noctibus fabellas Orci, seu Fatarum, vel Lammiarum, et huiusmodi, ex quibus sepiissime inventa conficiunt, fingentem atque recitantem, que sub pretextu relatorum non sentiat aliquem iuxta vires sui modici intellectus sensum minime quandoque ridendum, per quem velit aut terrorem incutere parvulis, aut oblectare puellulas, aut senes ludere, aut saltem fortune vires ostendere.

CAP. XI.

Ob meditationis comodum solitudines incoluere poete.

Dixi hos obstrepentes insuper dicere poetas rura, montes, et silvas incolere, eo quod urbanitate et moribus non valerent. O ignavum hominum genus, non advertunt furore perciti, quia, dum volunt veritatem falso approbare suffragio, se mendaces faciant! Ego autem poetas rura, silvas, et montes colere non solum confiteor, quin imo, nisi ipsi dixissent, ego dicturus eram (et forte iam dixi!), sane non ob eam causam quam inflati asserunt, quod scilicet urbanitate non valeant, cum eos valere satis testentur poemata. Quibus si fidem prestare negligant, volvant veterum scripta, phylosophorum annales perlegant, nec dubitem quin crebro comperiant poetas regum et nobilium amicitiiis atque convictu usos, dum libuit, que sordidis aut ineptis hominibus non prestantur. Nec in testimonium veritatis huius desunt occurrentia quedam. Possem nempe, si vellem, ostendere Euripidem poetam Archelai, Macedonum regis, contubernalem, Emnium brundusinum Scipionum domesticum, Virgilium Octaviani Cesaris, amicissimum. Et, si sordent vetera, non desunt presentia. Dantes noster Frederico Aragonensi, Sycilidum regi et Cani della Scala, magnifico Veronensium domino, grandi fuit amicitia iunctus. Scimus insuper, et fere orbi toto notissimum est, Franciscum Petrarcam Karoli imperatoris, Iohannis, Francorum regis, et Roberti eque, Ierusalem et Sycilie regis, ac summorum pontificum plurium dilectissimum atque familiarissimum

fuisse et vivorum esse, dum velit. Ast si nesciunt sussurrone hi, ob id solitudines incolunt et coluere poete, quia non in foro cupidinario, non in pretoriis, non in theatris, non in capitoliis aut plateis, publicisve locis versantibus, seu turbelis civicis inmixtis, vel mulierculis circumdati sublimium rerum meditatio prestat, absque qua fere assidua nec percipi possunt, nec perfici percepta poemata. Quid insuper? Vix credam ista dixissent, si sana mente legissent, que scribit Oratius Floro. Qui, postquam eleganter more suo enumeravit quedam urbium impedimenta, dicit interrogans: Rome ne poemata censes Scribere posse inter curas atque labores? Volens ob hoc, ut intelligatur, minime posse. Nec his contentus, superadditis aliis inconvenientiis, quibus civitates agitantur continue, quasi commotus ait: I nunc, et versus tecum meditare canoros! Quasi dicat, non poteris; et demum subnectit exquirens: Tume inter strepitus nocturnos atque diurnos Vis canere, et contacta sequi vestigia vatium? Nec multum post superaddit indignans: Hic ego rerum Fluctibus in mediis et tempestatibus urbis verba lyre motura sonum conmictere digner? Ex quibus, ne plura super imponam, satis apparet, cur petant et incolant silvestria loca poete. Quod etiam Paulum heremitam, Antonium, Maccarium, Arsenium aliosque plures venerabiles atque sanctissimos homines non ob urbanitatis defectum, sed ut liberi animo deo servirent fecisse legimus. Esto non adeo detestabile sit, ut hi arbitrari videntur, habitare silvas, cum in eis nil fictum, nil fucatum, nil menti noxium videatur; simplicia quidem

omnia sunt nature opera. Ibi in celum erecte fagi et arbores ceterae, opacitate sua recentes porrigentes umbras; ibi solum viridantibus herbis contextum atque mille colorum distinctum floribus, limpidi fontes et argentei rivuli, lepido cum murmure ex ubertate montium declinantes; ibi pictae aves cantu frondesque lenis aure motu resonantes bestiole ludentes; ibi greges et armenta, ibi pastoria domus, aut gurgustiolum, nulla domestica res sollicitum, et omnia tranquillitate et silentio plena. Quae non solum, satiatis oculis auribusque deliciis suis, animum mulcent, verum mentem in se colligere et ingenium, si forte fessum sit, invires revocare, atque illud videntur impingere in desiderium meditationis sublimium et aviditatem etiam componendi; quae mira exhortatione suadent placida libellorum societas et canori circum choreas agentes Musarum chori. Quae omnia si rite consideremus, quis studiosus homo civitatibus solitudines non preponat? Sane non poetarum crimen solitudinis, etiam si crimen merito dici possit, hos monet insolentes viros in redargutionem, quin imo eorum infecta mens ambitione damnabili, a qua discrepantes poetas execrabiles aiunt esse viros. Mos enim hominum damnatorum morum est summe cupere sibi ceteros esse conformes, ut sua alieno crimine aut pallient, aut defendant. Erubescant igitur et omutescant, si prout ipsi poete non facitant! Horrent quippe et detestabile ducunt viri spectabiles ficto pallore deformare faciem, et incessu tardo verrere assiduus circumitionibus civitates. Horrent atque recusant turpi atque deformi ypocrisi

inertis vulgi mercari gratiam laudesque, et ab ignaris monstrari digito. Horrent fasces nedum exposcere, sed optare, aulas ambire regum, aut procerum quorumcunque assentatores fieri, auro pontificum infulas aucupari, ut ventri et inertio ocio latius indulgere queant, blandiri mulierculis, ut deposita subtrahant, pecunia quesituri, quod meritis quesisse non poterant. Horrent preterea et totis detestantur affectibus caturcenses ob pecuniam in celos evehere, et iuxta muneris: quantitatem eis exhibere sedes. Quin imo, quos isti blasphemant, tenui contenti victu brevi-que somno, speculatione continua et exercitio laudabili componendo scribendoque sibi famosam gloriam et per secula duraturam exquirunt. O species hec hominum convitiis deturpanda, o detestanda solitudo talium!.. Sed quid verbis insto? Habere equidem multa, que dicerem, ni spectabilis candor, ni virtus egregia, ni laudabilis vita poetarum illustrium adversus tales se ipsam longe validiori robore tueretur.

CAP. XII.

Damnanda non est obscuritas poetarum.

Obscura aiunt cavillatores hi esse persepe poemata, et hoc poetarum vicio, id agentium, ut, quod inextricabile est, artificiosius videatur esse compositum, idque egisse volunt, inmemores

veteris oratorum iussus, quo cavetur, planam atque lucidam orationem esse debere. O perverse mentis iudicium! Quis enim preter dolosam animam in cogitationem tam nephariam declinasset, ut, quod ei inaccessible est, non solum odio habeat, sed falsa, si possit, criminatione deturpet? Fateor non nunquam obscuros esse poetas; sed prebeant, si volunt, ipsi responsum, nunquid phylosophorum, quorum numero ipsi impudico ore se miscent, contexta comperiant adeo plana, adeo perlucida, ut debere dicunt orationem incedere. Si asserant, mentientur, cum inter scripta Platonis et Aristotilis, ut de ceteris sileam, perplexiones adeo innodate sint, ut non dum, a multis perspicacibus viris ab eorum seculo in diem usque hunc examine, potuerint satis lucide concordi sententia explicari! Sed quid de phylosophycis dico? Nonne divinum eloquium, cuius ipsi professores haberi cupiunt, a Spiritu Sancto prolatum, obscuritatum atque ambiguitatum plenissimum est? Est equidem, et, si negent, ipsa manifesta veritas approbabit, testesque plurimi sunt! Quos inter, si libet, interrogent Augustinum, sanctissimum atque eruditissimum hominem, et cuius ingenii tam grandes fuere vires, ut artes multas, et quicquid de decem cathégoriis tradidere phylosophi, absque, ut ipse fatetur, preceptore perceperit, nec tamen erubuit confiteri, se Ysaye principium intelligere nequivisse. Non ergo obscuritates solis poematibus insunt. Quid ergo non incusant phylosophos ut poetas? Quid non dicunt Spiritum Sanctum ope-

ribus suis, ut artificiosiora apparerent, obscuras implicuisse sententias? Quasi non rerum omnium sublimis ipse sit artifex! Non dubitem, quin illis tanta temeritas insit, ut facerent, ni scirent esse philosophis defensores et in Spiritum Sanctum loquentibus apparatus supplicia; et id circo in poetas prosiliunt, quia eos cernunt defensore carentes, existimantes preterea nullam ibi culpam fore, ubi confestim pena non sequitur. Debuerant hi vidisse, non nulla obscura videri, cum clarissima sint, intuentis vicio (lusco quidem illucescente sole, qui limpidus est, nebulosus videtur aer!); quedam alia de natura sui adeo profunda esse, ut non absque difficultate acies etiam egregii intellectus possit in earum abdium penetrare, uti in solis globo, antequam eum possint contingere, non nunquam perspicacissimi retunduntur oculi. Quedam vero, et si natura sui forsitan sint lucida, tanto sunt fingentium artificio palliata, ut egre etiam quis possit ingenio verum ex illis excerpere sensum, ut persepe inter nubila conditum solis pregrande corpus etiam doctissimi queant astrologi, qua celi vagetur in parte, comprehendere punctaliter oculorum intuitu. Et ex his esse non nunquam vatum poemata non inficior. Verum non ob id, ut isti volunt, iure damnanda, cum inter alia poete officia sit non eviscerare fictionibus palliata, quin imo, si in propatulo posita sint memoratu et veneratione digna, ne vilescant familiaritate nimia, quanta possunt industria, tegere et ab oculis torpentium auferre. Et si, quod ad eos spectat, fecere solertes, non execrandi, sed commendandi potius poete venient. Et ideo, ut iam dictum

est, fateor illos non nunquam obscuros esse, sed extricabiles semper, si sanus ad eos accesserit intellectus; verum reor his querulis noctue oculos esse potius quam humanos. Nec sit quis existimet a poetis veritates fictionibus invidia conditas, aut ut velint omnino absconditorum sensum negare lectoribus, aut ut artificiosiores appareant, sed ut, que apposita viluissent, labore ingeniorum quesita et diversimode intellecta comperta tandem faciant cariora. Quod longe magis Sanctum fecisse Spiritum unusquisque, cui sana mens est, debet pro certissimo arbitrari. Quod per Augustinum in libro Celestis Ierusalem XI^o firmare videtur, dum dicit: Divini sermonis obscuritas etiam ad hoc est utilis, quod plures sententias veritatis parit et in lucem notitie producit, dum alius eum sic, alius sic intelligit. Et alibi Augustinus idem super Psalmo LXXVI^o dicit: Ideo forte obscurius positum est, ut multos intellectus generet, et ditiores discedant homines, qui clausum invenerunt, quod multis modis aperiretur, quam si uno modo apertum invenirent. Et ut eiusdem Augustini testimonio adhuc adversus recalcitratores amplius utar, ut sentiant, quoniam, quod ipse pro obscuritatibus sacrarum licterarum tuendis, ego pro obscuritatibus poematum intelligi velim, dico eum scribere super Psalmo CXLVI^o sic: Perversum nichil hic est, obscurum autem aliquid est, non ut tibi negetur, sed ut exerceat accepturum etc. Et, ne ampliori utar sacrorum hominum circa hoc attestazione, nolo fastidium ducant hi audire, quoniam idem ve-

lim de obscuritatibus poetarum sentiri, quod de divinis ab Augustino sentitur; quin imo ut, exfricata paululum fronte, volo considerent obsistentes, quanto magis de his sentiendum sit, que respective paucis apponuntur, si de sacris licteris, que omnibus sunt apposite nationibus, sentiuntur. Si forsán velint duriciem textus, figuras dictionum, aut orationum colores, et peregrinorum vocabulorum incognitam a se pulchritudinem damnasse, et hinc poetas obscuros dixisse, quid aliud dicam, non habeo, nisi ut gramaticales iterum scholas repetant, pedagogi ferulam subeant, studeant discantque, quid veterum autoritate circa talia poetis licentie datum, scrupulosiusque scrutentur, preter vulgaría atque domestica que sint etiam peregrina! Sed quid talibus insto? Paucioribus dixisse poteram: agant, ut, exuto veteri, novum atque generosum ingenium induant, et quod eis nunc videtur obscurum, tunc familiare videbitur et apertum. Nec indigestam intellectus sui grossiciem palliare se credant priscorum oratorum precepto, cuius non dubitem semper memores fuisse poetas, sed advertant, quoniam perorando aliter quam fingendo verborum ordo procedat, et fictiones in fingentis arbitrio relictas fore tanquam opus alterius speciei. In quibus summopere a poetis servatur stili maiestas, et eiusdem dignitas retinetur, ut ait Contra medicum libro invectivarum III^o Franciscus Petrarca. Nec, ut ipsi arbitrari videntur, carpere nequentibus invidetur, sed, dulci labore preposito, delectationi simul memorieque con-

sulitur; cariora sunt enim, que cum difficultate quesivimus, accuratiusque servantur, ut idem, ubi supra, Franciscus testatur. Quid multa? Si his obtusum ingenium est, inertiam suam, non poetas redarguant, nec adversus eos frivolis insistant latratibus, a quibus secum optime actum est. Primo enim in limine, ne frustra fatigent ignari, ab ipsa rerum facie terror iniectus est; retrahant ergo gradum in tempore, potius quam, torpore ingenii fatigato incedentes, patiantur cum rubore repulsam. Et ut iterum dixerim, volentibus intelligere et nexus ambiguos enodare legendum est, insistendum vigilandumque, atque interrogandum, et omni modo premende cerebri vires! Et si non una via potest quis pervenire, quo cupit, intret alteram, et, si obstant obices, arripiat aliam, donec, si valiture sint vires, lucidum illi appareat, quod primo videbatur obscurum. Sanctum enim canibus dare divino prohibemur monitu, et hoc eodem ante porcos proicere margaritas.

CAP. XIII.

Poetas non esse mendaces.

Mendaces preterea insultantes hi dicunt esse poetas, et hunc locum conantur validis, si possint, firmare rationibus, aientes, quod sepe dictum est, eos in suis fabulis mendacia scribere, ut puta hominem in lapidem versum, quod omnino apparet veritati

contrarium. Preterea asserunt poetas mendaciter dicere multos esse deos, cum constet veritate certissima unum tantum esse et illum verum atque omnipotentem, addentes Virgilium, Latinorum poetarum principem, recitasse Dydonis hystoriam minus veram, et huius modi alia quedam etiam inserentes. Credo vicisse putent, vicissentque, ni esset, qui eorum vociferationes insipidas veritate retunderet. Quid ergo? Rebar in precedentibus loco huic respondisse satis, dum, quid sit fabula, quot fabularum species, et quibus usi poete sint, et propter quid, satis late descripsi. Sed si in hanc materiam iterum redeundum est, dico poetas, uti isti volunt, non esse mendaces. Est enim mendacium iudicio meo fallacia quedam simillima veritati, per quam a non nullis verum opprimitur, et exprimitur, quod est falsum. Huius VIII fore species asserit Augustinus, ex quibus, et si graviores reliquis non nulle sint, nulla tamen scientes uti possumus absque peccato atque infamie nota, qua dicimur esse mendaces. Cuius diffinitionis intentum si equo animo prospectent poetici nominis hostes, redargutionem hanc, qua mendaces asserunt esse poetas, viribus carere cognoscent, cum poetarum fictiones nulli adhereant specierum mendacii, eo quod non sit mentis eorum quenquam fingendo fallere; nec, uti mendacium est, fictiones poetice, ut plurimum, non sunt nedum simillime, sed nec similes veritati, imo valde dissone et adverse. Et dato species fabularum una, quam videri potius hystoriam quam fabulam diximus, sit veritati simillima, antiquissimo omnium nationum consensu a labe mendacii

inmunis est, cum sit consuetudine veteri concessum ea quis uti posse ratione exempli, in quo simplex non exquiritur veritas, nec prohibetur mendacium. Et si spectetur poetarum officium, non nunquam in superioribus demonstratum, vinculo huic astricti non sunt, ut veritate utantur in superficie fictionum, et, si auferatur eis vagandi per omne fictionis genus licentia, eorum officium omnino resolvetur in nichilum. Quid plura? Si omnia, que dicta sunt in reprobationem meritam deiciantur, quod fieri posse non arbitror, hoc inreprobabile superest: Nemo suum iure exercens officium in notam potest ob hoc infamie devenire! Pretor, esto in legem male meritos capitali multet supplicio, non iure tamen dicitur homicida; sic nec miles, agrorum hostium populator, dicitur predo; nec iuris consultus, etiam si minus equum clientulo prestat consilium, dum modo a iuris limite non separetur, falsidici notam merebitur; sic et poeta, quantumcunque fingendo mentiatur, mendacis ignominiam non incurrit, cum suum officium, non ut fallat, sed ut fingat, iustissime exequatur. Si tamen velint in hoc instantiam facere: quod verum non est, mendacium, qualitercunque dictum sit, est, si factum non sit, non tamen ulterius vires ad internitionem huius obiectionis apponam, sed queram, ut videam, quid responsuri sint, quo nomine vocanda sint ea, que per Iohannem Evangelistam in Apocalipsi mira cum maiestate sensuum, sed omnino persepe prima facie dissona veritati? quo ipse Iohannes? quo alia alique, qui eodem stilo dei magnalia velavere? Ego quidem mendacia aut mendaces, etiam

si liceret, dicere non auderem. Scio tamen, dicent, quod egomet in parte dicturus sum, si roger, Iohannem scilicet aliosque prophetas veracissimos fuisse viros, quod iam concessum est. Preterea superaddent ab eis scripta fictiones non esse, sed potius esse figuras, et sic nuncupari debere, et per consequens figuratores eorundem scriptores. O ridendum diffugium, quasi crediturissimus, quod simillimum est in cortice, mutatione seu diversitate nominis effectus habeat diversos efficere! Sed in hoc minus questionis sit, figure sunt; nunquid habeant in licterali cortice veritatem, exprimant, queso. Si me hoc velint credere, nil aliud erit quam mendacio velare michi oculos intellectus, uti illa velant suppositam veritatem. Sane cum mendaces hi dicendi nec habendi sint, quia non sunt, sic nec poete, qui pro viribus eorum innituntur vestigiis in fingendo! Multos autem deos scripsisse poetas, cum unus tantum sit deus, negari non potest, sed minime illis in mendacium imputandum, quia non credentes neque firmantes, sed more suo fingentes scripsere. Quis enim sui tam inscius sit, ut existimet quemque in laribus phylosophie versatum tam dementis esse sententie, ut credat deos esse quam plurimos? Si satis sani sumus, facile debemus credere eruditos viros studiosissimos fuisse veritatis investigatores, eosque eo usque, quo humanum potest penetrare ingenium, attigisse et absque ambiguitate novisse unum tantum deum esse, ad quam notitiam devenisse poetas eorum in operibus percipitur liquido. Lege Virgi-

lium, et orantem invenies: Iuppiter omnipotens, precibus si flecteris ullis etc. quod epythetum nemini deorum alteri datum comperies. Reliquam autem deorum multitudinem non deos, sed dei membra aut divinitatis officia putavere, quod Plato, quem theologum nuncupamus, etiam opinatur. Talibus autem ob divinitatis venerationem officio conforme deitatis dedere nomen. Sed infestos hos his non acquieturos existimo; clamabunt nempe dicentes, poetas de vero deo et unico, quem novisse dicimus, multa scripsisse mendacia, et ob id merito nuncupari mendaces. Ego autem non dubito poetas gentiles de vero deo minus recte sensisse, et sic de eo non nunquam, quod minus verum fuerat, scripsisse, et sic, ut isti volunt, mendacium; sed ob id mendaces esse dicendos non puto. Sunt enim mendacium hominum saltem species duo, ex quibus primi scientes et advertentes mentiuntur, ut ledant, aut ut non ledant, seu ut prosint. Et hi non mendaces tantum dicendi sunt, sed proprio vocabulo mentientes; secundi sunt, qui, ignorantes se mendacium dicere, mendacium dixere tamen. Et inter hos oportuna cadit distinctio. Sunt enim ex his aliqui, quorum ignorantia intolerabilis est, nec excusationem recipit aliquam, ut puta: Cavetur lege publica, nequis civis civem privato servet in carcere; Gaius Sempronium debitorem suum detinuit, et a multa tutari vult ignorantia legis; que, quoniam supina videtur et crassa, civem scilicet leges publicas ignorare, nocuum defensare non potest. Sic et Christianus homo etate integer ab articolorum fidei ignorantia tutari non debet. Sunt et alii,

quorum videtur ignorantia excusanda, ut pueri, si phylosophiam non noverint, montanus homo, si non noverit nauticam, et cecus natus, si licterarum non noscat characteres, et huiusmodi. Quos inter numerari possunt poete gentiles, qui, et si liberales artes, si poeticam, si phylosophiam noverint, Christiane religionis veritatem novisse non poterant. Nondum enim lux illa veritatis eterne in terris effulserat, que illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, nondum ad agni cenam invitantes peragraverant orbem, quoscumque vocantes! Israelitis solis hoc donum erat desuper datum, ut deum verum et iuste cognoscerent et rite colerent. Hi, nedum quenquam ad communicandum secum convivium tam celebre invitabant, sed nec accedentes, si qui fuissent exteri, admittebant. Et sic, si minus vera sentientes scripserunt de vero deo, se vera scribere arbitantes, hac acceptabili ignorantia excusati, non sunt dicendi mendaces. Dicent, scio, quacumque ignorantia mendacium dictum sit, mendax est dicens, quod negari non potest, esto non eadem nota labefactandi sinit, qui ignorantia excusabili peccavere, quam qui crassa et supina, ut dictum est, cum illos non solum equitas, sed etiam legum austeritas habeat excusatos; et, si sic est, notam mendacii non incurrunt. Et si velint eos omnino quomodocumque mendaces, ego illis socios addam phylosophos Aristotelem, Platonem, Socratem, aliosque, quos ipsi summe colunt, eodem sontes crimine. Extollent, reor, hi censores optimi iterum voces in celum, in psalterio psallantes

et cithara, quoniam non satis plene particula unica huius obiectionis reiecta videatur. O insipidi, si militi uno parma confracta sit, non dum loco mota est acies integra; non ergo exultent, sed meminerint, quoniam sepiissime contusi nolentes cesserint! Quod autem Virgilio obiciunt, falsum est. Noluit quippe vir prudens recitare Dydonis hystoriam; sciebat enim, ut talium doctissimus, Dydonem honestate precipuam fuisse mulierem, eamque manu propria mori maluisse, quam infixum pio pectori castimonie propositum secundis inficere nuptiis. Sed, ut artificio et velamento poetico consequeretur, quod erat suo operi oportunum, composuit fabulam in multis similem Dydonis hystorie; quod, ut paulo ante dictum est, veteri instituto poetis conceditur. Posset tamen quis dignus responsione et forsitan tu ipse, princeps, perquirere: ad quid hoc necessarium erat Virgilio? Cui ut digne responsum sit, dico eum in hoc a quadruplici causa tractum. Primo, ut in eo stilo, quem in Eneida sumpserat, poeticum sequeretur morem, et potissime Homeri, cuius fuit in eo poemate imitator. Nam poete non, ut hystoriographi, faciunt, qui a quodam certo principio opus exordiuntur suum, et continua atque ordinata rerum gestarum descriptione in finem usque deducunt (quod cernimus fecisse Lucanum, quam ob caussam multi eum potius metricum hystoriographum quam poetam existimant), verum artificio quodam longe maiori aut circa medium hystorie, aut aliquando fere circa finem inchoant, quod inten-

dunt, et sibi adinveniunt causam recitandi, quod ex precedentiibus omisisse videbantur; ut in Odissea Homerus, qui quasi circa finem errorum Ulixis eum naufragum in litus Pheycum delatum scribit, et ibidem Alcinoi regi recitantem, quicquid illi ante diem illam post discessum a Troia contigerat, inducit. Quod volens Virgilius facere, cum Eneam a litore Troiano fugientem scripsisset post erutam civitatem, non adinvenit aptiorem locum, ad quem eum deduceret, ante quam Ytaliam intraret, Africano litore; eo enim usque semper inter Grecos hostes navigaverat. Et cum litus Affrum in tempus usque illud a rusticis et agrestibus atque barbaris hominibus incoleretur, ut eum ad personam veneratione dignam deduceret, et aqua reciperetur, et cuius hortatu Troianorum casus suosque recitaret, nec aliam preter Dydonem, que, et si non tunc, multa tamen post secula loca illa incoluisse creditum est, comperiens, Dydonem, tanquam si iam venisset, eius hospitam fecit, et, ut legimus, eius iussu sua suorumque infortunia recitavit. Secundo, quod sub velamento latet poetico, intendit Virgilius per totum opus ostendere quibus passionibus humana fragilitas infestetur, et quibus viribus a constanti viro superentur. Et cum iam non nullas ostendisset, volens demonstrare, quibus ex causis ab appetitu concupiscibili in lasciviam rapiamur, introducit Dydonem generositate sanguinis claram, etate iuvenem, forma spectabilem, moribus insignem, divitiis habundantem, castitate famosam, prudentia atque eloquentia circumspectam, civitati sue et populo imperantem, et viduam,

quasi ab experientia Veneris concupiscentie aptiorem. Que omnia generosi cuiuscunque hominis habent animum irritare, nedum exulis atque naufragi, et in incognitam regionem deiecti atque subsidio indigentis. Et sic intendit pro Dydone concupiscibilem et attractivam potentiam, oportunitatibus omnibus armatam. Eneam autem pro quocunque ad lubricum apto et demum capto. Tandem ostenso, quo trahamur in scelus ludibrio, qua via in virtutem revehamur, ostendit, inducens Mercurium, deorum interpretem, Eneam ab illecebra increpantem atque ad gloriosa exhortantem. Per quem Virgilius sentit seu conscientie proprie morsum, seu amici et eloquentis hominis redargutionem a quibus, dormientes in luto turpitudinum, excitamur, et in rectum pulchrumque revocamur iter, id est ad gloriam. Et tunc nexum oblectationis infauste solvimus, quando, armati fortitudine, blanditias, lacrimas, preces, et huius modi in contrarium trahentes, constanti animo spernimus, ac vilipendentes omittimus. Tercio curat Virgilius in laudibus Enee ad honorem Octaviani Cesaris Iuliorum genus extollere; quod peragit, dum illum lascivias et immunditias carnis et muliebres delicias robore mentis spernentem atque calcantem ostendit. Quarto intendit sublimare Romani nominis gloriam, quod satis facit, dum execrationes moriture Dydonis describit. Nam per eas bella Cartaginensium cum Romanis et triumphi, quos ex eis Romani consecuti sunt, intelliguntur, in quibus Romanum nomen satis extollitur. Et sic non

mendax fuit Virgilius, ut minime intelligentes existimant, nec alii etiam, si qui sint, eo modo fingentes.

CAP. XIV.

Stulte damnatur, quod minus sane intelligitur.

Volunt insuper atque clamitant, execrantes poeticum nomen, omnino abolenda esse poetarum carmina, eo quod lasci viis et nugis deorum gentilium referta sint; nec modo aliquo tolerabile, quod uni eidemque deo plures attribuantur forme atque nomina, ut poete faciunt suo Iovi vel aliis. Stulti militis more certamen intrant adversarii nostri, qui tanto nocendi hostibus fertur impetu, ut sibi ipsi non videat; ex quo sepe fit, ut, quos in alterum parat ictus, inermis ipse suscipiat. Ego autem his obiectionibus, in unum coacervatis involucrum, satis esse responsum in precedentibus arbitrabar, in quibus scriptum sepissime memini sub formis variis, lasciviis, et nugis, atque nominibus honestos ac sapidos claudi sensus. Quos etiam pro viribus ingenii mei, amoto fabuloso cortice, aperuisse recordor. Actus vero deorum gentilium illecebres, quocunque modo a poetis, a comicis potissime, descriptos, nec laudo nec commendo, quin imo detestatus sum, et tam scriptores in hoc quam ipsos actus vituperandos existimo. Amplissima quidem fingendi est area, et pleno semper fictionum

cornu poesis incedit; non ergo deficiebant quibuscunque sensibus honestissima tegumenta. Sane querela hec iam diu sublata est atque sopita. Nam que in scenis atque theatris a mimis et histrionibus, atque parasitis, et huius modi hominibus enormia caneantur olim, omnino abstulere atque reprobavere Romani veteres, Cicerone teste, et ipsam scenam et artem ludricam damnare, agentesque nota multavere censoria, et eos amovere tribubus. Sic etiam pretorum edicto cautum est, qui artis ludrice pronuntiandive causa in scenam prodirent, ipso facto haberentur infames. Porro post Constantinum Cesarem et Silvestrum pontificem pullulante undique et in dies excrescente fide catholica, talium comicorum seu scenicorum carmina obsolverunt a seculo, et remanserunt illustrium et laudabilium libri et opuscula poetarum, qui res gestas et naturales augustiore stilo, artificioso scemate, facundiore locutu sub congruo fictionum et ymaginum tegmine protulerunt. Et sic, quos semideus Plato urbe pellendos iusserat, et adversus quos hi nostri veritatis ignari clamitant, iam exterminati sunt et abiecti. Verum ut aliquid his responsoribus nostris particule obiectionis altere responsum sit, dico, si ante initam pugnam prudentes, quibus in locis feriri possent, acutius inspexissent, vidissent profecto, quod ipsi poetis gentilibus obiciunt, in se retorqueri telum, nec Iovem nunc celi deum, nunc etheris ignem, nunc aquilam, nunc hominem, seu quibus mavis formis a poetis descriptum mirarentur, si meminissent ipsum verum et unicum deum nunc solem, nunc ignem, nunc leonem,

nunc serpentem, nunc agnum, nunc vermem, nunc etiam lapidem a sacris describi licteris. Et eodem modo venerandissimam matrem nostram ecclesiam, quam aliquando mulierem amictam sole, aliquando mulierem indutam varietate, aliquando currum, ali quando navim, aliquando arcam, domum, templum et huius modi vocari sacra demonstrant volumina, quod et de Virgine genitrice et de humani generis hoste memini legisse sepissime. De nominum multiplicitate, quod dicam, habeo istud idem! Innumerabilia fere apud nostros deo attribuuntur, et totidem Marie virgini atque ecclesie, et hec non absque misterio facta sunt, sicuti nec poete fecerunt. Quid ergo inadvertentes hi rugiunt? Livore quidem impellente, stare nollent, quod ipsi non noscunt.

CAP. XV.

Detestabile nimis de incognitis iudicare.

Porro zelantes hi suasores criminum poetas affirmant. Qua in accusatione si distinguerent, forsitan pro parte concederem eos esse victores. Constat enim satis non nullos iam dudum inhonestos fuisse comicos, seu eorum scelesto sic suadente ingenio, seu sic evo tunc exquirente corrupto; nec non et Nasonem Pelignum clari, sed lascivientis ingenii poetam, Artis amatorie composuisse librum, in quo, et si multa suadeantur nepharia, nil tamen minus

oportunum, cum nemo sit tempestate hac adeo demens iuenculus aut simplex puellula, que, movente illecebri appetitu ingenium, longe, ut in id veniat, quod exoptat, acutiora non noverit quam is, qui se talium preceptorem fore precipuum arbitratus est, doceat. Si igitur minus hi, quos non nunquam abiciendos diximus, honestatem facultatis poetice servavere, quid alii, splendida honestate conspicui, hanc incurrere meruere notam, et una cum turpibus accusari? Equidem patiendum non est! Et ob id, ut pateat, cur ab his accusentur illustres, queso dicant, nunquid Homeri carmen unquam legerint, nunquid Exiodi, Virgilii, Oratii, Iuvenalis, et aliorum huius modi plurium; et, si se legisse fateantur, exprimant, quorsum has criminum suasiones invenerint, ut ipsi videntes, quod nondum vidimus, cum eis male meritos condemnemus. Attamen rogare superfluum est! Quis autem, accusatione audita, non percipiat, quia nunquam legerint, cum liquido debeamus credere, si vidissent, in tam stolidam sententiam non venissent? Arbitror tamen ex questione tali hos scelus scelerum addituros; nequeunt enim tacere, tanto pavore tenentur, ne ob taciturnitatem minus omnia novisse credantur, dicentque elata facie, totis loquentes buccis, et omni frontis amoto rubore, quasi ex hoc summe laudandi veniant: Quid has nugas viderimus? Uaph! nec vidimus, nec vidisse volumus, maioribus operam damus! O bone deus, ab eterno opere tuo si velis pausam summere, potes, et, si divinitatis tue appeterent oculi, posses in somnum ire, si velles, rem tuam isti curant! Tibi noctes insomnes

hi ducunt, tibi suos sudores impendunt! Primum quippe mobile moveant reor, dum maioribus operam prestant... Magnum est, multum est, et talium, si pateris, dignus labor! O ignave hominum mentes, non advertunt, dum alios tam prudenter flocci faciunt, quam misere suam ignorantiam detegant! Possumus etenim nos, si stultiores eis non simus, videre satis, quam iusta sit eorum accusatio, quam sancta atque toleranda sententia. Sane ne sit, qui arbitretur, me responsum hoc futurum ex meditatione frivola vaticinari, confiteor, quoniam in hoc a certissima coniectura deducor. Audivi iam dudum interrogationi simili non nullos etiam fastidiosius respondentes, et, quod michi gravius fuit, virum quendam, etate venerabilem et sanctitate, alias ac doctrina precipuum, non respondentem, sed motu proprio longe exacrabilius obloquentem. Non mentior, deus novit, rex inclite! Erat, ut tunc visum est, vir iste adeo poetici nominis hostis infestus, ut illud non nisi stomachans proferre videretur, quod, ubi minus honestati sue oportuno erat, ostendit. Nam mane quodam in generali studio nostro, legens in cathedra sacrum Iohannis Evangelium auditoribus multis, cum fortuito in hoc incidisset nomen, accensa facie, flammeis oculis, et altiori solito voce, totus frendens multa in poetas enormia dixit; et postremo, ut eius appareret iustitia, inquit et fere iuramento firmavit, se neque vidisse, nec unquam aliquem ex poetarum libris videre voluisse. O sancte deus! Quid ignari dicturi sunt, si sic alias eruditus homo, annis gravis et autoritate, locutus est? Poterat ne

loqui stultius ab insano? Vellem ego scire, si non viderunt, si non cognoverunt, si maioribus vacant hi censores egregii, unde poetas criminum suasores agnoscunt? Quid circa eis incognita latrant? Quid non ydonei iudices, de incognitis laturi sententiam rostra conscendunt? Quid nedum inaudita, sed nec requisita parte sententias fulminant! Forte inquiet Sacro inspirante Spiritu tam severum se in poetas ferre decretum. Possibile dicerem, si crederem Sanctum Spiritum tam spurcidas nedum inhabitare, sed intrare animas. O scelus impium, o exacrabile malum, o detestanda temeritas, audere cecum natum in propatulo de coloribus ferre sententiam! Sic olim, ut isti presides venerandi faciunt, audivi Phoroneum apud Argivos, Lygurgum apud Lacedemones, Mynoem apud Cretenses, et apud Mirmidones Eacum factitare solitos. Sed, ut eo veniam, quo fert animus, quicquid isti reverendi iudices blaterent, non sunt, ut ipsi volunt, poete criminum suasores; quin imo, si sana mente et non livore insano perciti eorum legantur volumina, impulsores invenientur nunc suavissimi nunc acerrimi, pro exigentia temporis, in virtutes! Quod ne tam paucis verbis videar probasse contentus, libet ante obstrepentium oculos apponere saltem pauca, ex quibus possint veritatem hanc, si velint, agnoscere. Et, omissis Homeri monitis, qui ob Grecas licteras Latinis minus familiaris est, si velint, legant et perlegant, que sint in Eneida ad patientiam laborum emergentium exhortationes Enee ad socios, quis ardor illi pulchre per vulnera mortis pro salute patrie fuerit, que erga patrem pietas,

quem humeris per ardentes undique domos et ruentia templa,
perque medios hostes et mille volandia tela devexit in tutum, que
in Achemenidem hostem clementia, quod robur animi ad illu-
dendas frangendasque amoris petulci catenas, que iustitia atque
munificentia circa amicos et externos in exhibendis muneribus
bene meritis, ludis in anniversario Anchisis patris apud Acestem
peractis, que prudentia, quanta circumspectio in descensu ad In-
feros, que genitoris ad eum suasiones ad gloriam, que eius in
iungendis amicitis solertia, quam grandis comitas fidesque in
conservandis susceptis, quam pie in Pallantis amici morte la-
crime, que eius ad filium persepe monita? Quid multa referam?
Assint oro, assint hi in poeticum rugientes nomen, librent huius
poete verba, sententias ponderent, et, si patitur animus, fructum
ex his, qui potest, exprimant; et, si deo gratum erit, videbunt,
nunquid poeta hic in malam frugem suasor sit. Profecto si rite
deum novisset et coluisset Virgilius, nil fere preter sanctum eius
in volumine legeretur! Et si dicant leges non pati quicquam ap-
probari testimonio unius, Venusinum insuper Flaccum susci-
pian, Persium Vulterranum, Iuvenalem Aquinatem, quorum sa-
tyricum carmen tanto virtutis impetu in vicia viciososque inve-
hitur, ut eos exterminare videatur. Si hi ergo alii plures satis sunt
taceant isti, qui suasores criminum poetas accusant, et rabiem
suam mansuetudine doment, nec dedignentur discere, prius
quam velint aliorum labores ridendo iudicare iudicio, ne, dum in

alios sue stolidæ iniquitatis tela coniciunt, in se ultionis divine fulmina provocent.

CAP. XVI.

Quod in bonum poetas deducant se legentes.

Aiunt post hec insidiantes acerrimi poetas esse mentium seductores, eo quod dulcisono carmine, lepido sermone, accurata atque ornata oratione, ineptias suas legentibus ingerunt, et sic, quo minime opportunum, lectores seducunt insipidos. Quis ignarus et qui poetas non viderit, ut ipsi obiectores ignari sunt, nec poetas viderunt illustres, et, si viderunt, ingeniorum suorum ignavia non intellexerunt, non credet facile hos optime, iuste, sancteque in poeticum carmen invehere? Hoc videat deus, et hi videant, quibus ab eo lumen intellectus concessum est! Tu autem, cytharista celestis, Davit, solitus dulcedine carminis furores sedare Saulis, si suave aliquid, si mellifluum cecinisti, lyricum tuum carmen absconde! Et tu, Iob, qui labores tuos atque patientiam heroico metro scripsisti, si lepidum, si ornatum sit, idem facito, una cum aliis sacris viris, qui ethereo versu divina cecinere misteria; et, quod his dico, dictum sit Orpheo, Homero, Maroni, Flacco et aliis, postquam eo ventum est, ut inveniantur, qui dicant impune, quoniam seducere mentes hominum sit dulcisone, lepide, accurate metricas orationes effundere. O Bavi et tu, Mevi,

letamini, postquam damnantur isti, tempus, quod minime rebar, vobis concessum est, et locus preparatus amplissimus! Scio, dicent se dixisse perniciosum ineptias sonoro scripsisse carmine et legisse. Erat, fateor, additio hec non parvi momenti, ni in precedentibus sepius esset ostensum, quales sint, quas isti accusant, ineptie illustrium poetarum, et ob id, quod maximum existimabant, in nichilum resolutum est. Attamen, ut in hoc directius veniam, quia seductores mentium dicunt esse poetas, primo scire velim, cum multi sint, qui ex his poete sint, qui seductores sint mentium? Et quis dubitet? nullos dicere possunt preter quos student. Quos autem studeant, accusatio ipsa demonstrat. Si deo placet, zelantes hi amant, procantur, et mulierculis ridentibus applaudent oculis, amatorias licterulas dictant, componunt rithimos, et cantiunculas excudunt, quibus affectiones suas et suspiria expromant, et, deficientibus ingenioli viribus, pro oportuno subsidio ad instructores amatorie artis evolant. Hinc Catuli, Propertii et Nasonis volumina evolvunt, et ab ineptis talium suasionibus, lepidis descriptis carminibus, et verborum facili exornatis contextu, tanquam in hoc toto inclinati pectore, volentes trahuntur, seducuntur, atque tenentur; hinc poetarum illecebras cognovere; hinc ingrati preceptores accusant suos, eosque seductores mentium dicunt, quos ipsi, non rogati, sponte sua secuti sunt. Magnis igitur, imo permaximis vacant redargutores nostri, non enim parvum est amoris obsequi, cuius viribus primo Phebus,

inde Alcides, monstrorum domitores, cessere! O quam satius tacuisse fuisset ignaris, quam in suum dedecus emisisse voces! Nam, si prospectent, dum poetas acusasse rentur, se ipsos advertent monstrasse culpabiles; ex hac enim accusatione, que sint eorum studia, que desideria, que iustitia manifeste cognoscimus. Quid enim de his arbitrari possumus, si puella lascivis gestibus, petulcis oculis, blandis verbis spem polliceatur infaustam, postquam a mutis, seu tacitis carminibus seducuntur? Erubescant igitur miseri, et in melius insanum suum reforment consilium, prospectentque Ulixem, gentilem hominem, non mutorum carminum, sed mellifluos syrenarum cantus sprevisse tanquam nocuos atque transisse. Et, ut aliquid circa vim vocabuli dictum sit, quod tanquam detestabile poetis obiciunt, vidisse debuerant, quoniam, et si Christo, salvatori nostro, a Iudeis obiectum sit, qui illum ignominiose seductorem dixere, non tamen semper in malam partem sumendum fore. Nequivere enim illi abutentes infandi homines vim veterem surripuisse; potest enim quandoque in bonam partem sumi seducere, nam rem curantes pastorem ab infectis armentis non dum infectos egritudine boves seduxisse, solertis pastores est; et sic non nunquam eruditi homines generosos animos ab his, qui morbo viciorum laborant, suis seducunt monitis. Quorsum poetas illustres sepiissime seducere credulos reor, et eos facere meliores, ubi hi, seducti tractique suo, non poetarum minus etiam honestorum crimine, in malam frugem, si possint, conantur ostendere. O bone Iesu, averte pestem

hanc ab ignaris credulis, et hos loquaces corripe, ac adeo instrue, ut exemplo tuo velint prius facere quam docere!

CAP. XVII.

Phylosophorum symias minime poetas esse.

Symias preterea phylosophorum ex his non nulli, qui se ceteris preferunt, dicunt esse poetas! Verum non satis certum habeo, an ut hominibus risum incutiant, uti non nunquam suis scomatibus mulierculis faciunt, an potius ex animi sententia, quia sic credant, seu mentis nequitia, ut irrideant, istud evomant. Primum quippe deberet indignanti animo a prudentibus tolerari, dum cernerent ab ignaris ex viris conspicuis ridicula confici vulgo, cum passim per trivia asini infulati, et falerati sues, ac, ex quo mavis genere, belue, fimbriatis nec non et variatis pellibus incedentes amicti, comperiantur facile, ex quibus decentius quis volens posset confingere talia. Si vero credentes asserunt, aut irident, utrumque tam stolide quam nequiter agunt! Est enim symiis, ut alias dixisse meminimus, hoc de more a natura infixum, ut velint, dum possint, videntes quoscunque hominum actus imitari; et sic videtur hos velle poetas imitatores, et inde symias esse phylosophorum. Quod minime ridiculum esset; honesti quidem, ut plurimum, homines fuere phylosophi et bo-

narum artium repertores. Sed falluntur indocti, nam, si satis intelligerent poetarum carmina, adverterent eos non symias, sed ex ipso philosophorum numero computandos, cum ab eis nil preter philosophie consonum iuxta veterum opiniones fabuloso tegatur velamine. Preterea imitator simplex in nullo exorbitat a vestigiis imitati. Quod quidem in poetis minime cernitur, nam, esto a philosophicis non devient conclusionibus, non tamen in eas eodem tramite tendunt. Philosophus, ut satis patet, silogizando reprobatur, quod minus verum existimat, et eodem modo approbat, quod intendit, et hoc apertissime, prout potest; poeta, quod meditando concepit, sub velamento fictionis, silogismis omnino amotis, quanto artificiosius potest, abscondit. Philosophus stilo prosaico ut sepius, et eius fere parvipendens ornatum, scribere consuevit; poeta metrico, summa cum cura exquisito decore conspicuo. Philosophorum insuper est in ginnasiis disputare; poetarum in solitudinibus canere. Et, cum ista inter se non convenient, non erit, ut aiunt, symia philosophorum poeta. Si symias dicerent eos esse nature, posset forte equiore animo tolerari, cum pro viribus, quicquid ipsa, quicquid eius opera ratione operantur perpetua, poeta celebri conatur describere carmine. Quod si intueri velint isti, videbunt formas, mores, sermones et actus quorumcunque animantium, celi syderumque meatus, ventorum fragores et impetus, flammarum crepitus, sonoros undarum rumores, montium celsitudines, et nemorum umbras, atque discursus fluminum adeo apte descriptos, ut ea ipsa parvis

in licterulis carminum inesse arbitrentur. In hoc ego poetas esse symias confitebor, quod ego honorabilissimum reor opus, in id scilicet arte conari, quod agit natura potentia. Sed quid plura? Esset satius talibus, agere si possent, ut nos una secum efficere-mur symie Ihesu Christi, quam sibi incognitos poetarum irridere labores, cum contingat sepissime tentantes alienum pruritum scalpere, in suum aliorum cruentas unguis cum anxietate sentire.

CAP. XVIII.

Non esse exitiale crimen libros legere poetarum.

Hi equitatis, imo iniquitatis arbitri, fervida rabie cupientes poetici nominis exterminium, quasi pauca in illud dixerint, altisono insuper clamitant hinc inde boatu: o insignes viri, o divino redempti sanguine, o gratus deo populus, si qua pietas, si qua devotio, si quis Christiane religionis amor, si quis dei timor vobis est, hos infaustos poetarum libros abicite, flammis exurite, et ventis servandos exhibete cineres! Eos enim habere domi, eos legere, eos etiam ullo modo velle videre, exitiale crimen est! Animas letali veneno inficiunt, vos in Tartara trahunt, et celestis regni exules in eternum faciunt. Post hec, aucto clamore, Ieronimum in testem invocant, eumque dicentem aiunt in epistula ad Damasum de filio prodigo: Demonum cibus sunt carmina poetarum! Et his ac similibus multis toto gucture ignaros auditores

intonant. O pietas, o prisca fides, o dei patientia grandis, quid pateris? Quid, rerum conditor, in erectas turres, quid in celsos vertice montes fulmina torques? Hi, sanctissime pater, hi ferendi sunt, qui dolosa lingua atque mendaci aliorum et persepe innocuorum exitio sibi inanem aucupantur gloriam! Medici errores suos terra tegunt, hi prohibitionibus atque flammis suas conantur ignorantias occultare. Quis simplex homo hos audiat, quin arbitretur poetas perniciosissimos esse homines, divini nominis hostes, contubernales demonum, inmites, maleficos, scelestis semper vacantes operibus, quibus nulla bonarum artium cura, nulla pietas, nulla fides aut sanctitas sit? Et sic horum ignorantium opere et iniquitate consequuntur celebres viri ignominiam, quam minime meruere. Sed spero, videbit deus aliquando. Nos autem videamus, si possumus, quale sit hoc tam inexpiabile malum, quod hi committi clamitant, si teneantur, si videantur, aut legantur carmina poetarum. Que horum contineant libri, que suadeant, que damnent, que doceant, iam satis supra declamatum est. Sed eis omissis, volo, adversus veritatem hos scelesti omnia scribere atque suadere lectoribus. Quid tandem? gentiles fuere homines, non Christum novere, suam extulere, quam sacram arbitrabantur, religionem, fictiones edidere, gratissimos et commendabiles utero persepe gerentes fructus. Sed quid inde? Queso ego hos elegantissimos clamatores, dicant, nunquid illis prohibitum sit ab aliqua veteri seu nova doctrina, deorum suorum scelera, quo vellent, in stilo describere? Non equidem reor,

nec etiam christiano fingenti, dum modo sane intellecta fictio adversus catholicam veritatem exenterata nil pariat. Si non prohibitum est, si hos legere non leges prohibent neque prophete, non sacre pontificum sanctiones, quid tenere, quid legere mali est? Inquient, quoniam seductores sint mentium dulcedine sua. Huic obiectioni paulo ante responsum est; verum si hi imbecilles sunt atque tractabiles, sibi caveant, memores proverbii veteris, quo prohibetur, hos certamen lapidum non intrare, quibus sit galea vitrea. Fateor tamen ultro longe melius fore sacros studere libros quam istos, etiam si optimi sint, studentesque acceptiores esse reor deo, pontifici summo, et ecclesie; verum non omnes, nec semper eadem trahimur affectione, et sic non nunquam ad poeticos trahuntur quidam. Et, si trahimur, vel sponte nostra in eos imus, quod hoc crimen, quod malum est? Possumus impune mores barbaros audire, ipsos, si velimus, <suscipere> barbaros, eis hospitalitatem exhibere, eis, si petant, ius dicere, cum eis amicitias iungere, convivia celebrare; poetarum libros legere, si deo placet ab his viris doctissimis prohibemur! Manichei, Arrii, Pelasgiique, et aliorum heresiarcarum execrabiles errores ut noscamus, nemo prohibet, quin scrutemur; versus autem legisse poeticos, horrendum, ut hi clamitant, imo letale crimen est! Ioculatores in quadruviis ut plurimum inhonestos ludos agentes inspicere possumus, hystriones in conviviis turpia canentes audire, nebulones in popinis, lenones in lupanaribus

blasfemantesque pati, nec ob id in Tartara trahimur; poetica legisse poemata nos eterni regni facit extorres! Pictori etiam in sacris edibus fas est pingere Tricerberum canem, Ditis observantem limina, Charonem nautam, Acherontis vada sulcantem, Eri-
nas ydri accinctas accensisque armatas facibus, ipsum Plutonem, infelicitatis regni principem, damnatis supplicia inferentem; poetis sonoro carmine hec eadem scripsisse nephas, et irremissibile lectori crimen est. Pictori eidem concessum, in aulis regum et nobilium virorum amores veterum, deorum scelera hominumque, et quaecunque cuiuscunque commenta pingere, nullo patrum prohibente decreto, et hec a quibuscunque pro libito intueri permissum est; poetarum inventa, ornatis linita licteris, plus a sapientibus lecta volunt mentes inficiant, quam picta ab ignavis inspecta. Quid multa? Deficio, fateor, volens, si possem, advertere, quibus viribus, qua potentia, livor edax et ignorantia hos boatores in tam grandem dementiam potuerit impellere. Scire saltem debuerant, quia vas electionis testatus est, scire malum, malum non esse, sed operari; et ipsi novissimi preceptores, credo, ut a suis mulierculis prudentiores habeantur, et inde pinguius consequantur offas, non verentur dicere, nedum dicam scire, sed poetas legere perniciosissimum esse! O fastidium audire, etiam si omnino despiciendi sint poete, nepharium fore, si videris, margaritam ex luto colligere, quasi astergibile lutum illam minus fecerit preciosam. Nec erubescunt interpretes hi hac presumptuosa atque generali prohibitione sua velle ex veritate fieri

mendacium, si dixerit aliquando poeta, imo eos dixisse toto denegant ore! Ridiculum est audire humani generis hostem dyabolum potuisse verbum bonum aliquando dixisse, poetas autem, esto adversus conscientiam paulo ante malos esse concesserim, cum forte non nullis preter gentilitiam maculam nil inhonestum iure posset obici, verbum bonum dicere nequivisse. Vocatur etiam non nunquam a sacris hominibus in testimonium dyabolus, invocasse poetam horum accusantium autoritate irremissibile crimen est! Sed nunc hos prohibitores et in exilium poetarum precones oro, dicant, quid magis quam phylosophia potuit peccasse poesis? Veritatis quippe optima indagatrix phylosophia est, comperte vero sub velamine servatrix fidissima est poesis; si minus recte sentiat illa, non potuit rectum ista servasse. Pedissequa est, domine vestigia imitetur necesse est; si deviet illa, et hec, ut exorbitet, a necessitate cogitur. Quid ergo, cum gentiles phylosophos allegemus ore pleno eorumque servemus sententias, et nil fere nisi eorum vallatum autoritate firmemus dicta poetarum poetasque horrescimus, atque detestando damnamus? Extollitur Socrates, honoratur Plato, colitur Aristotiles, ut de reliquis sinam, qui omnes fuere gentiles et persepe damnatis opinionibus erronei homines; Homerus ab obiurgatoribus nostris pellitur, damnatur Exiodus, Maro despicitur atque Flaccus, quorum figmenta nil aliud sentiunt quam disputationes illorum. Quorum quoniam dogma student et ex his, esto cum difficultate, non pa-

tiente ingenio, quedam principiola sumpserunt, quasi intellectum commendant! Poetarum vero quoniam scripta negligunt, et sic non intelligunt, despiciunt, et condemnant. Attamen quicquid clamitent, quicquid latrent, quicquid iubeant vel suadeant, si phylosophorum scripta, si barbarorum gesta, si hereticorum perfidia legi possunt, et poetarum volumina absque piaculo legi, teneri, audiri que possunt, mente tamen integra atque constanti, ne, si quando aliquid in orto doxam dicerent fidem, tanquam ab illa exteri se lectores labefactari permittant. Nunc autem superest in extremum horum clamorem paxillum acrius instandum atque prolixius, quoniam ea celeberrimi atque sanctissimi hominis auctoritate precedentia omnia firmasse se credunt. Dicunt igitur clamitantes Ieronimi verbum ad Damasum papam: Demonum cibus sunt carmina poetarum! Quod, si satis iam dicta percepissent, a nobis etiam firmatum advertissent, et potissime ubi damnatam comicorum spurcitiem atque abiectam semel et iterum ante iam diximus. Sed quoniam, nulla poetarum facta distinctione, invidentie offuscati caligine, in quoscunque ceci irruunt, propulsanda eorum ignavia est, et ipsi in perpetuum cogendi silentium. Si igitur epistulas, si volumina Ieronimi, si hanc eandem, quam producunt in testem, seu cuius auctoritate damnatos poetas volunt, studiose legissent, invenissent profecto verbum hoc a Ieronimo declaratum, et eius sensum appositum, atque obiectiorem, quam faciunt, esse solutam, et potissime ex figura mulieris captive, raso capite, deposita veste, resectis unguibus et pilis

ablatis, Israelite matrimonio copulande. Et si religiosiores atque deliciores sanctis doctoribus esse non velint, comperient, hunc demonum cibum, non solum non reiectum flammis, ut iubent, inmissum, sed cum diligentia servatum, tractatum, atque gustatum a Fulgentio doctore atque pontifice catholico, ut apparet eo in libro, quem Mithologiarum nuncupat ipse, in quo elegantissimo stilo descripsit poetarum fabulas, exponendo. Equo modo Augustinum, doctorem egregium, comperient non horruisse poesim, nec poetica carmina, quin imo solerti vigilantia studuisse, et intellexisse; quod, volentes negare, non possent, cum sepius in suis voluminibus sanctus homo Virgilium aliosque poetas inducat; nec fere unquam Virgilium absque alicuius laudis titulo nominat. Sic, ut iterum dixerim, Ieronimum, doctorem eximium atque sanctissimum et trium linguarum mirabiliter eruditum, quem ignorantie eorum hi in testem trahere satagunt, tanta poetarum carmina diligentia studuisse percipient, atque servasse memorie, ut nil fere absque eorum testimonio firmasse videatur. Videant, si non credunt, inter alia libri eius Hebraicarum questionum prologum, et advertant, nunquid eum totum Terrentianum fuisse sentiant, videant, nunquid sepius Horatium atque Virgilium sibi quodammodo assertores inducat, et non solum hos, sed et Persium aliosque. Legant insuper eiusdem facundissimam ad Augustinum epistolam rimenturque, nunquid in ea inter illustres viros vir doctus poetas, quos ipsi tanto clamore confundere, si possint conantur, enumeret. Porro, si nesciunt, perlegant

Actus apostolorum, et sentient, nunquid Paulus, vas electionis, versus poeticos studuerit et noverit. Invenient quippe eum non fastidisse, in Ariopago adversus Atheniensium obstinationem disputantem, uti testimonio poetarum, eumque alibi Menandri comici carmine usum, dum dixit: Corrumpunt mores bonos colloquia mala! Et Epimenidis poete, si memini, allegat versiculum, qui adversus hos aptissime dici posset, dicens: Cretenses semper mendaces, male bestie, ventres pigri! Et sic non, qui ad celum usque tertium raptus est, quod isti sanctiores volunt, peccatum vel turpe arbitratus est legisse atque didicisse poetarum carmina. Insuper perscrutentur, quid scripserit Dyonisius Ariopagita Pauli discipulus et Christi martir egregius, in suo Ierarchie celestis libro. Ex intentione quippe dicit, prosequitur atque probat divinam theologiam poeticis fictionibus uti, inter alia ita dicens: Et enim valde artificialiter theologia poeticis sacris formationibus in non figuratis intellectibus usa est, nostrum, ut dictum est, animum revelans, et ipsi propria et coniecturali reductione providens, et ad ipsum reformans anagogicas sanctas scripturas; et alia multa, que ad hanc sententiam subsequuntur. Et, ut reliquos postremo sinam, quos adversus bestialitatem horum possem inducere, nonne ipse etiam dominus et salvator noster multa in parabolis locutus est, comico convenientibus stilo? Nonne et ipse adversus Paulum prostratum Terrentii verbo usus est, scilicet durum est tibi contra stimulum calcitrare? Verum absit, ut putem

Christum dominum a Terrentio, quantumcunque diu ante fuisset, quam hec dicta sint, verba assumpsisse! Sufficit michi satis esse adfirmandum prepositum et Salvatorem nostrum voluisse quandocunque verbum suum atque sententiam ore Terrentii fuisse prolatum, ut appareat non omnino esse cibum demonum carmina poetarum. Quid nunc inquierint boatores illustres? Clamitabuntne? insultabunt adversus carmina poetarum a suomet teste reprobati et aliorum plurium sanctorum virorum testimonio victi atque repulsi? Clamitabunt equidem, insuperabilis eorum rabies est! Sed quam iuste, tu videas, rex optime, videantque, quibus ratio magis amica est, quam obstinata horum protervia. His autem tam absolute damnantibus iustissimus iudex, deus, aliquando retribuet invidentie meritum, et eadem eis metietur mensura, qua ipsi aliis metiuntur.

CAP. XIX.

Minime poete omnes iussu Platonis pellendi sunt urbibus.

Perminimum visum est latratoribus nostris conatus exposuisse omnes, ut e domibus ac e manibus hominum, si potuissent poetas excluderent! Et ideo ecce, iterum agmine facto, irruunt, et, armati Platonis autoritate, infando guttare sonoras voces

eructant, aientes, Platonis iam dicti iussu poetas urbibus esse pel-
lendos; inde, ut Platoni deficienti subveniant, superaddunt; ne
suis lasciviis civium mores inficiant! Cui obiectioni, et si satis in
superiori responsum videatur, non pigebit iterum latius respon-
disse. Maximam igitur fateor phylosophi huius auctoritatem esse,
nec spernendam, si sane intellecta sit; de sensu cuius profecto hi,
aut nichil, aut perverse sentiunt, ut apparebit. Ostensum tamen
illis est, poetas sponte sua solitudines habitare, quam ob rem illos
montanos et ineptos homines nuncupabant. Si autem violenter
urbes incolerent, quid dicerent morsores hi? Dicerent eos esse
tyrannos! Si vero nunc velint sententiam vertere et eos cultores
urbium dicere, falsum est. Constat Homerum inter aspreta sco-
pulorum et montana nemorum, post peragratum orbem, ex-
trema cum paupertate litus Arcadum habitasse, et ibidem mente
videns, luminibus tamen egritudine captus, ingentia illa atque ad-
miranda volumina non Ybleo, sed Castalio melle perlita Yliadis
et Odissee dictasse. Virgilius autem, ingenio non minor Homero,
urbe Roma, tunc rerum domina, neglecta, atque Octaviano Ce-
sare, totius orbis principe, cuius singulari letabatur amicitia,
omisso, quesivit sibi haud longe a Neapoli, Campanie inclita ci-
vitate tunc etiam deliciis abundante et ocio, semotum locum
quieto atque solitario litori proximum, ut magni spiritus homo,
Iohannes Barrilis, aiebat, inter promontorium Posilipi et Puteo-
los, vetustissimam Grecorum coloniam, ad quem nemo fere, nisi

eum quereret accedebat; in quo post Georgicum carmen celestem decantavit Eneydam. Cuius selecte solitudinis Octavianus prestare testimonium volens, cum fecisset eiusdem Virgili a Brundisio ossa referri, haud procul ab electa solitudine tumulari iussit, secus eam viam, que adhuc Puteolana dicitur, ut eo iacerent mortua, cuius elegissent in vicinio vivere. Et, ne semper per antiqua vagemur, que oppugnatores, quantumcunque fausto testimonio roborata sint, negant facile, Franciscus Petrarca, celestis homo profecto et nostro evo poeta clarissimus, nonne, spreta Babilone occidentali atque pontificis maximi benivolentia, quam omnes fere Christiani summopere cupiunt et procurant, et pilleatorum orbis cardinum aliorumque principum, in vallem clausam abiit, insignem Gallie solitudine locum, ubi Sorgia, fontium rex, oritur, et ibidem omnem fere floridam iuventutem suam, villici unius contentus obsequio, meditando atque componendo consumpsit? Fecit equidem, stant vestigia stabuntque diu, parva domus et ortulus, et, dum deo placet, testes vivunt plurimi! Si ergo, ne plures recitem, sic est, minime edepol oportunum est, ut in hoc quis labores impendat, ut abeuntes ultro poetas urbibus pellat. Vellem ego tamen ab istis audire, nunquid existiment Platonem, dum librum sue Reipublice scripsit, in quo hoc mandatur, quod isti aiunt, intellexisse de Homero, scilicet, si urbs illi placuisset, eum urbe fuisse pellendum? Nescio, quid responsuri sint, ego autem non credo, cum de eo multa laudanda iam legerim. Hunc enim sacratissime Cesarum leges omnium virtutum

patrem vocitant, et sepiissime eorum latores, ut illas maiori veneratione dignas facerent, et quodam sacro sancto testimonio roborarent, inter eas non nunquam Omeri carmina miscuere, ut in fine prohemii codicis Iustiniani Yliadis legitur carmen, et in eodem sub titulo de iustitia et iure, sic et de contrahenda emptione, et de legatis et fidei commissis, et aliis locis, ut minus credentes possunt in pandecta Pisana cognoscere. Hunc insuper in suum civem plures Grecorum egregie civitates, eo etiam mortuo et paupere, voluere, et de hoc inter se movere litigium, ut comprehendere potest liquido per verba Ciceronis in oratione pro Archia, dum dicit: Omerum Colophonii civem dicunt esse suum, Chii suum vindicant, Salaminii repetunt, Smirnii vero suum esse confirmant, itaque etiam delubrum eius in oppido dedicaverunt; permulti alii preterea pugnant inter se atque contendunt. Hec Tullius. Quod ego etiam testari a vetustissimo Greco carmine, satis inter eruditos vulgato, legisse memini, sic aiente: ἐπὶ τὰ διερίζουσιν πόλεις διὰ ριζῆς Ὀμήρου Σάμος, Σμύρνη, Ἰχίος Κολοφών, Πίλος, Ἀργός, Ἀθῆναι [quod latine sonat]: Septem litigant civitates de radice Omeri: Samos, Smirne, Chios, Colophon, Pilos, Argos, Athine. Hunc preterea ipse Plato in eodem libro Rei publice aliisque persepe conclusionum suarum inducit in testem. Si igitur virtutum pater a legibus habitus est, si legum decus, si tot civitatum civis etiam repetitus, si a preceptore ipso Platone testis assumptus, stultissimum est

arbitrari Platonem idem prudentissimum virum, talem poetam urbe pellendum iussisse! Insuper hoc Platonis iussu existimabimus Emnium urbe pellendum, qui honesta paupertate contentus adeo ob virtutem suam carus Scipionibus fuit, hominibus quidem non solum armis et bello atque sanguinis generositate conspicuis, sed phylosophie domesticis et sanctitate morum illustribus, ut post mortem etiam eius vellent suis maiorumque suorum suos misceri cineres, et suo tumulari sepulcro! Si credant hi, ego non credam, quin potius arbitror Platonem suam civitatem optasse talium fuisse repletam. Quid preterea de Solone dicemus, qui, datis Atheniensibus legibus, esto iam senex esset, sese concessit poeticis? Urbe ne pellendum dicemus, qui urbem dissolutam in civilem vitam moresque revocavit? Quid insuper de Virgilio nostro, cuius, ut reliqua sinam, tanto frontis rubore et mentis verecundia inter coevos et quoscunque minus decentia queque audiebat, ut ob hoc iuvenis adhuc vocaretur parthenias, quod Latine virgo seu virginitas sonat. Cuius tot sunt ad virtutem suadentia monita, ut sepe iam dictum est, quod sunt eiuspotestis carminum verba. Cuius ne combureretur divinum opus, ut ipse Virgilius moriendo preceperat, Octavianus Cesar Augustus, postpositis maximi imperii curis, prohibitorios versus composuit, qui in tempus usque nostrum leguntur. Cuius adhuc nomen apud Mantuanos tanto honore celebratur, ut, cum cineres ab Augusto sublato pro votis colere nequeant, eius agellum veterem,

ad instar viventis hominis ab eo denominatum, colunt, filiis iuvenibus tanquam quoddam venerabile sacrum senes parentes ostendunt, exteris advenientibus, quasi suam gloriam augentes, sollicite indicant. Non absque virtutis precipue testimonio ista proveniunt, et nos virtuosos urbe pellendos Platonem iussisse credemus? O stolidum capitulum! Possem de Oratio Flacco, de Persio Vulterrano, de Iuvenale Aquinate multa dicere, per que pateret liquido mentis Platonis non fuisse tales urbe pellendos; sed trahit animus, ut visa ingeram, et, que nulla tergiversatione ab istis negari possint, apponam. Credamne igitur ego tante demencie fuisse Platonem, ut Franciscum Petrarcam urbe pellendum censuerit? Qui, a iuventute sua celibem vitam ducens, adeo inepte Veneris spurcitas horret, ut noscentibus illum sanctissimum sit exemplar honesti, cuius mendacium letalis est hostis, qui viciorum omnium execrator est, et venerabile veritatis sacrum, virtutum decus et letitia, et catholice sanctitatis norma; pius, mitis, atque devotus, et adeo verecundus, ut iudicetur parthenias alter. Est et insuper poetice gloria facultatis, orator suavis atque facundus, cui cum omnis pateat philosophie sinus, est illi ingenium preter humanum perspicax, memoria tenax, et rerum omnium, prout homini potest esse, notitia plena. Ex quo opera eius tam prosaica quam metrica, que plura extant, tanto splendore refulgent, tanta suavitate redolent, tanto florido ornatu spectabilia sunt, et lepore sonantium verborum melliflua, et sententiarum succo mirabili sapida, ut celestis ingenii artificio potius

quam humano fabrefacta credantur! Quid multa dixerim? Profecto hominem superat, et in longum mortalium vires excedit. Neque ego has laudes predico, quasi antiquum hominem et longis ante seculis defunctum commendem, quin imo, dum deo placet, viventis atque valentis merita refero; quem, o morsores egregii, si non licterulis meis creditis, oculata fide videre potestis. Nec dubito, ut ex eo contingat, quod ut plurimum famosis viris contingere consuevit, ut ait Claudianus, minuit presentia famam; imo audacter assero, quia huius superet presentia famam! Tanta enim morum maiestate, tanta suavis eloquentie facundia, tanta etiam urbanitate et composita senectute conspicuus est, ut de eo, quod apud Senecam moralem philosophum de Socrate legitur, dici possit, auditores scilicet eius plus ex moribus quam ex verbis traxisse doctrine. Et, ut aliquando de celeberrimo viro isto taceam, queso hos dicant, nunquid tales poete a Platone pellantur ex urbe. Et, si pelluntur huius modi, reserent, quos introducturus ipse sit cives; lenones an vispillones, atque gnatonicos, epulones, cetariosque, seu forte furciferos aut similes illis assumet? O felix, o mansura diu Platonis Respublica, si poetas pellat, et hos cives habeat et morum viteque hominum presides! Sed absit, ut arbitrer doctissimum virum id intellexisse, quod sentiunt interpretes hi, quin imo reor, et poetas insignes, et quoscunque alios similes eisdem non tantum civitatum seu sue Reipublice cives esse, sed principes atque magistros. Sed inquiet stomachantes hi: Si hos non, quos pelli iubet Plato poetas? Esset respondendum talibus:

Vos ipsi perquiratis, censores inepti! Sed quoniam ignorantie quorumcunque compatiendum est, et si male sint meriti, compatiendum tamen. Est uti liquoribus omnibus sic et facultatibus sua fex, que esto abominabilis et abicienda, non tamen defecatus liquor efficitur vilior; et equo modo facultas. Quid enim philosophia, rerum omnium magistra, veracius? Hec amurce loco, ut de ceteris taceam Cynicos habuit et Epycuros, qui infandis erroribus involuti, fere eam dehonestare in non nullis conati sunt, adeo ut hostes viderentur potius quam ministri. Sed queso, propter hos Socratem, Xenocratem Anaxagoram, Panetium, aliosque hoc eodem insignitos titulo abiciendos fore dicemus? Stolidum et ignavi defecatoris esset officium! Quid Christiana usquam religione sanctius? Et hec Donatistas, Macedones, Fotinos, et alios habuit heresiarcas longe fetidiori fece execrabiles. Nec propter hos iuste Basilium Cesariensem, Iohannem Crisostomum, Ambrosium Mediolanensem, Leonem Papam, et alios sacros ac venerabiles viros dicemus esse prophanos. Sic et poesis, ut de reliquis taceam, habuit suam fecem, ut fuere quidam, qui comici poete dicti sunt; quos inter et si non nulli honesti fuerint homines ut Plautus et Terrentius, ut plurimum turpissimis fictionibus suis splendidam poesis gloriam inficere visi sunt. Et his iungi potest aliquando Pelignensis Ovidius. Hi quidem seu mentis innata lascivia, seu lucri cupidine, et desiderio vulgaris applausus, scelestis compositis fabulis, eas, mimis introductis, re-

citabant in scenis, ex quibus lascivientium pectora provocabantur in scelera et constantium agitabatur virtus, et omnis fere morum disciplina reddebatur enervis. Et quod perniciosissimum erat, quantumcunque et in ceteris religio gentilium detestanda sit, populos in tam turpia sacra deduxerant, ut erubescenda a suis etiam videretur. Huius modi quidem poetas, ut in precedentibus sepe dictum est, non sola abhorret Christiana religio, sed ipsa etiam abiecit gentilitas. Hi quippe sunt, quos urbe pellendos reor Plato iusserit; ego autem non urbe, sed orbe tales exterminandos fore existimo. Sed hos propter est ne Exiodus, Euripides, Statius, Claudianus, aut similes civitate pellendus? Ego non arbitror. Distinguant igitur hi, et, si non odio laborant indigno, male meritos carpant, sua linquentes in pace conspicuos.

CAP. XX.

Musas infici non posse ob defectum lascivientis cuiusquam ingenii.

Postremo, rex inclite, hi nomen poeticum blasfemantes, infanda temeritate perciti, silentia sacra, semotos antri Gorgonei aditus, honesta penetralia venerande poesis, et puellarum choros cantusque divinos intrare ausi sunt, atque dissonis turbare clamoribus, et Boetii, sanctissimi atque eruditissimi viri, verbis armati (eis scilicet, que circa principium libri eius De consolatione

leguntur, philosophia loquente atque dicente: Quis has scenicas meretriculas ad hunc egrum permisit accedere, que dolores eius non modo ullis remediis foverent, verum dulcibus insuper alerent venenis etc.) omnia non aliter quam victores complere clamoribus et innocuas ludentium mentes ignominiosis opprobriis commovere, si possint, et cum non sentiant, quid per illa verba velit Boetius, solum inspicientes corticem, pudicissimas Musas, non aliter quam si essent carnee mulieres, eo quod femini generis sint earum nomina, inhonestas, obscenas, veneficas atque meretrices esse proclamant, et, eo quod diminutivo utatur Boetius, illas extreme sortis et extremo etiam in lupanari a fece vulgi prostratas existimant. Nec hoc satis est, quin imo hinc volunt poetas etiam esse homines inhonestos, sic argumentum deducentes suum: Si Muse Boetii assertionem meretricule sunt, inhoneste mulieres sunt, et sic hi, quibus familiares sunt, ut inhonesti sint homines, necesse est, cum amicitia seu familiaritas, nisi ex convenientia morum, iungi aut stare non possit; eas autem esse familiarissimas poetis constat liquido, etiam carminibus eorum testantibus, et sic, ut iam dictum est, inhonesti sunt homines. Advertisne, prudentissime rex, in quem exitum tendat illecebris horum astutia? Sed, qualiscunque sit, veritate lucida confundenda est. Quot igitur et que Muse sint, et quibus insignite nominibus, et quid per eas senserint illustres viri, si bene memini, supra libro decimo primo operis huius monstravi, sed adhuc, horum impie-

tate non quiescente, paululum laborandum est. Satis ergo arbitror ex premonstratis assummi possit, duplicem esse poetarum speciem, quarum altera venerabilis et laudabilis est, et piis hominibus semper grata, altera vero obscena atque detestabilis, et ea est poetarum, quos dixi non urbe tantum, sed orbe pellendos. Equo modo de Musis dici potest, quarum et si genus unum sit, species due dici possunt; nam dato eisdem viribus eisdemque legibus actualiter una queque utatur, cum varius exactitatis videatur exprimi succus, hic scilicet dulcis, amarus ille, non incongrue honestam unam arbitrari possumus et reliquam inhonestam. Harum igitur altera, totis commendanda preconiiis, laurea incolit nemora, Castalium fontem, et quecunque religione venerabilia loca cognoscimus, Phebi socia, floribus et sertis ornata, et dulcedine cantus atque vocum sonoritate spectabilis; altera autem ea est, que, ab inhonestis comicis tracta, scenas atque theatra et quadruvia tenet, et scelestibus fictionibus ob mercedem se inertis vulgo placidam exhibet nullo commendabili ornatu conspicua. Hec non consolatione virtutum, non salubribus anthidotis, non sacris etiam remediis egritudines languentium mitigat aut sanat, sed querelis gemitibusque in mortem usque amplificat ea delectatione, qua passionibus impliciti delectantur. Ex quibus satis possunt, quod ignorabant, videre poetis infesti, Boetium scilicet, dum Musas meretriculas scenicas vocitabat, de theatri Musarum specie intellexisse. Quod apertissime obiectores hi vi-

disse potuissent, si, quod post pauca a phylosophia dictum legitur, intellexissent; dicit enim: Sed meis eum Musis curandum sanandumque relinquite. Et, ut evidentius appareret, quoniam de secunda Musarum specie loqueretur, persepe in sequentibus phylosophia ad curam et consolationem Boetii in eodem libro oblectamenta carminum et fictiones poeticas introducit. Ergo, postquam illas phylosophia suo inmiscet artificio, eas honestas esse existimandum est; et si honeste sint, et hi, quibus familiares sunt, ut horum videtur velle deductio, honesti sint homines necesse est. Et sic honeste sunt muse, et poete honesti sunt homines, quas et quos invicem turpi nota in vacuum o labefactare conati sunt!

CAP. XXI.

Alloquitur auctor regem.

Quibus potui rationibus, clementissime rex, horum zelantium maledicta retudi, et, ni honestati pepercissem mee, in temerariam eorum presumptionem et vitam moresque suos longe acrioribus verbis et aculeis acutioribus invexissem. Reor tamen eos preter dicta multa dicturos, quibus omnibus respondere voluisse, in longum nimis protenderetur oratio, et multitudo verborum nimia persepe consuevit nedum animos magnis occupatos, ut regii

sunt, sed etiam vacuos et ociosos offendere. Et id circo, ne cel-
situdine tue tediosus sim, et ne videar hos extra terre terminos
fugare velle, cum ignorantie eorum potius compatiendum sit,
quam in meritum exterminium procedendum, his finem prestare
mens est; et, quod ipsi non facerent, ego ante huius libelli finem
tua cum gratia fecisse volo, posuisse scilicet meritam iram
omnem, et eorum ignovisse nequitie, et eos amicis alloqui verbis,
si forsan in consilium melius possim impellere.

CAP. XXII.

Poetici nominis hostes orat autor, ut se in melius vertant consilium.

Vos igitur, o prudentes viri, iam si sapitis, iras ponite et tur-
gida sedate pectora, satis enim, imo nimium inter nos odiis de-
certatum est. Vos primi in insontes intulistis arma, ut eos exter-
minaretis orbe, ego ex adverso pectus opposui, egique pro viri-
bus, prestante deo et meritis cause iuvantibus, ne bene meriti ab
infestis pellerentur hostibus, esto, si adversum vos ipsi in equum
descenderent campum, quantum prevaleant vestris meisque vi-
ribus, sera penitentia nosceretis. Belligeratum tamen est, et eo
ventum, ut cum aliquali offensorum gloria, quanquam sudore
plurimo, paululum sit omnino vincendi repressa libido, et, ut

equis legibus iri possit in pacem. Vadamus ergo, eamque capessamus ultro, et quietem laboribus demus; librata enim sunt belli premia, nam vos doctrinam, ego refero aliquantulum consolationis in predam, et sic satis loci paci relictum est. Credo sic velitis, quoniam cepisse vos penitet, et ideo eius fruamur bonis. Quod ut me ex animo dicere noscatis, qui primus lacessitus sum, primus servare amicitie leges incipiam, et, ut vos etiam faciatis, que amicus caritative pauca dicturus sum, equo animo atque tranquillo percipite. Ecce, honorabiles viri, quibus potui demonstrationibus, elucidavi, quid sit poesis, quam vos ipsi nullam faciebatis, qui poete sint, quod poetarum officium, qui mores, quos vos etiam fabulones, scelestos homines, suasores criminum, et mille malis infectos clamabatis. Quid inde Muse sint, designavi, quas meretriculas dicebatis, et forte arbitramini lupanares. Quos si tanti sunt, si adeo venerabiles, non solum non damnare debetis, sed eos colere, laudibus extollere, amare, et eorum, ut meliores efficiamini, studere volumina. A quo ne vos retrahat aut etas annosior, aut famosiores audisse facultates, conemini ex vobis ipsis id posse, quod de se non erubuit annosus princeps et virtutum omnium singulare decus, Robertus, Ierusalem et Sy Cilie rex inclitus. Qui clarus olim phylosophus et medicine preceptor egregius, atque inter ceteros eius temporis insignis theologus, cum in sexagesimum sextum usque etatis sue annum parvi pendisset Virgilium, illumque cum reliquis more vestro fabulosum diceret hominem et nullius fore precii, ornatu subtracto carminum,

quam cito Franciscum Petrarcam arcanos poematum referentem sensus audivit, obstupefactus se ipsum redarguit, et, ut ego, eo dicente, meis auribus audiui, asseruit, se nunquam ante arbitratum adeo egregios atque sublimes sensus sub tam ridiculo cortice, uti poetarum sunt fictiones, latere potuisse, ut advertibat post demonstrationem solertis viri absconditos esse, suumque mira compunctione damnabat ingenium et infortunium, quod tam sero poeticum artificium cognovisset, nec erubuit, aut senio et spe brevis in futurum vite detineri potuit, quin, sepositis studiis splendentium facultatum, ut plenum e Virgilio sensum summeret, ceperit operam dare. Sane festina mors novum interruptit studium, quod si perseverare potuisset, quis dubitet, quin in maximum poetarum decus et Ytalorum commodum studio tali vacantium evasisset? Quid ergo? quod regi sapientissimo sanctum visum est, vosne arripere indignum ducetis? Vix credam, non enim vos tygres aut inmanes beluas reor, quorum ingenium uti illarum sevitia, in melius flecti non possit. Attamen si preter hanc piam credulitatem meam in pectoribus vestris impetuosus adhuc in immeritos perseverat hostilis ardor, in vestrum saltem decus, quotiens vos lingue pruritus in verba irritat, queso per sacrum philosophie pectus, cuius forsitan aliquando mammillas suxistis, ne in totum poeticum nomen adeo vos dedatis precipites, quin imo, si satis sani estis, distinctione semper, ubi oportuna sit, utamini. Ipsa quidem in concordiam discordantia reducit, et, abster sis ignorantie nebulis, intellectum clarificat, et recta, quo vult,

ducit ingenium. Et hoc facitote, ne inhonestis venerabiles implicetis poetas, ex quibus multos fuisse gentilium ostensum est. Sit vobis satis in illecebres comicos irruere, in hos iras evomere, in hos exclamare; in hos, bona ceterorum pace, omne vestrum versetur incendium! Preterea et Hebraicis parcite, non enim absque divine maiestatis indignatione lacescere possunt, et premonstratum est, Ieronimo attestante, quosdam ex eius sub poetico stilo, Sancto dictante Spiritu, sua cecinisse vaticinia. Equo insuper modo et Christiani ab iniuriis immunes servandi sunt; plures enim ex nostris poete fuere et adhuc sunt, qui sub tegminibus fictionum suarum Christiane religionis devotos sacrosque sensus commendavere. Et, ut ex multis aliquid ostensum sit, noster Dantes, dato materno sermone, sed artificioso scriberet, in libro, quem ipse Comediam nuncupavit, defunctorum triplicem statum iuxta sacre theologie doctrinam designavit egregie. Et illustris atque novissimus poeta Franciscus Petrarca in suis Buccolicis sub velamine pastoralis eloquii veri Dei et inclite Trinitatis laudes irasque eius in calcantes ignavia Petri naviculam mira descriptione notavit. Stant volumina et intelligere volentibus sensus apparent. Hos ultra vigent Prudentii atque Sedulii carmina sacram sub tegumento expromentia veritatem. Et Arator, non solum Christianus homo, sed romane ecclesie sacerdos et cardo, heroyco carmine apostolorum gesta more cantando poetico designavit. Iuvenus insuper, Hyspanus homo, sed eque Christianus, sub velamento hominis, bovis, aquile et leonis Christi, filii

Dei vivi, Redemptoris nostri, actus omnes etiam fingendo composuit. Et, ne plures in medium deducam, si, ut nostris saltem parcatis, nulla vos humanitas trahit, nolite severiores esse matre nostra, Ecclesia, que, laudabili consideratione prospectans, non dedignatur cum multis, et potissime cum Origene, se habere benigne. Fuere enim huic homini tam grandes in componendo vires, ut nunquam circa id exhaustum videatur fuisse ingenium, nec in scribendo fatigata manus, ex quo in milia voluminum variarum materierum excessisse credatur. Ex quibus omnibus more solertis virginis, que inter spineta flores illesis colligit digitis, et spinarum aculeos sinit separatim vilescere, omissis minus bene creditis, laudanda sumpsit, et inter suos thesauros servari voluit, videte igitur et examine, et equa lance poetarum dicta librate, et, que minus sancte scripta sunt, sinit! Que autem benedicta sunt, non damna, quasi existimetis, evestigio clamore in poetas sublato, Augustinos aut Ieronimos ab ignaro populo arbitrari. Hi enim, quibus equa fuit cum sanctitate prudentia, nunquam in poeticam seu poetice artificium fecere rumores, verum in errores gentilitatis recitados ab eis, quos semper, etiam circumstantibus catholice veritatis hostibus atque recalcitrantibus, voce intrepida damnavere, alias eos coluere semper, advertentes eorum scripta tanta verborum arte composita, tanto lepore suavia, tanto sententiarum sale condita, tanto ornatu etiam delinita, ut ab eis expeti fere necesse videatur, quicquid quis velit Latino eloquio apposuisse decoris. Et, ne longiori sermone vos

traham, ut ait Cicero pro Archia: Hec studia adolescentiam agunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solatium prebent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur, <que> si ipsi neque attingere, neque sensu nostro gustare possemus, tum ea mirari deberemus etiam, cum in aliis videremus etc. Cum igitur non spernenda, nec abicienda, sed colenda poesis sit, et inde poete, si sapitis, satis dictum est; si autem obstinati perseveretis in rabiem, esto vobis compatiar, cum aspernandi sitis, nichil ad sufficientiam scribi posset. Genealogie deorum gentilium liber quartus decimus explicet.

INCIPIT QUINTUS DECIMUS ET ULTIMUS
FELICITER; IN QUO AUTOR PURGAT SE IPSUM
AB OBIECTIS IN SE.

Prohemium.

Fundavi, serinissime rex, quibus potui armamentis hinc inde naviculam, ne estu procellosi maris aut ventorum adverso impetu pelleretur in litus, et illisa ruptis compagibus solveretur. Et, ne, crepitantibus desuper nubibus in imbrem solutis infestum aut coruscum fulminantibus ignem, dilueretur aut verteretur in cinerem, tegumenta superaddidi, que oportuna ratus sum. Nec non et proresiis atque rudentibus illam illigavi scopulis, ne ab undis se retrahentibus una cum illis traheretur in pelagus. Adversus vero Dei iram nil mortalium obstacula iuvant, et ob id suis in manibus relinquendam censui. Ipse, absque cuius suffragio nil profecto stare potest, illam servet misericordia sua! Nunc autem superest, ut iniecta in fatigatum nautam tela excutiam, ac, si possum, qualitercunque amoveam. Quis enim dubitet, quin petatur a multis? Sane uti forte minus equo animo visus sum quandoque tulisse, que in poesim et poetam inmissa fuere, sic summa cum patientia, que in nautam evolaverint, quocunque nisu missa, perferam. Nec huius patientie ratio longe abest. Indigne quippe meo iudicio pulchra poesis et elegantes hac in facultate viri lacessiti

fuere, nescio, utrum superborum an ignorantium potius maledictis dixerim. Nauta autem non sic. Nam si pro viribus conatus sit arte nautica per maris vertiginosos anfractus et confragosa scopulis freta cimbam in tutum deducere, ne iuste redargui possit, scio tamen, quia multarum rerum ignarus sit, et ideo ex multis eo minus advertente commissis forsitan merito redargui potest. Agam igitur, quod potero, iuvante Deo, ne omnino temerarie videatur egisse, quod fecerit. Ipse me eripiat de faucibus malignantium, qui ex camino ignis ardentis eripuit illesos Israelitas pueros sperantes in se, et in finem laboris extremi me deducat in sui sanctissimi nominis gloriam et honorem!

CAP. I.

Minus oportuna preciosa fore non nunquam.

Circumspicient, scio, Colosseum hunc undique iam dicti seu alii intentis oculis carptores egregii, eoque conspecto, ariolor dicturi sint pia forsitan intentione (durum enim homini est hominum mentes cognoscere) tam grande opus minime opportunum esse, et ideo in precio non futurum. Hi quidem paucis his verbis fere opus omne concutiunt, cum a quadam non satis expressa veritate videatur obiectio non solum colorari, sed etiam approbari. Quis enim non dicat intuitu primo, non dicam non oportunas, sed etiam superfluas fore poetarum fabulas, ex quibus hoc apud

omne consistet? Verum ego aliter sentiendum reor. Fateor enim fabulis opus hoc omne consistere; sic si concessero illud minime opportunum, multa etiam non oportuna (et hec inter opus hoc) preciosissima fore monstrabo, et inde hoc opus, quoniam utile tam rei publice quam private sit, ostendam inter oportuna etiam numerandum. In precio igitur et maximo esse multa minime oportuna et artificio hominum adinventata, et nature opere facta monstrantur. Exquirimus enim lapidatas, cementarios, dolatores, et architectos insignes, volentes domos construere, quas rudis villicus ex luto et palustribus calamis oportunas erigeret. Tempia, capitolia, palatia regum, populorum atque principum, maximis sumptibus constructa, pictura superflua decoramus. Aureis celatibusque vasis utimur, cum oportunitati possint deservire <samia>. Sic coronis, purpureis vestibus, et armillis aureis delectamur, cum lanitium simplex cuiuscunque pecoris oportunitati sufficiat; et sic artes et ornamenta, que minime oportuna sunt, in precium devenere. Sed, quia hec hominum ambitione quis posset preciosa dicere, videamus, nunquid et naturam rerum discretissimam etiam circa superflua ambitiosam velimus dicere. Et queso, ad quid capitis capillicium opportunum sit? nemo dicet! Illud tamen multi firmabunt adeo preciosum fore, ut, si absque eo Venus incedat, suis etiam comitata Gratiis, Marti placere non possit, eumque tanti extimatum a Cesare dictatore, ut ad contegendum calvicium perpetuam lauream a senatoribus impetrarit. Ad quid hominum barba, qua si quis etate provectus careat, non

absque rubore hominibus, inmiscetur aliis? Ad quid cornua cervo? Ad quid pictae volucribus penne concesse sunt? Ob ornamentum, non ob aliud responderi potest. Et sic, ne per plura discurram, quod alias non erat in precio, ornamenti causa efficitur preciosum. Et si ornamenti causa quid efficitur preciosum, hoc profecto opus erit in precio. Quid enim pulchrius in colloctionibus hominum quam non nunquam inmiscuisse fabellas sententiis? Quid decentius quam fructuosos fabularum sensus eisdem applicasse colloquiis? Et hoc opus unumquodque prestabit abunde. Hec insuper ponderosis et accuratis orationibus plurimum afferre decoris satis apparet, cum passim mixta scriptis Ciceronis, Ieronimi, et aliorum prudentum virorum illa legamus. Poterat igitur sufficere ostendisse hoc opus preciosum ornamenti causa, sed huic superadditur utilitas, quae ex hoc consequitur, tam publica quam privata, ex qua precium maius efficitur. Existimabant enim non nulli poetas, peritos homines, simplices tantum composuisse fabulas, et per consequens non solum non utiles, sed illos arbitrabantur damnosos, et, discurrentes legendo, nullum ex fabulis emolumentum summebant. Hoc autem opus, dum fictionibus velamentum amovet, et eruditos fuisse viros poetas ostendit, et legentibus facit fabulas cum delectatione fructuosas. Et sic, qui falsa opinione perisse videbantur poete, reipublice insignes et quasi redivivi redduntur, et privatim quae incognita abiciebatur utilitas, per hoc patefacta colligitur, et ad altiores sensus etiam ingenia legentium excitantur. Preterea

spero, sic volente Deo, uti hactenus fuere, consurgent, qui ad poeticam mentes erigent, quibus non modicum, dum veterum monimenta perlegent, commodi per hoc opus prestabitur, ex quo fiet saltem talibus preciosum. Sed quid multa dicam? Si cessent, que dicta sunt, omnia, dum modo, princeps optime, cuius iussu laborem sumpsi, tuo per hoc opus desiderio satisfactum sit, illud preciosissimum duco, esto laudabile sit placuisse pluribus; sic, si tue celsitudini minime gratum sit, etiam si placitum atque acceptabile ceteris veniat, parvi apud me momenti fiet. Tuum igitur est istud preciosum facere, aut, si libet, abicere.

CAP. II.

Perseveravere sepe diutius, que minus duratura videntur.

Eadem forte pietate loquentur et alii, dicentque, postquam rimosum opus viderint, nec bene compactum, nec diu mansurum, ruinam premonstrantibus fatiscentibus rimis. Ego his premonitoribus libens gratias ago! Excutiunt enim ab oculis meis somnum, meque solertem faciunt, ut prestem oportunitati subsidium. Verum, quoniam ante ceptum opus sic evasurum illud ratus sum, si satis memor es, rex inclite, istud idem circa principium testatus, his, quibus potui, rationibus ostendens, cur strambum, mutilum, cicatricibus plenum existimarem illud futurum, et ut satis apparet et isti aiunt, mea me non fefellit premeditatio,

et ideo circa defectum hunc iure excusandus venio! Sane quibus adminiculis potui, illud in robur deduxi, nec postquam deductum est, inexcogitatas aut novas contraxit rimas, veteres autem et previse, quod ariolantur isti, arbitror, adeo repente non facient, nam, si more mortalium per coniecturas de futuris previdere velimus, in longum perseverabit hoc opus. Vidimus enim persepe in saxo firmatas arces, in ruinam ire citius quam in palustri luto piscatoria situata domus. Hi autem, qui sibi non satis firma edificia norunt, vigilantes inspiciunt sepe, et sic, si exigit oportunitas, restaurant fundamenta, resarciunt parietes, tecta tignis et solaria variis adiumentis suffarciunt, et sic, que illico casura videbantur, non nunquam recta deducuntur in seculum. Secus, qui fortia se possidere existimant; nam, dum segura quiete tenentur, et ecce lapis unus, grandi pondere pressus, attritus crepitat, et omne secum trahit edificium in ruinam. Sunt et alii casus; palatia ambit invidia, et odia excidium parant. Parva domus, paucis et possessori cognita, quam diu Deo gratum est, perseverat. Quis enim arbitrari potuisset Ylionem, recentem adhuc Priami civitatem, tot refertam viribus, tot divitiis splendidam, regni totius Asye arcem, toti minantem Grece, lapsuram citius pauperis Aglai Sophydii gurgustio? Sic et robustos vidimus iuvenes, vivaci atque preclara valitudine decoros, parva interveniente febricula seu accidente alio, in repentinam fere precipitari mortem, ubi non nunquam invalidi senes in longiorem etiam,

quam velint, evasere vitam. Sed quid refert per exempla discurre, quorum abundantissima vita mortalis est? Dicant isti, quod volunt, et ego, quod cupio, arbitror. Hoc tamen scio certissimum, nisi dominus custodiverit civitatem, frustra vigilant, qui custodiunt illam; ipsius est servare atque conterere; ipsius solius est, quantum mundana omnia in longum duratura sint, seu quam cito casura, scire. Prudentum in eo spes omnis est; ipse videat! Ego quidem, quia rimosum opus meum cognovi, eidem humilitatem imperavi, sciens, quia Deus humilibus det gratiam. Sed quid ego de longitudine evi huius verba facio, cum michi permaximum sit, si adeo rimosum, adeo mutilum, adeo cavernosum, uti illud composuisse potui, ad tuas usque manus, O mi rex, pervenire queat, ut non dicam vigilantiam, sed obedientiam meam cognoscas. Satis hoc michi temporis erit; si tandem ulterius perseveret, divine bonitati et fortune regie imputandum existimo.

CAP. III.

Nequisse membra huius aptius collocari.

Supervenient quidam, ariolor, et, inspectis, que alii inspexere, dicent: optabilius fore prudenti hanc concidere molem, quam consistere diu, cum casus defectus eius sublaturus sit, quos perseveratio demonstrabit, et hunc potissime, quod latum pectus ex

craneo, ex pectore tibie formate sint, et pedes in verticem revoluti. O sententia Socratis felices medici, quorum terra teguntur errores, cum scriptorum sepissime etiam bene dicta, quoniam in propatulo sint, caninis lacerentur dentibus, aut saltem infestentur latratibus! Quod summo exquisitum atque compositum labore est, et illustrium virorum autoritate, ubi possibile fuit, firmatum, pretereuntium verbis fere deiectum est. Sed quid? patienda sunt omnia, ut conculcetur humilitate protervia. His tamen sic aientibus, quid responsurus sim, nil habeo, preter quod noverim de principio Genealogie huius multos multimode opinatos, quod nec circa primi huius voluminis libri initium omissum est, atque ostensum, quoniam vetustissimum sumpserim, ut de ceteris aliqualis haberetur mentio; et huic vetustissimo capiti, prout comperisse potui, successive pectus et reliqua membra applicui. Si alie veriores sint, aut potiozem ostendentes ordinem, quod non nego fore possibile, et si multum vigilaverim, plurima et varia revolvendo volumina non vidiſſe fateor, nec novi, quo ordine membra tam ingentis corporis possent aptius collocari. Producant ipsi in medium, quod noverunt, ut, eis visis, si iure, que scripsi damnanda sunt, suis fides adhibeatur integra; nam dixisse tantum me ex craneo confecisse pectus, et nil aliud ostendisse, est potius inique detrahere, quam laudabiliter redarguere aut utiliter emendare.

CAP. IV.

Non appositum est quod minime compertum est.

Preter compositionis indecentiam, paulo ante redargutam, multa esse omissa, que apponi debuissent, hi forsán superaddent vel alii. Hoc ego si velim negare, non possum, cum meminerim saltem despectantibus ad superficiem fabulosam ob librorum defectum circa huius operis principium scripsisse, multos ex prole deorum defuturos homines. Et si tamen libri reperiri dicantur, quis mortalium tam audax erit, ut prorumpens dicat vidisse se omnes atque legisse? Ego autem, cum non viderim etiam, quos alii vidisse potuere, absque frontis rubore confiteor multos omissos fore, et non nullos forsán ob labilis memorie culpam, non enim sufficit visis. Et idcirco indulgeant, queso, memores, et, quod ignorantia seu oblivione factum est, nolint equiparare malitie. Adest et res alia, in quam forsán possunt obloqui viri sublimes, scilicet circa explicationes sensuum fabularum exhibitas. Absit, ut his ego velim obsistere; possibile quidem reor, cum nunquam de me ausus sim tam magna proprio motu presumere, quoniam me minus ad hec valere ratus sim. Et quis ex imperfecto homine perfectum exquiret opus? Solius Dei est, opus perfectum componere, quoniam et ipse perfectus est! Si quid tamen temerarius egi circa hoc, tuo iussu, o rex optime, impulsus egi, et ob id si circa hanc partem minus bene egerim, imponatur onus celsitudini tue. Ast ego hos prudentiores deprecor

per venerabile ac sanctum phylosophie nomen, quod colant existimo, uti quadam sapientiorum autoritate dentes in minus bene commissum infigunt, ita pia humanitate etiam medeantur. Non enim insuetum est, ut nedum eruditos homines videre quod indoctus non viderat, sed aliquando in doctos vidisse quod minime viderant eruditi. Homo enim sum ego, et hominem peccasse nec novum est, nec mirabile; ait enim Flaccus: quandoque bonus dormitat Omerus. Centum preterea Argo fuere oculi, bini et bini vicissim dormientes, vigilantibus reliquis, et tamen, quin in somnum aliquando ire permetteret omnes, cavisse non potuit; si ergo, cum michi duo tantum sint, et hi quandoque a sopore tacito vinciantur, mirabile non est. Exprimant igitur queso, quod a me pretermissum est, et fabularum enucleationes suppleant, aut, si minus debite quid expositum sit, inmutent, et in melius, quod minus decenti opinioni firmatum est, reformantes emendent. Ego quidem, et si non plene, vere tamen atque sancte scribere ratus sum; quod si minime, factum est, non adeo obstinate pertinax sum, quin meum humiliter fatear crimen, et grato animo emendationem suscipiam, tanquam homo, qui, et si iam totis pedibus in senium tendam, doceri non vereor, imo cupio et perscrutor. Hoc enim si fecerint, perfectius incedet opus, et ego, doctior factus, magis eorum liberalitate laudandus efficiar.

CAP. V.

*Nullas fabulas aut hystorias, nisi ex commentariis
veterum sumptas, inesse.*

Insurgent hos preter et alii, et quasi queruli clamabunt, quoniam inauditas fabulas et hystorias, ut textus graviores et implicationes facerem, miscuerim. Fateor non novas fabulas aut hystorias inmiscuisse veteribus, sed forsitan a multis ex Latinis his inauditas seculis; ex quibus nullas nisi ex commentariis veterum sumptas apposui, nec, ut graviores aut implicationes textus excuderem, sed, sic oportunitate exigente, factum est. Discolorum quippe et male secum convenientium conquestio talis est; nil enim equo animo pati possunt! Si faciles textus scripseris et laxa quadam claritate patentes, pedestrem dicunt stilum, et puerile pedagogium redolentem, et fastidientes abiciunt. Si paululum acriorem dictaveris, primo ingressu fatigati, cum non obvisus sensus evestigio tendit ingenio, scribentem accusant, scabrosumque dicunt, etiam si facili sit artificio delinitus, et indignantes negligunt. Ego quippe nulla perplexione circumvolutum scripsisse me reor, nec video, etiam si ex composito fecissem, quid inter texte fabule, quantumcunque ab eis inaudite, possint difficultatis aut obscuritatis afferre. Reor tamen hos astu quodam tacito velle fabulas et hystorias sibi incognitas damnare, tanquam non veras, sub pretextu textus impliciti. Iam dictum est, ex commentariis veterum sumpte sunt omnes, ut referentium autorum nomina

testantur apposita, quas, si forsan alias non viderint, quasi nil verum esse possit, nisi quod legerint, reprobandas existimare non debent. Certissimum ego habeo eos multa vidisse, que michi penitus incognita sunt, sic et ego legisse potui, que nondum ad eorum devenere notitiam. Nemo solus preter Deum cognitionem rerum omnium habere potuit usquam Eo igitur animo a me comperta legant, quo volent alios legisse sua, et, si forsan aliquantum acer videatur contextus, cogant in vires ingenium, et sentientes advertent perlucidum esse, quod arbitrabantur obscurum.

CAP. VI.

Insignes viros esse, quos ex novis inducit in testes.

Horum puto quia hec etiam erit querela, quod in testes scriptarum inauditos veteres et novos incognitos autores quibus utrum prestanda fides sit, eis incertum est. Habet equidem querimonia hec aliquid gravitatis, nam quantumcunque novi fuerint, qui nunc ex autoribus veteres sunt, videtur, quod per multa secula perseveratum est, a longitudine temporis approbatum sit, et inde plurimum autoritatis sumpsisse. Quod utrum de omnibus novis, quantumcunque bene sint meriti, arbitrari debeat, apud multos videtur in pendulo. Ego autem huius sententie sum, nunquam in evum duraturos hos, quorum novitas approbata non sit,

cum ab eorum novitate necesse sit exordium approbationis sumendum, et sic eos, quos ego novos invoco, cum vivos noverim aut noscam, meritis eorum agentibus, egregios esse viros atque probandos, ausus sum in testimonium evocare. Hoc enim michi constat ex omnibus, eos fere per omne vite tempus studiis vacasse sacris, eos inter insignes scientia et moribus semper versatos homines, eos vita laudabiles, nec ulla turpi nota signatos, eorum scripta aut dicta a prudentioribus etiam approbata. Credo, his agentibus, equiperanda sit eorum novitas vetustati. Verum ne quis arbitretur me minus graves produxisse viros, eosque velim mea autoritate probabiles facere, libet de novissimis aliqua singillatim scribere, ut et aliorum iudicio, si satis bene dixerim, appositum sit. Induxi igitur sepe generosum atque venerabilem senem, Andalo de Nigro Ianuensem, olim in motibus astrorum doctorem meum, cuius quanta fuerit circumspectio, quanta morum gravitas, quanta syderum notitia, tu nosti, rex optime; tibi enim, ut aiebat ipse, cum adhuc iuvenis esses, ratione conformitatis studiorum familiarissimus fuit, et, ut ipse vidisse potuisti, non solum regulis veterum, ut plurimum facimus, astrorum motus agnovit, sed, cum universum fere peragrasset orbem, sub quocunque climate, sub quocunque etiam orizonte, experientia discursuum certior factus, visu didicit, quod nos discimus auditu. Et ob id, et si in omnibus illi fidem prestandam crediderim, circa ea tamen, quae ad astra spectare videntur, non aliter quam Cice-

roni circa oratoriam aut Maroni circa poeticam exhibendam cen-
seo. Huius insuper plura stant opuscula, astrorum celique motus
ostendentia, que quantum sibi circa talia preminentie fuerit,
ostendunt. Uti senem hunc sic et Danthem Aligerii, Florentinum
poetam, conspicuum, tanquam precipuum aliquando invoco vi-
rum. Meretur quidem, fuit enim inter cives suos egregia nobili-
tate verendus, et quantumcunque tenues essent illi substantie, et
a cura familiari et postremo a longo exilio angeretur semper, ta-
men, phylosophicis atque theologicis doctrinis imbutus, vacavit
studiis. Et, ut adhuc Iulia fatetur Parisius, in eadem sepiissime
adversus quoscunque circa quamcunque facultatem volentes re-
sponsionibus aut positionibus suis obicere, disputans intravit
gymnasium. Fuit et hic circa poeticam eruditissimus, nec quic-
quam illi lauream abstulit preter exilium; sic enim firmaverat
animo, nunquam nisi in patria illam sumere, quod minime illi
permissum est. Sed quid plura? Qualis fuerit, inclitum eius testa-
tur opus, quod sub titulo Comedie rithimis, Florentino ydiomate,
mirabili artificio scripsit. In quo profecto se non mythicum, quin
imo catholicum atque divinum potius ostendit esse theologum;
et, cum fere iam toto notus sit orbi, nescio utrum ad celsitudi-
nem tuam sui nominis fama pervenerit. Memini insuper, esto
raro, Franciscum de Barbarino traxisse testem, hominem qui-
dem honestate morum et spectabili vita laudabilem. Qui, et si
sacros canones longe magis quam poeticam noverit, non nulla
tamen opuscula rithimis vulgari ydiomate splendidis, ingenii sui

nobilitatem testantia, edidit, que stant, et apud Ytalos in precio sunt. Hic integerrime fidei homo fuit et reverentia dignus, quem cum inter venerabiles non dedignetur Florentia cives, optimum semper et in omnibus fidedignum habui testem et inter quoscunque viros egregios numerandum. Traho preterea aliquando Barlaam, Basilii Cesariensis monachum, Calabrum hominem, olim corpore pusillum, pregrandem tamen scientia, et Grecis licteris adeo eruditum, ut imperatorum et principum Grecorum atque doctorum hominum privilegia haberet, testantia nedum his temporibus apud Grecos esse, sed nec a multis seculis citra fuisse virum tam insigni tanque grandi scientia predictum. Nonne ergo huic et potissime in rebus ad Grecos spectantibus ego credam? Non enim opus suum aliquod vidi, esto composuerit non nulla audiverim; habui tamen ex suis scripta quedam in nullum reducta librum, nec aliquo insignita titulo, que, et si illum non satis in Latinis licteris instructum ostenderent, eum tamen multa vidisse atque perspicacissime sensisse monstrabant. Equo modo et Paulum Perusinum gravissimum virum, ceteris inmisceo. Qui et etate proventus, et multarum rerum notitia doctus, fuit diu magister et custos bibliothecæ Roberti, Jerusalem et Sycilie regis incliti. Et, si usquam curiosissimus fuit homo in perquirendis, iussu etiam sui principis, peregrinis undecunque libris, hystoriis et poeticis operibus, iste fuit; et ob id singulari amicitia Barlae iunctus, que a Latinis habere non poterat, eo medio, innumera exhaustit a

Grecis. Hic ingentem scripsit librum, quem Collectionum titula-
verat, in quo inter cetera, que multa erant et ad varia spectantia,
quicquid de diis gentilium non solum apud Latinos, sed etiam
apud Grecos inveniri potest, adiutorio Barlae arbitror collegisse.
Nec dixisse verebor, ego iuenculus adhuc, longe antequam tu
in hoc opus animum meum traheres, ex illo multa avidus potius
quam intelligens sumpsi, et potissime ea omnia, que sub nomine
Theodontii apposita sunt. Quem librum maximo huius operis
incomodo, Bielle, impudice coniugis, crimine, eo defuncto, cum
pluribus aliis ex libris eiusdem deperditum comperi. Puto igitur
eo tempore, quo michi primo cognitus est, neminem illi in tali-
bus equiperandum fuisse. Post hos et Leontium Pylatum, Thes-
salonicensem virum et, ut ipse asserit, predicti Barlae auditorem,
persepe deduco. Qui quidem aspectu horridus homo est, turpi
facie, barba prolixa et capillicio nigro, et meditatione occupatus
assidua, moribus incultus, nec satis urbanus homo, verum, uti
experientia notum fecit licterarum Grecarum doctissimus, et
quodam modo Grecarum hystoriarum atque fabularum arcivum
inexhaustum, esto Latinarum non satis adhuc instructus sit.
Huius ego nullum vidi opus, sane quicquid ex eo recito, ab eo
viva voce referente percepi; nam eum legentem Homerum et
mecum singulari amicitia conversantem fere tribus annis audiui,
nec infinitis ab eo recitatis, urgente etiam alia cura animum
acrior, suffecisset memoria, ni cedulis commendassem. Similiter
et Paulum Geometram, concivem meum, quem tibi, rex inclite,

fama notissimum scio, ad hec assumendum aliquando ratus sum, eo quod noverim, nulli usquam alteri tempestate hac adeo sinum arisometricam, geometriam et astrologiam aperuisse omnem, uti huic aperuere, in tantum, ut nil arbitrer apud illas illi fuisse incognitum; et, quod mirabile dictu est et visu longe magis, quicquid de sideribus aut celo loquitur, confestim propriis manibus instrumentis in hoc confectis, oculata fide demonstrat spectare volentibus. Nec est hic tantum patrie aut Ytalis notus, longe quidem studiorum suorum Parisius fama clarius est, quam apud suos sit, sic et apud Britannos Hispanosque et Affros, quos penes hec in precio studia sunt. Equidem felix erat homo iste, si animo fuisset ardentior, aut liberaliori seculo natus. Quid tandem? Et Franciscum Petrarcam, Florentinum, venerandissimum preceptorem, patrem et dominum meum, nuper Rome, ex senatus consulto, approbante Roberto, Jerusalem et Sycilie rege inclito, ab ipsis senatoribus laurea insignitum, inter veteres illustres viros numerandum potius quam inter modernos, induco. Quem non dicam Ytali omnes, quorum singulare et perenne decus est, sed et Gallia omnis atque Germania, et remotissimus orbis angulus, Anglia, Grecique plures poetam novere precipuum; nec dubito, quin usque Cyprum et ad aures usque tue sublimitatis nomen eius inclita fama detulerit. Huius enim iam multa patent opera et metrica et prosaica, memoratu dignissima, certum de celesti eius ingenio testimonium hinc inde ferentia. Stat enim, exitum cupiens, adhuc sub conclavi clausa, divina Affrica, heroyco carmine

scripta, primi Affricani narrans magnalia; stat Buccolicum carmen, iam ubique sua celebritate cognitum; stat et liber Epistularum ad amicos metrico scriptarum stilo; stant preterea ingentia duo Epistularum prosaicarum volumina, tanta sententiarum, tanta rerum gestarum copia, tanto ornato artificio splendentium, ut in nullo Ciceronianis postponendas eas censeat lector equus; stant in medicum Invective; stat Solitarie vite liber, et, qui paucis post diebus in lucem novissimus venturus est, De remediis ad utramque fortunam. Sunt preterea et in officina plures, quos cito, eo vivente, fabrefactos emictet in publicum. Quis ergo hunc in testem renuat? Quis dictis eius fidem prestare deneget? O nisi paulo ante tenui calamo scripsissem, quot et quas eius possem superaddere laudes, quibus dictorum ab eo fides amplior deveniret, sed ad presens dicta sufficiant. Hec igitur, que de novis dicerem, habui, verum, ne de incognitis antiquis ab his videatur omissum, pauca dicenda supersunt. Dicunt igitur hi me inauditos a se inducere autores, quasi, quia eorum nomina non audiverint, non illis integra prestanda sit fides. Insipientis equidem est credere nil preter quod viderit fidedignum, quasi lectis fidem legendo iniunxerit ipse! Fateor me autorum plurium, quorum forsan nomina non nullis modernorum peregrina sunt, dicta et fabulas recitasse, eo quod, ut iam dictum est, antiquitate videantur probata; et hos omnes aut vidi et legi, aut a recentioribus alligatos comperi, quos si hi queruli non viderunt aut eorum non audire nomina, non autorum, sed desidie horum crimen est, et

ideo sibi imputare, non de me conqueri debent. Non enim possunt volumina e bibliothecis in manus evolare torpentium, nec, qui viderunt, debent visorum nomina hostiatim deferre! Legant, perscrutentur, et invenient, quod non norunt, et peregrinis efficiantur domestici, et comperient eos sic autoritate valere, uti arbitrantur valeant, quos legerunt. Hec igitur habeo, que de autoribus tam novis quam veteribus a me productis dicenda reor, quorum si me ad inducendum non provocarent merita, ad id oportunitas cogeret. Habent enim civiles et canonice leges preter textus multiplices, hominum nequitia semper auctos, apparatus suos a multis hactenus doctoribus editos. Habent philosophorum volumina diligentissime commenta composita. Habent et medicinales libri plurimorum scripta, omne dubium enodantia. Sic et sacre lictere multos habent interpretes; nec non et facultates et artes relique glosatores proprios habuere, ad quos, si oportunitum sit, volens habet, ubi recurrat, et, quos velit, ex multis eligat. Sola poesis, quoniam perpaucorum semper domestica fuit, nec aliquid afferre lucri avaris visa sit, non solum per secula multa neglecta atque deiecta, sed etiam variis lacerata persecutionibus a se narrata non habet! Quam ob causam saltim huc illuc, ad quemcunque potes, absque tam celebri selectione recurras necesse est, et, si non multum, a quocunque saltem, quod modicum potes, excerpas. Quod me persepe fecisse intelligenti satis apparet, cum non nunquam non tantum ad novos autores diverterim, sed ad glosulas etiam autore carentes recursum habuerim. Et id

circo queruli, sic oportunitate volente, non solum inauditis veteribus, sed et novis etiam autoribus acquiescant.

CAP. VII.

Carmina greca, non nullis agentibus causis, huic inmixta sunt operi.

Seu hos, seu alios dicturos non dubito, quoniam ostentationis gratia Greca carmina operi meo inseruerim. Quod satis adverto non ex caritatis fomite emissum, quin imo, uredine livoris impii jmpellente, ex adusti cordis intrinsico hec emittatur obiectio. Impie factum est, ast ego profecto non commovebor, opitulante Deo, sed more solito humili gradu in responsum ibo. Dico igitur, si nesciunt carpentes inmeritum: Insipidum est ex rivulis querere, quod possis ex fonte percipere! Erant Omeri libri michi et adhuc sunt, a quibus multa operi nostro accommoda sumpta sunt. Et ex his satis percipi potest plurima a priscis assumpta, a quibus tanquam a rivulis, non est dubium sumere potuissem, et sumpsi sepiissime; verum visum est aliquando, satius ex fonte sumere quam ex rivo. Nec semel tantum contigit, non in rivo reperiri, quod abundantissimum erat in fonte, et sic aliquando in hoc hinc delectatio, inde necessitas impulere. Delectat insuper scriptores non nunquam aliqua scriptis inserere, que abeant ali-

quo modo lectorem sistere, ac in oblectationem seu quietem deducere, ne perseveratione nimia uniformitate lectionis tractus in tedium a lectura desistat; quod in mixta carmina forsán poterunt aliquando fecisse. Insuper quod, in propria forma positum est, habet vires testimonii pleniores, si forsán obiurgator insistat. Si sit ergo, qui scripto a me carmini fidem non prebeat, adinventá Yliade vel Odissea, facile poterit vidisse, nunquid vera aut falsa descripserim, et si vera, erit plenior testimonii certitudo. Nec insuper ego solus sum, qui miscuerim Greca Latinis; vetus consuetudo est. Volvant, si libet, volumina Ciceronis, videant scripta Macrobií, intueantur Apuleíi libros, et, ne plures afferam, Maximí Auxoníi opuscula legant; hos sepissime versus Grecos Latinis licteris inserentes invenient. Horum ego vestigia in hoc secutus sum. Reor dicent illico, si dudum laudabile fuit, hodie frivolum esse laborem, nam, cum nemo sit, qui Grecas licteras norit est consuetudo vetus abolita. Ast ego in hoc Latinitati compatior, que sic omnino Greca abiecit studia, ut etiam non noscamus caracteres licterarum. Nam, et si sibi suis sufficiat licteris, et in eas omnis occiduus versus sit orbis, sociate Grecis lucidiores procul dubio apparerent. Nec preterea omnia secum a Grecia veteres traxere Latini, multa supersunt, et profecto nobis incognita, quibus possemus scientes effici meliores. Sed de hoc alias. Hi demum non prospectant, ad quem hoc opus ego dirigam, cui laborem impendam, vidissent quippe, quoniam eruditissimo regi, et cui tam Grecarum quam Latinarum licterarum, si vera

fert fama, notitia est, et quem penes continue docti homines Greci sint, quibus Greca carmina, ut his ignaris, non videbuntur superflua. Sed quid multa? Geramus paululum obiurgatoribus morem. Ostentationis causa Greca carmina scripsi? Quid inde, queso, mordendus sum? Cui enim iniuriam facio, si iure utar meo? Si nesciunt, meum est hoc decus mea gloria est, scilicet inter Etruscos Grecis uti carminibus. Nonne ego fui, qui Leontium Pylatum a Venetiis occiduam Babilonem querentem a longa peregrinatione meis flexi consiliis, et in patria tenui, qui illum in propriam domum suscepi et diu hospitem habui, et maximo labore meo curavi, ut inter doctores Florentini studii susciperetur, ei ex publico mercede apposita? Fui equidem! Ipse insuper fui, qui primus meis sumptibus Homeri libros et alios quosdam Grecos in Etruriam revocavi, ex qua multis ante seculis abierant non redituri? Nec in Etruriam tantum, sed in patriam deduxi. Ipse ego fui, qui primus ex Latinis a Leontio in privato Yliadem audiui. Ipse insuper fui, qui, ut legerentur publici Homeri libri, operatus sum. Et, esto non satis plene perceperim, percepi tamen quantum potui, nec dubium, si permansisset homo ille vagus diutius penes nos, quin plenius percepissem. Sed quantulum cunque ex multis didicerim, non nullos tamen preceptoris demonstratione crebra integre intellexi, eosque prout oportunum visum est, huic operi miscui. Quid hoc mali est? Fabulas Grecorum scripsisse, quarum hic liber plenissimus est, a nemine ostentationis causa factum dicitur, paucos inseruisse versiculos Grecis

licteris scriptos lacessitur. Potuit Marius Arpinas, superatis Afris, Cymbris et Theotonicis, more liberi patris cantaro in poculum uti; sic et C. Duellius, qui Penos primus navali certamine superavit, a cena domum repetens, semper lumine funalis cerei usus. Et hec, quantumcunque preter morem Romane urbis essent, equo animo tulere Romani. Michi autem irascuntur non nulli, si preter nostro evo solitum Latinis Greca carmina misceo, et ex labore meo pauculum glorie sumo. Rebar equidem aliquid Latinitati decoris afferre, ubi in me livoris nebulam excitasse video. Doleo quippe. Sed quid? Arbitror doctos non ista dicturos, de reliquis et si curandum sit tolerari tamen patientia potest. Postremo tamen precor omnes, ut placido ferant animo, memores Valerio teste, quia nulla est tam humilis vita, que dulcedine glorie non tangatur.

CAP. VIII.

Gentiles poetas mithicos esse theologos.

Quidam forte religiosi homines, santo movente zelo, legentes precedentia dicent iniuriam sacrosancte Christiane religioni illatam, dum poetas gentiles dicimus esse theologos, quos solos divinis instructos licteris hoc insigne faciamus Christiani decoros. Equidem hos ego venerandos homines puto, eisque, si quando hec aliqui dicentes erunt, ex nunc gratias ago, salutis enim mee

sollicitos sentio. Verum, dum minus circumspiciunt, que loquantur, ostendunt liquido se per paucos vidisse libros; nam, si multos studuissent, liber Celestis Ierusalem, inter ceteros famosissimus, pertransisse non debuisset invisus. In eo enim legisse potuissent Augustinum libro sexto referentem Varronis, doctissimi hominis, opinionem, qua ipse Varro arbitrabatur triplicem esse theologiam, mithicam scilicet, et physicam, atque civilem. Mithica autem dicitur fabulosa a mithicon Grece, quod Latine fabula sonat, et hec comedis, de quibus supra, et theatris accommoda est, que ob turpia in scenis actitata ab illustribus poetis etiam improbatur. Physica autem, que, ut interpretatione vocabuli percipitur, naturalis est, nec non et moralis, quoniam mundo utilis videatur, laudabilis est. Civilis vero seu politica, que et sacrificola dici potest, ad urbem spectare dicitur, que ob sacrorum veterum abominabilem turpitudinem a veri Dei cultu atque rectitudine fidei reprobanda est. Ex his enim physica poetis egregiis attribuitur, eo quod sub fictionibus suis naturalia contegunt atque moralia et virorum illustrium gesta et non nunquam, que ad suos Deos spectare videntur, et potissime dum sacra carmina primo in Deorum laudes composuere, atque eorum magnalia sub cortice texere poetico, ut in superioribus dictum est, ex quo a prisca gentilitate theologi nuncupati sunt; eosque primos fuisse theologizantes testatur Aristotiles; et, quanquam a non vero Deo, seu a dictis de non vero Deo nomen tale sortiti sint, ve-

nientibus veris theologis, perdidisse nequivere, vim suam servante vocabulo, quod a quocunque Deo exortum est. Quod reor advertentes hodierni, theologi scilicet nomen ex causa inditum auferri non posse, ne de mythica vel alia possit intellegi theologia, se non theologos tantum, sed sacre theologie asserunt professores. Nec hoc est aliqua instantia improbandum, quasi christiano nomini iniuriosum. Nonne nos omnes homines dicimus, quoscunque mortales scimus constare ex anima rationali et corpore, dato alii gentiles sint, et Israelite alii, et alii Agareni, ac alii Christiani, et non nulli adeo perversorum morum, ut potius inmanes belue quam homines habendi sint? Et tamen nullam, sic omnes vocantes, Christo, Redemptori nostro, iniuriam facimus; quem ultra Deum verum hominem fuisse cognoscimus. Equo modo, si quis poetas dicat theologos, nulli facit iniuriam, Si sacros quis illos diceret, quis adeo amens est, quin videat, quoniam mentiretur, esto non nunquam, ut in precedentibus patet, circa honesta eorum theologia versetur, que sepiissime potius physiologia aut theologia quam theologia dicenda est, dum eorum fabule naturalia contegunt aut mores. Et hec etiam circa catholicam veritatem versari potest, dum modo velit fabularum conditor. Quod fecisse novimus non nullos poetas orthodoxos, a fictionibus quorum sacra documenta teguntur. Nec sit his audisse difficile, uti et poete quandoque sacri possunt appellari theologi, sic et qui sacri sunt, oportunitate exigente, deveniunt phisici. Quod si alias

non contingat, saltem dum sensum exprimunt ex fabula lignorum sibi regem constituentium, efficiuntur phisici ex divinis.

CAP. IX.

Non indecens esse quosdam Christianos tractare gentilia.

Dicent alii equo superioribus forsan animo, indecens esse Christiano homini gentilium superstitiones, et nepharia sacra, seu genealogias describere aut perquirere, cum habeant non nunquam talia mentes legentium in erroneas opiniones deducere, et persepe opinantis periculo detinere. Non inficiat, hoc quidem sanctissime dictum est, et arbitror non nullos a studio talium amovendos, et sic etiam aliquibus absque aliqua suspicione sinistra, permitti posse. Nam, si omnes a talibus abstinere necessarium visum fuisset, non dubito, quin sacrosancta mater Ecclesia decreto perpetuo vetuisset. Fuit enim utilissimum olim, vix dum apud gentiles novis germinibus pullulante Ecclesia, eo quod adhuc saperent tam ab origine quam etiam ab ipsius gentilitatis perseverantia sacra hominum mentes, gentilicios ritus et mores insistere acriter, ne legentes talia, tanquam unco vetustatis tracti, more canis verterentur in vomitum. Hodie gratia Ihesu Christi in robur firmissimum ventum est, et execrabile cunctis gentilium nomen una cum erroribus suis in exterminium tenebrasque

perpetuas compulsum est, et victrix Ecclesia castra possidet hostium. Quam ob causam fere absque periculo talia exquiruntur atque tractantur. Non tamen nego, quin bene factum sit, si puer abstineat, cui memoria tenax et tenellum adhuc ingenium, nec dum satis plene Christiana religio cognita. Sic neofidus homo, quem non dum bene firmata credulitas laxatis habenis facile in lubricum exorbitare permetteret. Et si forsitan aliqui duriores in tam obscenum crimen se labi permiserint, etiam si nil aliud studuerim, vix possum credere hoc in me contingere posse. Nam ab utero matris mee ad fontem nostre regenerationis delatus lotusque, quod pro me cathecumino, promissere, qui me sustulerunt ab illo, ut potest humana fragilitas, in hodiernum usque servavi, certissimum semper habens, quod inter iustorum hominum congregationem psallitur, unum scilicet in triplici personarum distinctione Deum esse, et hunc verum et eternum atque omnium eque opificem rerum, earumque perpetua ratione gubernatorem, servatorem atque rectorem, omnia intra se continentem et a nulla contentum. Et, quod mirabili et alias inaudito eiusdem divinitatis artificio factum est, verbum scilicet eius eternum obumbratione sacri spiritus ad abolendam humani generis labem, ob inobedientiam primorum parentum contractam, ingenue Virginis utero, prenuntiante celesti nuntio, carnem factum, et Virginis illibata virginitate in tempore natum, et sic hominem mortalem factum. Qui adhuc infans in gremio matris a Sabeis regibus, oblatis muneribus, adoratus est, et, etate crescente, inter

sacre legis doctores, dum solveret nexus ambiguos, non Deus, sed admirande indolis puer ab eis creditus est. Non dum enim veritatis splendor eternus caliginem absterserat a mentibus eorundem, ut eum scilicet Deum illis repromissum cognoscerent, quem mortali septum carne viderent. Insuper certum habeo eum, qui, etherea arce relictā et ex Deo servi assumpta forma, et qui inter homines uti homo versatus est, iam trigessimū agentem etatis annum, ab hyssido atque silvicola vate, et ab utero matris sacro pleno spiritu ad aperiendam eterne salutis ianuam, lotum Iordanis in alveo, dum celum intonuit desuper, et acre murmur superincumbentis nubis in vocem solutum deitatis aientis: hic est filius meus dilectus, in quo michi bene complacui, audite eum! Preterea credo et ratum habeo eum aquis apud Chana Galilee in vinum versis, ut sacro pectori absconditam divinitatem ostenderet sumpto iam sacro consortio. Iudeam, urbesque Phenicum, Samariam, et Galileam ambisse, et celesti dogmate in templo et synagogis docuisse populos, lepras mundasse, elingues vocales fecisse, lumen cecis seu natura, seu casu perditum restaurasse, animas ab Orco in cadavera revocasse, febribus, ventis, et undis imperasse, et in multis aliis signa sue divinitatis monstrasse. Post hec, hora eius adveniente, eum, sacerdotum Hebreorum invidia procurante, lotis a se amicorum pedibus, et ingenti illo celebrato convivio, in quo suis manibus verbisque confectum est communionis nostre sacrum illud ineffabile, quo

corpus eius in cibum et sanguinem eius in potum tam presentibus quam futuris exhibuit, uno sociorum nequam vendente, oratione in solitudine peracta, a nepharia turba exquirente cum fustibus et lanternis captum, et in presentiam deductum principum, et ibidem nepharie accusatum, et, sua patiente humilitate, false testantibus quibusdam insimulatum, et hinc in pretorio, presidis lusum, virgis cesum, corona spinea insignitum, sputis et colaphis deturpatum, et postremo latronum more damnatum, crucique affixum sublimi, et in eadem aceto et felle potatum. Cuius cum iam humanitate victa suppliciis in finem suum ivisset (seu, et melius reor, ut Thome de Aquino placet, cum voluntarie, collectis viribus, spiritum emisisset), tremuit orbis omnis, et meridianum fere solis iubar per tres horas ivit in tenebras, luna ex opposito offuscata (esto aliter ad Policarpum scribat Dyonisius Ariopagita, quod ego miror). Inde eius a ceco milite perforatum lancea pectus sanguinem aqua mixtum emisit, ex quo sacra omnia nostre salutis credo sumpsisse exordium. Nec minus certum habeo, eum a cruce depositum atque sepultum anima domos inferas visitasse, et, confractis vectibus ferreis revulsisque postibus antiqui carceris, subacto Plutone, in libertatem predam omnem veterem eduxisse, ac inde virtute sue deitatis, uti prisci cecinerant vates, post diem terciam, ceu Ionas ex utero ceti, sic ex ventre terre surrexisse, superata morte, et redivivum suis apparuisse sepius, et e medio eorum, eis cernentibus, nulla corporea impeditum mole, cum vero corpore, olim mortali iamque immortalis,

propriis viribus in celos ad eum, qui miserat, evolasse; et inde celestem illum ignem, ex se patreque optimo pariter prodeuntem, vivificantem omnia et vera cuncta docentem, in commilitones egregios inmisisse. Quo illustrati, bellum adversus orbis principem inivere illico, per que suum sanguinem et vulnera multa sato ubique veritatis semine et obtenta victoria, ducem suum triumphantes in patriam secuti sunt. Sic et institutam ab eodem Dei unigenito piam iustorum congregationem, et sacrum illud regenerationis lavacrum, quo mala facinora abolentur mortalibus cum ceteris eiusdem conventionis faustis probandisque sacris, quibus Deo obsequentes efficimur, atque, lapsi nostra imbecillitate, resurgimus, eique volentes conciliamur, nec ob id humanum sanguinem effundentes, ut efferati plures iam fecere gentilium, aut hyrcos vel tauros more veteri inmolantes. Nec a me fuit unquam veritas hec amota, quin crederem testimonio patrum diem venturam extremam, in qua resolventur omnia peritura, magnoque Dei opere ex cineribus propriis omnes, qui ante fuimus mortales cum nostris corporibus resurgemus eterni, et in prefinitum venientes locum, in quo Christus ipse, iudex pretorii, in maiestate propria residebit, et apparentibus cunctis sue passionis insignibus, audiemus finalem meritorum nostrorum sententiam; sic et futuram similiter vitam, in qua non meo merito, sed miseratione divina spero videre Deum, redemptorem meum, in carne mea, et cum beatis letari in terra viven-

tium. Hec igitur, ne plura dixerim, sincera fides, hec eterna veritas adeo pectori meo infixata est, ut nedum evelli ab aliquo gentilitatis impulsu, sed nec concuti modo aliquo aut labefactari queat. Nam, et si peccator homo sim, non tamen gratia Ihesu Christi Cherea, Terrentianus adulescens, sum, qui, dum a tegulis in gremium Danis cadentem Iovem, in tabula pictum, intueretur, in optatum a se facinus animatus est. Abiit cum annis iunioribus levitas illa, si fuisset aliquando circa iam dicta, quod, minime memor sum! preterea advertens, quia continuis decipulis et explicatis ubique retibus antiquus hostis, tanquam leo rugiens, ut inveniat, quem devoret, ambiat immortalium semitas, eosque in precipitium conetur impellere, uti Mytridates, senex ille rex Ponti, qui magnanimo ausu sumptuque magnifico quadraginta annis continuis adversus Romanum populum bellum ingens et memorabile traxit, a iuventute sua adversus letale venenum pharmacis pectus armavit, sic et ego meum evangelica veritate, sacro Pauli dogmate, et Augustini aliorumque plurium venerandissimorum patrum iussionibus, consiliis, atque suasionibus armavi; ex quo arma gentilitia parvi pendo! Si enim Christianus homo gentilium tractavi stultitias iussu tuo, rex inclite, et in detestationem erronee credulitatis eorum hoc feci, et, si parva quandoque equare maioribus fas est, feci, quod etiam summa cum laude non nulli sanctissimi fecere viri, ut Augustinus, Ieronimus, et cum non nullis aliis etiam Lactantius, neofidus homo. Michi quidem a teneris

annis notissimum est, Psalmista monstrante, quia omnes dii gentium demones, et hinc eorum semper inepta displicuere facinora. Fateor tamen, religione eorum seposita, quorundam poetarum mores et scripta placuisse, et ob id non solum eos laudasse, sed pro viribus ab obiectionibus accusantium defendisse, ut apparet in precedentibus liquido; et hoc ideo feci, ut ab ignaris non veniant lacerandi, qui, si Christum novissent coluissentque, inter sublimiores christiani nominis haberentur. Sed, ad superiora prospectans, inquiet aliquis: Bene operatus es, premunisse enim se adversus hostes semper laudabile fuit, sane picem tractantes coinquinantur a pice; iam plurimi, dum se fortissimos extimarent, impulsus ab hoste etiam debili, cecidere. Et, si desint ceteri, quorum grandis est numerus, Salomon tamen adest, testis certissimus imbecillitatis humane. Huic a deo scientia omnis concessa est, divitie omnes et imperium grande, summa cum iustitia populos subditos tenuit, Deo templum edificavit mirabile, multa bona composuit, et tandem, iam etate maturus, tot honorum largitore postposito, consensu offensionis monte, Maloch, Egyptiorum ydolum, flexis genibus adoravit. Quid ergo? Tunc eris fortior Salomone aut circumspectione plenior? Fallimur de nobis nimium confidentes! Hec quidem negari non possunt, vera sunt! Attamen aliud belli genus michi cum erroribus gentilitiis est, quam Salomoni fuerit cum Egyptiaca coniuge, que, astu femineo advertens, quoniam infelicis viri animam formositate

sua laqueasset, et suos deos extollere avida, nunc amplexu venero, nunc mellitis saviis, nunc blanditiis muliebribus, nunc petulca lasciviis, nunc precibus, nunc lacrimis, quas obsequiosissimas habent femine, nunc indignatione composita absque intermissione non diebus omnibus tantum, sed noctibus amantis viri animum impugnabat! O quam gravia et intolerabilia sunt dilectarum mulierum, et potissime nocturna, certamina! Hic tandem, dum timeret mulieris gratiam, quam summe diligebat, amittere, terga dedit, et viribus armate femine inermis succubuit. Michi autem non tale adversus deorum gentilium nugas bellum est, mille iam veris rationibus a me cognitis improbatas, et ideo cum eis, exhaustis viribus acieque pulsis, levis est pugna. Scio tamen nimium de se confidisse quandoque sit vicium, verum ego de me non confido, sed de gratia Christi Ihesu, cuius precioso sanguine redemptus sum. Spero quidem eum non passurum, ut, qui tam diu recto tramite eius vestigia iuvenis secutus sum, senex exorbitem, et, si in lapsum veniam, manum pietate sua debili porriget, et fessum placida quiete fovebit. Sed, ut in finem veniam, satis ex premissis colligi potest, uti non omnes decet tractare gentilia, sic nec omnibus indecens esse.

CAP. X.

Ut plurimum studia sequimur, in que prona videntur

ingenia.

Si fateantur non nulli vera esse, que dicta sunt, non tamen quieturos reor, quin imo arbitror dicent longe melius fuisse studiis sanctoribus trivisse tempus, quam talia didicisse. Quod si quis neget, non erit equidem satis sanus! Nosco, quoniam in promptu erant leges Cesarum, et Pontificum canones, et medicina, quorum plurimi sanctissima arbitrantur studia, eo quod ex eis persepe auro avidi mortales ditentur. Erat et philosophia, cuius optima demonstratione rerum cause et a falsis disgregari vera noscuntur, generosis quibuscunque ingeniis appetenda. Erant et sacra volumina, a quibus et parvipendere peritura docemur, et Dei magnalia declarantur, atque, quo tramite celeste regnum petamus, ostenditur. Quod studium profecto ceteris preponendum est. Ex his quodcunque sumpsissem, forte sanctius egisse me dicerent obiectores. Sane si, quod debemus, ageremus omnes, legum minister rostra frustra conscenderet! Attamen non adeo facile est, ut existimant aliqui, velle omnia, que debemus, et longe acrius consequi, si velimus. Nam, ut cytharista variis ex fidibus, aliis lentius, aliis vero protensius tractis, his gravem, acutum illis tinnitum reddentibus, docta manu plectroque ex tam discordantibus tonis reddit suavissimam armoniam, sic et natura parens, cui inexhauste vires et perfectum ingenium est, producit hec peritura diversis officiis apta, ut ex hac officiorum

inconvenientia resultet humani generis, circa quod plurimum intenta est, conservatio; atque ubi in longam conservationem iri non possit nova productio, advertens, quoniam, si uniformes producerentur omnes, ut de reliquis sinam, homines nulla possent producti, nec etiam per tempusculum, ratione consistere. Ergo hinc fit, ut discreto nature ordine hic ex mortalibus nascatur faber lignarius, ille nauta, mercator alius, et quidam sacerdotio apti aut regimini, et non nulli legum latores, presides, poete, phylosophi, seu sublimes theologi. Ex quorum studiis variis tam ingentis multitudinis hominum conservatio resultet necesse est! Nam si omnes, quoniam ad unumquemque spectat, si possit, ad studia sublimiora conscendere, in theologiam vigilantes iremus, et agriculator absit, ex quibus, queso, fructibus, tam nobile sequentes studium, nutriremur? Si cementarius, si lignarius desit, quibus in tabernaculis ab ymbribus, a ventis, a frigoribus ac solis estu, et aliis incommodis assidue superimminentibus, tutabimur? Si non sit lanifex, non cerdo, unde vestes et calciamenta sumemus? Quid enumerem multa? Uti incommodum humani corporis inter se differentia qualitate et officio membra a natura rerum apposita sunt, ut ex hac diversitate consistat, uti melodia ex diversitate tonorum, sic et, ut humanum genus perseveret, necesse fuit ad studia inter se differentia gigneremur. Et si ab ipsa natura, que sic celos, sic astrorum orbis et cursus varia etiam agitatione disposuit, agente Deo, ut nullo labore suo ad officia productos varia nos videmus, quis, queso, feliciter audebit ab eo,

ad quod natus est, in aliud transitum attentare? Non quidem adeo ignarus sum, quin noverim liberi arbitrii, quo omnes valemus, potentia possimus nature superare vires; quod egisse non nullos legimus. Opus profecto inter raro contingentia numerandum, tam grandi et fere invincibili necessitate trahimur, in quod nascimur! Et si ad diversa gignimur, nascimur alimurque, si ea plene peragamus in que trahimur, equidem satis est, nedum in aliud transitum fecisse velimus; quod dum iam dudum frustra temptarent aliqui, id perdidere, quod erant, nec id potuerunt effici, quod querebant. Verum ad quoscunque actus natura produxerit alios, me quidem experientia teste ad poeticas meditationes dispositum ex utero matris eduxit et meo iudicio in hoc natus sum. Satis enim memini apposuisse patrem meum a pueritia mea conatus omnes, ut negociator efficerer, meque, adolescentiam non dum intrantem, arismetrica instructum maximo mercatori dedit discipulum, quem penes sex annis nil aliud egi, quam non recuperabile tempus in vacuum terere. Hinc quoniam visum est, aliquibus ostendentibus indicatiis, me aptiorem fore licterarum studiis, iussit genitor idem, ut pontificum sanctiones, dives exinde futurus, auditurus intrarem, et sub preceptore clarissimo fere tantundem temporis in cassum etiam laboravi. Fastidiebat hec animus adeo, ut in neutrum horum officiorum, aut preceptoris doctrina, aut genitoris autoritate, qua novis mandatis angebar continue, aut amicorum precibus seu obiurgationibus incli-

nari posset, in tantum illum ad poeticam singularis traebat affectio! Nec ex novo sumpto consilio in poesim animus totis tendebat pedibus, quin imo a vetustissima dispositione ibat impulsus. Nam satis memor sum, non dum ad septimum etatis annum deveneram, nec dum fictiones videram, non dum doctores aliquos audiveram, vix prima licterarum elementa cognoveram, et ecce, ipsa impellente natura, fingendi desiderium affuit, et si nullius essent momenti, tamen aliquas fictiunculas edidi, non enim suppetebant tenelle etati officio tanto viris ingenii. Attamen iam fere maturus etate et mei iuris factus, nemine impellente, nemine docente, imo obsistente patre et studium tale damnante, quod modicum novi poetice, sua sponte sumpsit ingenium, eamque summa aviditate secutus sum, et precipua cum delectatione autorum eiusdem libros vidi legique, et, uti potui, intelligere conatus sum. Et mirabile dictu, cum nondum novissem, quibus seu quot pedibus carmen incederet, me etiam pro viribus renitente, quod non dum sum, poeta fere a notis omnibus vocatus fui. Nec dubito, dum etas in hoc aptior erat, si equo genitor tulisset animo, quin inter celebres poetas unus avasissem, verum dum in lucrosas artes primo, inde in lucrosam facultatem ingenium flectere conatur meum, factum est, ut nec negociator sim, nec evaderem canonista, et perderem poetam esse conspicuum. Cetera preterea facultatem studia, et si placerent, quoniam non sic impellerent, minime secutus sum. Vidi tamen sacra volumina, a quibus, quoniam annosa etas et tenuitas ingenii dissuasere, destiti,

turpissimum ratus senem, ut ita loquar, elementarium nova inchoare studia, et cunctis indecentissimum esse, id attentasse, quod minime arbitreris posse perficere. Et ideo, cum existimem Dei beneplacito me in hac vocatione vocatum, in eadem consistere mens est, et, quod egerim hactenus, his monstrantibus studiis, laudare. Querant alii, quod videtur! Qui ergo patiuntur cerdonen <subule> setisque vacare, lanistam pecori, sculptorem statuis, me etiam queso, vacasse poetis equo animo patiantur.

CAP. XI.

Damnose compatimur regibus et diis gentilium.

Erunt qui a durato iam calcibus tramite exorbitent, et ex transverso prosiliant clamitentque, quoniam temerarius homo sim, eo quod presumam veterum regum terebrare busta, et quietos iam longa pace cineres in novum odium suscitare, aut eorum recentioribus nebulis veteres offuscare splendores, nec non et deorum semisopita scelera, audientibus cunctis, in minus oportunam vigiliam excitare, et sub titulo honorabili, scilicet Genealogie deorum, eorundem recitare latrocinia et incestus. Longa est querela hec et plurium membrorum implicita, et ea monstrante, adverto, quoniam senserint isti, quid scripserim, et potissime dum queruntur, quod deorum gentilium facinora recitarim. Verum gentilium animum redolet ista conquestio, et, si sic sapiunt

mente, ut verba sonant querula viget adhuc in non nullis error ille infamis, quem queso auferat Deus et resolvat in nichilum. Obiectis autem respondisse facillimum est. Agit enim temerarie, qui in nimium terminos excedit audacie; sic memini in libro Ethycorum Aristotilem arbitrari. Hos ego excessisse non reor; audere quidem, quod ab omni necessitate concessum est, non est temerarie agere. Nemini prohibitum legi, seu honesta sint, seu etiam minus honesta, regum gesta describere; erat tamen regibus satius sic egisse, ut nil de eis referri posset preter honestum. Ego autem de his non ordinato, nec in hoc disposito stilo scripsi, sed summo tenus et perfunctorie, uti non nunquam ordo assumpti operis exigebat, recitavi, si qua inserui. Sed, esto fecerim, non novum aut inusitatum facinus feci; stant tam antiqua quam magna illustrium scriptorum volumina, in quibus et stilo celebri, et ordine integro regum recitantur acta, a quibus, si quid huic operi appositum est, novissimus sumpsit. Si ergo hec querela facienda est, de illis amplioribus et antiquis querantur hystorioraphis, quorum scripta celeberrima cum fama iam diu universo patuere orbi; ex his, si quod odium generari potest in cineres iam quietos, exordium sumptum est. Sed queso, que pietas hec? Ex quo caritatis fomite oritur? Que huius pietatis causa? Credo generosi animi videri cupiant tales in hoc quod honores regios curent, ostendantque, quia turbentur audientes dedecora. O quam parvo tales existimant nobilitatem mercari, que egregiis moribus,

iustitia, sanctitate, atque scientia adipiscitur! Scirent isti, si nobiles essent, quia non solum supervacaneum sit, sed damnosum non solum gentilibus, sed malemeritis quibuscunque compati; et ideo, si sapiunt, servent hunc pietatem in melius. Turpia autem deorum gentilium dedecora nec dormiunt, nec sopita sunt, quin imo a sacra Christi doctrina in perpetuum non surrectura sepulta, et ingenti damnationis mole contexta et oppressa sunt. Huius ego molis honus, et si non satis, pro viribus tamen tanquam Christianus homo augere conatus sum, laudes indi et dignas consequi, non redargutiones expectans. Verum hos ego parvifacio morsus, cum nullo possint dentis acumine quenquam ledere. Hi ergo, si Christiani sunt, taceant, et peniteat eos, si deorum gentilium abiectio eis ulla fuit compassio, cum inter alia crimen hoc minime deceat Christianum.

CAP. XII.

Breviloquus seu longiloquus ob causam lacerandus non est.

Breviloquum forte me dicent alii, eo quod aliquando magis perfunctorie quam longa serie recitando fabulas atque hystorias, aut illas enucleando, pertranseam. Et sic non dubito, quin sint, qui dicant me, quam oportunum sit, sepiissime longiorem. Primis ut sic esse fatear necesse est. Fuere enim huius facinoris rationes

plurime. Quedam autem ideo paucis sub verbis relata sunt, quia non erat, unde possem ampliora describere, ni ex meo voluissem fabulas aut hystorias protelare vel fingere, quod omnino fugiendum est sano homini. Quedam vero etiam ad plenum scripsisse paucis indigebat licterulis, ex quibus si satis intentio sumitur, viciosum fuisset in longius protendisse. Sunt tamen et multa, que procul dubio longiorem verborum copiam tolerassent! Sed queso, si cuncta sinamus, que dici potuissent, aut forsane exquisisset materia, sed ea tantum, que michi scribenti occurrebant, circa longissimas hystorias aut fabulas, circa omnes singulares tam deorum quam hominum actus, circa multiplices fictionum sensus, circa testimonium fabularum aut hystoriarum veterum auctoritates, circa opiniones plurium relationes, et huius modi scripsisse voluissem, quando me finem operi huic fecisse existimant tales? Equidem vix unum suffecisset seculum! Et in tam grande etiam evasisset volumen, ut solo intuitu primo terruisset quoscunque lectores, et ob id satis ratus sum ea, que dicta sunt, sic summo tenus tetigisse; non enim puero aut inertī vulgo scribimus, quin imo, ut alias dictum est, doctissimo regi et provectis hominibus, si aliquando ex manibus tuis, serenissime princeps, ad alios venturum hoc opus est. Preterea, ut exerceantur ingenia, non adeo plene scribenda sunt omnia, nam, que labore aliquo quesita sunt, placere magis consueverunt, et cum maiori diligentia conservari, quam que sponte sua in intellectum legentis accedunt. Est et posteris linquendus dicendi seu scribendi locus, ne

invidisse futurorum videamur ingeniis, et arrogantia quadam ad quam omnes aspiramus videamur preoccupasse sequentium gloriam. Miti igitur animo ferendum est, quod, honestis agentibus causis, aut breviter dictum est, aut causa brevitatis omissum. His autem, qui me, si qui erunt, dicent longiorem debito quandoque fore, non aliud dicam, nisi quia sic opportunum esse ratus sum, aut quia me, ut fit, aliquando intellectus delectatio impellebat, que prudentioribus non nunquam liberalissimum prestitit calumum. Sed quid? Uti brevia habent intelligentium exercere ingenia, sic et ampliora minus intelligentium provocare; et id circo, qui plura noverunt, sint memores, quoniam et ipsi aliquando fuere rudes, et ob id absque indignatione patiantur, si ampliuscule iunioribus laboratum sit.

CAP. XIII.

Vero, non ficto regis mandato hoc opus compositum.

Aderunt forte, qui dicant, quod non nunquam de aliis quibusdam etiam claris viris dictum est, me scilicet in gloriam mei nominis fingere, quod tuo iussu, rex inclite, hoc opus elaboraverim, cum minime verum sit. Tarda his fides est, seu verius animus nequam! Quod de se noverunt, urentes invidia in alios coniecturam faciunt. Certissimum est, ut Tullii verbis utar: Trahimur omnes studio laudis, et optimus quisque maxime gloria ducitur.

Et ob id, cum gloriosum sit parvo homini maximo atque optimo regi obsequium prestare posse, non fidem cum difficultate comperiet dixisse non nullos ad extollendam humilitatem suam mendacium finxisse huius modi, sed scriptores nunquam credam; sed de hoc alias. Ego autem, ut ad me veniam, non inficiar me glorie avidum, sed quantumcunque cupiam, profecto non adeo effrenis sum, non adeo hoc accensus desiderio, non adeo hostis honesti, ut in tam turpe mendacium, rubore non dicam frontis, sed mentis abiecto, me ipsum proripuissem. In hoc me superbum confiteor, si superbia dicenda hec est; in talibus nisi Deo celi honorem seu titulum irrequisitus inferrem, et hoc etiam non omnibus requirentibus exhiberem. Tu nosti, rex optime, quoniam, me renitente atque tergiversante, Domnini, militis tui, suasionibus precibusque in votum tuum deductus sum, ut scilicet laborem hunc subirem. Nec non labentibus annis factum est, ut Becchinus Bellincionus, familiaris tuus et concivis meus, e Cypro veniens, apud Ravennam urbem me conveniret, et postquam placidis verbis clementiam atque gratiam celsitudinis tue erga me inneritum monstravit, miris exhortationibus, ut aiebat, te sic imperante, semisopitum circa hoc opus ingenium meum irritavit. Equo modo dilectissimus tibi Paulus Geometra non nunquam, ostensis lictoris sigillo maiestatis tue signatis, in quibus ad me iussa inserebantur tua, sollicitum reddidit. Novit Deus, et tu scis, quia nec unquam preminentiam tuam vidi, nec tu me vidisse potuisti. His mandatis credidi, et honus meis humeris pregrande subivi. Si te

ignaro hec acta sunt, per iam dictos deceptus sum, et sic hos fateor esse veridicos, qui asserunt non tuo iussu compositum; verum non crimine meo, nisi me in hoc peccasse quis diceret, quia non dixerim me facturum, si tuis licteris ad me directis susciperem. Sed hoc michi superbum visum est, quasi Dominum, insignem militem, minus veridicum arbitrarer. Dominus autem, ut audiui, eo fere anno, in quo me primo convenerat, diem clausit, et ob id non eius fidem invocare possum. Vivit Becchinus, et Paulus Geometra vivit, hos ego et regiam fidem tuam veritatis huius testes in terris habeo. Te igitur cum illis invoco, tuum hunc, si necessitas exigit, laborem esse oportunum est, oppugnationi scilicet huic obsistere, et nomen meum a tam illecebri nota veritatis affirmatione purgare. Sed ut, te, rex inclite, paululum omissio, ad obiectores deveniam, eorumque obiectioni aliquid pro iure meo respondeam, assero, si pro rostris, sedente preside, agendum litigium esset, me vivos habere testes, nec ex fece plebeia, sed illustres homines, quia minime oportunum michi erat, ut usque Cyprum pro tam inepto mendacio evolarem, si opus meum insignire regio nomine cupiebam; prope erat imo coram nec verebor dicere rex, qui, si credidisset Obtinuisse, postquam ceperam, quod minime in animo erat, dum me convenit Dominus, viva voce rogasset, ut sue hoc opus ascriberem maiestati, esto minus intelligens princeps esset, existimans non michi suo nomine gloriam inferre, quin imo meis licteris eternum suis titulis decus addere. Nec mirum; suffragiis enim scriptorum stant

insignia et nomina regum. Hinc Alexander ille Macedo, qui parva militum manu ingenti animo orbem totum aggredi ausus est, in Persas vadens multos huius modi scriptores, qui sua gesta describerent, secum traxit, et in Sigeum veniens, quo bustum vidit Achillis, tacuisse non potuit, quin ostenderet verbis, quam grandis videretur sibi gloria, quam consequabantur a scriptoribus reges, eum fortunatum dicens, quod illi Homerum contigisset habere preconem. Hinc Pompeius Magnus, qui equam fecit cum virtute fortunam, Theophanem Mitilenum, quasi nomen suum perenne facturum, in contione militum civitati donavit. Hinc Scipiones, Titus Fulvius, Cato Censorinus, Q. Metellus Pius, G. Marius, Cicero, et alii plures illustres viri se scriptoribus faciles atque liberales exhibuere, ut eos in hoc traherent, ut de se scriberent. Quid ergo meis licterulis regem inclitum mendacio inseram, quasi invito gloriam largiturus sim, et meam offuscaturus ignominiosa labe. Si adeo avidus essem mendaciis meam extollere gloriam, stant et alia opuscula, ex quibus nullum est ullo huius modi titulo insignitum preter Buccolicum carmen, quod, ut sibi intitularem, petiit Donatus Appenninigena, pauper, sed honestus homo et precipuus amicus meus. Quid non omnibus nomina prepono regum? Preterea, est ne hoc sub sole novum, reges desiderare scripta quedam, et amicis iniungere? Non equidem. Diebus nostris memini Robertum, Ierusalem et Sycilie splendidum regem et multis ornatum titulis, postulasse ab insigni viro. Francisco Petrarca, ni alteri tribuisset, ut sibi ascriberet Affrice,

a se noviter edite, titulum! Quam, queso, aucturus gloriam, Francisci an suam? Suam profecto! Quid multa? Non equidem magnorum ducum nomina claros scriptores faciunt, imo potius ipsi reges scriptorum opere cognoscuntur a posteris. Insuper si approbandum sit opus, quid illi adiectum regis nomen potest auctoritatis afferre, aut bene merito auctori glorie superaddere? Et, si improbandum sit, quo iure poterit prescriptio illa fecisse probabile, aut notam auctori iniectam abstergere? Decus igitur et gloriam agenti approbatio virorum illustrium affert, non regii nominis ascriptio! Ego autem, ut iterum dixerim, adeo superbe obstinatus sum, ut nisi Deo glorie, cuius ascribenda sunt omnia, unius carminis tantum decus, etiam Cesari dictatori resurgenti aut Scipioni Affricano, nisi rogatus, aut si amicus esset ascriberem. Dicta sint hec, mi rex, bona cum tua venia, queso, et postremo precor, si contingat te unquam aliquos talia obicientes audire, tanquam veritatis conscius, impera regia cum indignatione silentium, et quod tuo nomini, te petente, dictum est, imo compositum te mandante, regia virtute defende. Supererant multa, sed quoniam michi satis dictum esse videtur, omittenda reliqua censui, et Deo, munerum largitori, tibi que operis fortunam committere, quod, postquam in tuas devenerit manus, dum libuerit, tuo fultum presidio et te iubente, tendat in publicum.

Conclusio.

Ecce tandem, O clementissime rex, divina pietate prebente, in finem longi operis ventum est. In quo ea, qua potui solertia iuxta veterum traditiones deorum gentilium genus et eorum posteritates, multis undique exquisitas vigiliis, quo datum est ordine, descripsi, et iuxta mandatum tue serenitatis pro viribus ingenii mei post fabulas fictionum sensus, seu ab antiquis sumptos, seu a tenui intellectum meo emunctos, apposui. Ostendi insuper, quod officiosissimum ratus sum non nullis, poetas adversus opiniones talium non dicam iustos omnes, sed nec ridiculos aut simpliciter fabulosos esse, quin imo seculari scientia, ingenio, et moribus, ac etiam insigni claritate conspicuos. Lignum preterea in litore ancoris et proresiis ingeniose firmavi, magis semper de bonitate divina confidens quam de robore vinculorum. Sic et a nauta, quas magis nocuas credidi, sagittas amovi, esto arbitrer superesse quam plurimas, adversus quas vix credam satis armasse, potuerim; non equidem se, quantumcunque bellicosissimus miles sit, adeo caute armare potuit quisquam, quin locus hostili gladio linqueretur. Ipse igitur Deus protegat, qui solus novit diverticula malignantium, et volens contrivisse potuit! Verum quoniam homo sum, novique nullum adeo oculatum, quin, nisi divina protegatur manu, sepiissime cadat in lubricum, arbitror satis possibile, me non nunquam aut omisisse dicenda, aut non di-

cenda scripsisse, aut dicta non satis rationibus roborasse, aut minus plene in votum tuum ivisse, seu aliis modis peccasse plurimis, de quibus doleo. Et quoniam nosco, quod ignavie mee mea imputanda sunt crimina, supplex veniam posco, teque humilis per tui capitis insigne decus exoro, ut tui ingenii celsitudine defectus suppleas, superfluitates excidas, dicta minus accurate exornes, et omnia pro iudicio tue sincere mentis pariter corrigas et emendes. Si forsan, maioribus occupatus, ut sepiissime reges estis, huic labori tempus non posses impendere, tunc omnes honestos, sacros, pios, atque catholicos viros, et potissime celebrem virum, Franciscum Petrarcam, insignem preceptorem meum, ad manus quorum opus hoc aliquando deveniet, per Christi preciosissimum sanguinem deprecor, ut errores quoscunque, si quos forsan minus videns dictis inmiscui, sua pietate ac benignitate surripiant, aut illos in sacram veritatem convertant; eorum enim existimationi et emendationi opus hoc esse suppositum volo. Preterea, o rex inclite, si quid boni inest, si quid bene dictum, si quid votis tuis consonum, gaudeo et exulto, et exinde labori meo congratulor, verum scientie mee imputes nolo, nec lauros aut honores alios ob id postulo; Deo quippe, a quo omne datum optimum et omne donum perfectum est, attribuas queso, eique honores impendito et gratias agito, cum ipse more meo semper post exactos quoscunque labores honestos consueverim, qua possum mentis devotione Daviticum illud dicere: Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.

Genealogie deorum gentilium secundum Iohannem Boccac-
cium de Certaldo ad illustrem principem Ugonem, Ierusalem et
Cypri regem, liber XV^{us} et ultimus explicit.